CHRISTIANI GODOFR. SCHŪTZII OPUSCULA PHILOLOGICA...

Christian Gottfried Schūtz




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
201
10 K
32

CHRISTIANI GODOFR. SCHÜTZII

OPUSCULA

PHILOLOGICA ET PHILOSOPHICA

EX IIS POTISSIMUM

QUAE

PER XXIV ANNOS IENAE

PROGRAMMATIBUS

NOVI PRORECTORATUS INDICENDI CAUSA

EDITIS

NOMINE SUO HAUD ADDITO

ADIECIT

SELECTA

NUNC PRIMUM CONIUNCTIM EDITA

ET

ALIQUOT RECENTIORIBUS

AUCTA.







HALAE

IN BIBLIOPOLIO ORPHANOTROPHEI

CIƆIƆCCCXXX.

PRAEFATIO.

Quum plurimae diſſertationes hoc volumine comprehenſae per XXIV annos, quos Ienae inde ab anno cIɔIɔcclxxix usque ad annum cIɔIɔccciii profeſſor eloquentiae ordinarius exegi, programmatibus adiectae eſſent, quibus novi Prorectoris vel initio Februarii vel Auguſti menſis initio magiſtratum ingreſſi dignitas civibus ſtudioſis commendabatur, eoque ipſo tantum in Profeſſorum vel ſtudioſorum civium manus inciderent, nec per bibliopolia divenderentur, illae quoque diſſertationes meae non poterant non anguſto lectorum numero contineri. Itaque iam dudum conſtitueram eas ab illis programmatibus, quibus novi Prorectoratus in academia Ienenſi indicebantur, ſeiunctas et con-

iunctim edendas librario tradere. Saepe autem aliis negotiis impeditus tandem eo deveni, ut eas paucis aliis novis dissertationibus auctas bibliopolio Orphanotrophei Halensis demandare possem. Iam quum anno cIↃIↃCCLXXIX ad academiam Ienensem vocatus essem, quatuor Saxoniae duces Vinariensis, Gothanus, Coburgensis et Meiningensis nutritores erant eius academiae, quos inter primus *Carolus Augustus* per quinquaginta et quod excurrit annos de eius flore egregie meritus est. Is d. III. Sept. anni cIↃIↃCCLVII natus patri suo *Ernesto Augustino Constantino*, qui quum ducatum Vinariensem et Isenacensem aliquot annos rexisset, iam anno superioris seculi quinquagesimo octavo mense Maio decesserat, infans successit, et sub tutela matris *Annae Amaliae* omnibus matronae augustae virtutibus florentissimae optime educatus, et institutus die III. Sept. 1775 natali suo, iam puber, ducatum suum regere coepit, simulque academiae Ienensi hunc honorem habuit, ut in posterum Rector Academiae magnificentissimus appellatus, novos Prorectores e senatu academico electos civibus studiosis prooemio programmatis commendaret.

Unum eius prooemii exemplum hic afferam, die VI Augusti anni 1780 dissertationi nostrae XXX, quae explicationem dabat loci Tertullianei de praescriptionibus haereticorum, praemissum.

DEI GRATIA

CAROLUS AUGUSTUS

DUX SAXONIAE IULIACI CLIVIAE MONTIUM ANGARIAE ET GUESTPHALIAE — — — DYNASTA RAVENSTEINII REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS MAGNIFICENTISSIMUS

S. D.

CIVIBUS.

Elapso iterum semestri Senatus auctoritate et consensu, magistratus academici insignia, quod deus faustum ac felix esse iubeat, hodie delata sunt ad *Ioannem Iacobum Griesbachium*, Theol. D. et Prof. ord. virum doctrina clarum, pietate gravem, de academia egregie meritum ideoque Nobis non magis quam ceteris academiae nutritoribus carissimum. Is quum nuper, quemadmodum laudabili aliorum Saxoniae ducum, gentilium nostrorum, exemplo, Isenacensibus, Gothanis ac Meiningensibus civitatem academicam Ienae adeptis constituti sunt ex ordine senatorum patroni, ad quos se illi applicent, quorumque in clientela versentur, Nobis placuisset etiam in Ienensibus ac Vinariensibus institutum saluberri-

mum imitari, eumque horum ephorum ac patronum esse vellemus, ea alacritate sibi quicquid hoc est oneris aut muneris imponi passus est, ut eum facile intelligeremus nullam de studiosa iuventute bene merendi occasionem defugere aut praetermittere. Nunc quum eum in magistratu academico constitutum videatis, Cives, cuius, ne personae quidem, quae eum gerat, ratione habita vel ipsius dignitas atque auctoritas reverentiam vestram obsequiumque postulet, quid vobis faciendum putatis, quum Prorectorem habeatis, qui ad honorem gerendum attulerit

compositum ius fasque animi, sanctosque recessus
mentis, et incoctum generoso pectus honesto?

Ipse vos talis Viri adspectus, quem plurimi vestrum praeceptorem fidelissimum, multi morum custodem diligentem, nunc autem omnes Academiae cives Prorectorem etiam venerantur, ducat oportet ad verum virtutis decus, quo quidem si qui sunt, qui non commoveantur (quos longe paucissimos esse et volumus et credimus) nae illos legum severitas hoc praesertim tutore nec falsa nec vana coercebit, Vos autem, qui civitatis academicae bene memores, magistratus esse scitis, personam gerere civitatis eiusque decus ac dignitatem sustinere, vel solum *Griesbachii* exemplum in fide atque officio continebit; ubi enim alii, poenarum formidine adducti, ne quid in se admittant, cavent, ibi vos

odistis peccare boni virtutis amore.

Hoc prooemium Caroli Augusti nomine a me, ut cetera eiusmodi, conscriptum sequebatur dissertatio nostra, in hac sylloge tricesima sic inscripta: *Explicatio loci Tertullianei de Praescr. haereticorum cap. XVI. XIX.* Nunquam tamen in ullo horum programmatum nomen meum apparuit, quod item ab antecessore meo Walchio observatum est. Ienae vero satis notum erat professoribus et studiosis hoc genus programmatum ab Eloquentiae professore nomine eius nunquam adiecto conscribi. Itaque quum hoc munus per XXIV annos administrassem, et Prorectores post sex menses, Prorectoratum successori traderent, facile patet XLVIII eiusmodi programmata a me conscribenda et edenda fuisse. E quibus iam, praetermissis aliquot aliis, selegi XXXIV hoc volumine comprehensa, quorum series hic sequitur; non autem ea disposui secundum annorum quibus primum Ienae edita sunt ordinem, sed potius primum ea quae ad Graecos auctores, deinde ea quae ad Latinos pertinent collocata sunt. Sequuntur dissertationes quatuor philosophicae XXXI —XXXIV. Hactenus eae quae primum Ienae paucis

lectoribus, ut ſupra iam monui, in manus venerunt. Diſſertationes XXXV et XXXVI Halae poſt reditum meum ex academia Ienenſi ad Halenſem editae ſunt. Ultimam vero de verſibus aliquot in Horatii epiſtola ad Albium Tibullum (Epp. I. 4.) in praecedentem transponendis nunc demum conſcripſi. D. Halae Kalendis Februarii anno cIↃIↃcccxxx.

Chr. Godofr. Schütz,

Hiſt. literar. et Eloqu. Prof. publ. ord. in academia Fridericiana Halenſi cum Vitebergenſi conſociata.

SERIES DISSERTATIONUM.

I.

Super Homeri Odyff. XIII. v. 187 fqq. coniectura.

Pro vulg. lectione ὄφρα μιν αὐτὸν coniicitur ὄφρα μιν αὐτῷ.

II.

In aliquot Odyffeae loca obfervationes criticae.

Agitur 1) de Odyff. VII. v. 112 fqq. pag. 7 — 9. 2) de Odyff. VI. 182 fqq. pag. 9. 10. 3) de Odyff. VIII. v. 133. v. 241 fqq.

III.

Vindiciae locorum quorundam Aefchyleorum adverfus Wakefieldi crifin.

Agitur 1) de *Prometh. vinct.* v. 7. v. 18 fqq. v. 55. 167. 176. 291. 330. 406. 589. 609 fqq. v. 805. 1055. 2) de *feptem adv. Thebas* v. 24 fqq. 98. 376. 491. 1011. 3) de *Perfis* v. 79. v. 429. 700. 570. 961.

IV.

In Aefchyli Eumenid. v. 492 fqq. obfervationes.

In numero verficulorum magna hic eft varietas in edd. Primus primae ftrophae νῦν καταστροφὰς νέων eft in aliis v. 456. in aliis v. 479. in aliis aliter.

V.

De Perfarum, tragoediae Aefchyleae, forma et confilio.

XII.

Lectionum Platonicarum Particula I. in Phaedonem.

Emendationes referuntur ad cap. XX. XXIV. XI. XII. XXV. XXXII. XXXIX. XLXIII. XLXVI. XLIX. L.

XIII.

Lectionum Platonicarum Particula II. in Sympofium.

Emendantur cap. VII. IX. X. XI. XII. XIII. XIX. Conferendum etiam eft additamentum fub finem fequentis particulae in Philebum pag. 147.

XIV.

Lectionum Platonicarum Particula III. in Philebum.

Emendationes referuntur ad cap. I. V. VI. IX. X. XI. XII. XVI. XIX. XXVI. XXVIII. XXXI. etiam alia parte huius diff. pag. 133 fqq. c. I—VI. XII. XII. XIV. XV. XXIX. XXXI. XXXII. XXXIV. XXXV. XXXVII.

XV.

Obfervationes in Theocriti Idyll. XV.

Disputatur de verfibus I fqq. XXI fqq. XXXVIII.

XVI.

Loci Lucianei de hiftoria confcribenda c. 45 explicatio.

Iudicatur de verfionibus *Gesneri*, *Maffieuii*, *Wielandi* et *Belini de Ballu.*

XVII.

Specimen emendationum librorum incerti auctoris Rhetoricorum ad Herennium ex comparatione cum libris Ciceronis de Inventione fubnatarum.

Emendationes pertinent ad lib. I. cap. 6. 7. 9. 12. II. 5.

XVIII.

In Ciceronis de oratore libros animadverfionum Particula I.

Tanguntur lib. I. cap. 1. 2. 3. 10. 11. II. 2. 19. III. 25.

XXXV.

Animadverſiones criticae in Quintilian. inſt. orat. lib. VII — IX.

XXXVI.

In Perſii ſatiram primam et quartam.

XXXVII.

De verſibus aliquot in Horatii epiſtola ad Albium Tibullum (Epp. I. 4.) in praecedentem ad Iulium Florum transponendis coniectura.

DESIGNATIO

ANNORUM ET MENSIUM QUIBUS DISSERTATIONES, QUAE SEQUUNTUR, PRIMUM EDITAE SUNT.

Diſſ. I.	primum edita Ienae	6. Aug. 1787.
II.	— — —	4. Aug. 1793.
III.	— — —	4. Aug. 1799.
IV.	— — —	3. Febr. 1794.
V.	— — —	10. Aug. 1794.
VI.	— — —	28. Aug. 1795.
VII.	— — —	4. Aug. 1781.
VIII.	— — —	10. Aug. 1800.
IX.	— — —	5. Aug. 1786.
X.	— — —	5. Aug. 1797.
XI.	— — —	8. Febr. 1796.
XII.	— — —	4. Febr. 1797.
—	inde a cap. 32. —	7. Aug. 1784.
XIII.	— — —	7. Febr. 1790.
XIV.	— — —	7. Aug. 1790.
—	ſecunda pars inde a pag 13	3. Febr. 1791.
—	tertia pars — —	7. Aug. 1791.
XV.	— — —	1782.
XVI.	— — —	5. Febr. 1792.

XVII. primum edita Ienae 14. Febr. 1802.

XVIII. — — — 16. Aug. 1801.

XIX. — — — 6. Febr. 1780.

XX. — — — 4. Febr. 1787.

XXI. — — — 6. Febr. 1801.

XXII. — — — 8. Febr. 1783.

XXIII. — — — 9. Aug. 1783.

XXIV. — — — 4. Aug. 1788.

XXV. — — — 10. Febr. 1799.

XXVI. — — — 9. Febr. 1800.

XXVII. — — — 10. Febr. 1798.

XXVIII. — — — 7. Aug. 1793.

XXIX. — — — 10. Febr. 1781.

XXX. — — — 6. Aug. 1780.

XXXI. — — — 7. Febr. 1789.

XXXII. — — — 6. Aug. 1785.

XXXIII. — — — 9. Febr. 1788.

XXXIV. — — — 9. Aug. 1788.

XXXV. et XXXVI. Halae editae ſunt diſſertationes.

XXXVII. diſſ. nunc demum a me conſcripta.

Pag. 332. lin. 3. legendum *in praecedentem.*

I.

Super Homeri Odyss. XIII. v. 187 sqq. coniectura.

Non dubitamus facile plerisque Homeri lectoribus in memoriam revocari versus istos Odysseae, quibus Ulysses a Phaeaciis in Ithaca expositus describitur iam excitatus a somno, necdum patriam agnoscens, partim quod ab ea diutius absuerat, partim quod Minerva obiecta oculis nebula effecerat, ut ei omnia nova et peregrina apparerent; libr. XIII. v. 187 sqq.

187 ὁ δ' ἔγρετο δῖος Ὀδυσσεὺς,
εὕδων ἐν γαίῃ πατρωΐῃ, οὐδέ μιν ἔγνω
ἤδη δὴν ἀπεών· περὶ γὰρ θεὸς ἠέρα χεῦεν
Παλλὰς Ἀθηναίη, κούρη Διός· ὄφρα ΜΙΝ ΑΥΤΟΝ
ἄγνωστον τεύξειεν, ἕκαστά τε μυθήσαιτο,
μή μιν πρὶν ἄλοχος γνοίη ἀστοί τε, φίλοι τε,
πρὶν πᾶσαν μνηστῆρας ὑπερβασίην ἀποτῖσαι.
τοὔνεκ' ἄρ' ἀλλοειδέα φαινέσκετο πάντα ἄνακτι,
195 ἀτραπιτοί τε διηνεκέες, λιμένες τε πάνορμοι,
πέτραι τ' ἠλίβατοι καὶ δένδρεα τηλεθόωντα.

Hunc locum vulgo sic interpretantur: *Experrectus autem est nobilis Ulysses, cubans in terra patria, neque ipsam cognovit, iamdiu cum abfuisset, circum enim dea nebulam fudit, Pallas Minerva, filia Iovis, ut* EUM IPSUM IGNOTUM *faceret, singulaque ediceret: ne ipsum prius uxor cognosceret civesque amicique, quam omnem proci iniuriam*

luissent. Propterea mutata videbantur omnia regi, viaeque perpetuae, portusque undique stationibus apti petraeque altae, et arbores viventes. Similiter Ioannes Henricus *Voss*, quo nemo verius aut elegantius Homerum in recentiorem linguam transtulit:

Da erwachte der edle Odysseus
Ruhend auf dem Boden der lange verlassenen Heimat
Und er kannte sie nicht; denn eine Göttin umhüllt' ihn
Rings mit dunkler Nacht, Zeus Tochter Pallas Athene
Ihn unkennbar zu machen, und alles mit ihm zu besprechen:
Dass ihn weder sein Weib noch die Freund' und Bürger erkennten
Bis die üppigen Freyer für allen Frevel gebüsset.
Alles erschien daher dem ringsumschauenden König
Unter fremder Gestalt. Heerstrassen, schiffbare Häfen
Wolkenberührende Felsen, und hochgewipfelte Bäume.

Saepius hac imagine usi sunt veteres poetae, ut quos dii homines aliorum conspectui subtrahere vellent, hos nebula involverent. Sic Ulysses ad Alcinoi regiam tendens a Minerva nube circumfunditur: Odyss. VII. 14 sqq.

ἀμφὶ δ' Ἀθήνη
πολλὴν ἠέρα χεῦε, φίλα φρονέουσ' Ὀδυσῆϊ,
μήτις Φαιήκων μεγαθύμων ἀντιβολήσας
κερτομέοι τ' ἐπέεσσι, καὶ ἐξερέοιθ' ὅτις εἴη.

Quod imitatum esse constat Virgilium Aeneid. I. 411 sqq.

At Venus obscura gradientes aere sepsit
Et multo nebulae circum dea fudit amictu
Cernere ne quis eos, ne quis contingere posset.

Nihil opus est, ubi paucis defungi possumus, plura eiusmodi loca commemorare; qualia vel ex Iliade facile quaerenti succurrent. Verum enim vero in illo Odysseae

carmine non id agebatur, ut Pallas Ulyſſen ipſum nebulae amictu hominum oculis eriperet, ſed potius, ut regionis notas tantisper obſcuraret, ne priusquam ipſa vellet, patriam agnoſceret. Nebula igitur obiecta, totam regionis formam ita mutaverat, ut Ulyſſes, praeſertim qui tot annos abſuiſſet, nec vias nec portum, nec arbores, quibus olim haec loca internoſcere ſolitus erat, reperiret, ut nec oleam illam inſignem, nec antrum Nympharum, nec Neriti montis iuga (v. 345 ſqq.) conſpiceret.

Qui ſit igitur ut hoc loco ipſo Odyſſ. XIII. 187 ſqq. ubi non Ulyſſes aliis velandus, ſed patriae tantum orae facies mutanda erat, tamen ita verba decurrant, ut haec ipſa nebula, quam Pallas Ithacae regionibus, ne ab Ulyſſe agnoſcerentur, induxerat, ſimul hoc quoque effeciſſe dicatur, ut ne ab uxore, civibus, amicisque internoſceretur Ulyſſes? Atqui haec prorſus contraria ſunt iis quae poſtea narrantur. Primum enim hanc ipſam nebulam Homerus paullo poſt a Minerva diſſipatam narrat, ita ut vera regionis forma ac ſpecies rediret, ſimulque error Ulyſſis oculis obiectus dilaberetur; v. 352.

ὣς εἰποῦσα θεὰ σκέδασ᾽ ἠέρα, εἴσατο δὲ χθών.

Deinde conſilium Palladis, ne ſtatim Ulyſſes a ſuis agnoſceretur, ut eo tutius procos ulciſci poſſet, non nebulae amictu (qui non ut alius videretur Ulyſſes, ſed ut omnino non cerneretur, effeciſſet) ſed potius totius corporis deformatione perſiciebatur. Hunc aſtum ipſa Pallas Ulyſſi denuntiat v. 397 ſqq.

Ἀλλ᾽ ἄγε, σ᾽ ἄγνωστον τεύξω πάντεσσι βροτοῖσι,
Κάρψω μὲν χρόα καλὸν ἐνὶ γναμπτοῖσι μέλεσσι
Ξανθὰς δ᾽ ἐκ κεφαλῆς ὀλέσω τρίχας, ἀμφὶ δὲ λαῖφος
Ἕσσω, ὅ κεν στυγέῃσιν ἰδὼν ἄνθρωπος ἔχοντα·
Κνυζώσω δέ τοι ὄσσε, πάρος περικαλλέ᾽ ἐόντε·
Ὡς ἂν ἀεικέλιος πᾶσι μνηστῆρσι φανείης
Σῇ τ᾽ ἀλόχῳ, καὶ παιδὶ τὸν ἐν μεγάροισιν ἔλειπες.

Et haec quidem Ulyffis deformatio fub finem libri XIII. peragitur; ubi Pallas Ulyffem virga tangit; quo facto cutis arefit, flavi crines delentur, oculi deturpantur, additur etiam veftium fqualor, ut heros erronis cuiusdam mendici perfonam indueret.

Ut igitur ab illo, quem tractamus, loco, omnem offenfionis caufam amoveamus, nihil nobis confultius effe videtur, quam ut una tantum litera mutata, aliamque, quam quae vulgo editoribus placet, interpungendi rationem fecuti, ita verficulos conftituamus:

ὁ δ᾽ ἔγρετο δῖος Ὀδυσσεὺς
Εὕδων ἐν γαίῃ πατρωΐῃ, οὐδέ μιν ἔγνω,
Ἤδη δὴν ἀπεών· περὶ γὰρ θεὸς ἠέρα χεῦεν
Παλλὰς Ἀθηναίη, κούρη Διός, ὄφρα μιν ΑΥΤΩ͂ι,
Ἄγνωστον τεύξειεν, ἕκαστά τε μυθήσαιτο,
Μή μιν πρὶν ἄλοχος γνοίη, ἀστοί τε, φίλοι τε,
Πρὶν πᾶσαν μνηστῆρας ὑπερβασίην ἀποτῖσαι.

Hic igitur vulgarem lectionem *αὐτὸν* v. 190. in *αὐτῷ* mutavimus, et pro figno coli quod vulgo poft *μυθήσαιτο* v. 191. appingitur, commate tantum diftinximus. Senfum, qui iam planus, concinnus, facilis exoritur, nec quidquam habet, quod fequentibus repugnet, ita declaramus: *Iam igitur nobilis Ulyffes, qui adhuc in patriae telluris folo dormiens recubuerat experrectus eft, ita tamen ut patriam hanc fuam, praefertim cum ab ea tamdiu abfuiffet, prorfus non agnofceret; etenim dea Pallas Iovis filia circum* eam *nebulam fuderat, ut eam* IPSI (Ulyffi) *ignotam redderet et* (hac ipfa techna occafionem cum eo colloquendi nacta) *omnia ei ediceret*, (confilia, omnia quae deinceps ab eo fieri vellet, cum eo communicaret) *ne eum uxor, cives amicique prius cognofcerent, quam proci omnis iniuriae poenas dediffent. Hanc igitur ob caufam* (propter nebulam illam ifto confilio regioni obiectam) *omnia regi mutata videbantur.*

Quod Ernesti putabat particulam *ΓΑΡ* versu 189. h. l. adversative poni, pro *δὲ*, nihil opus est ut hanc vim ei tribuamus, quam recte docuit Hoogeveenus prorsus ab ea alienam esse. Respicit vero, ut saepe, brevem quandam enuntiationem, quae omissa quidem facile suppleri potest; quasi diceretur, *experrectus est nobilis Ulysses dormiens in patria terra*, *neque eam agnovit*, *partim quia diutius abfuerat*, partim vero aliam ob causam; *etenim nebulam offuderat Minerva regioni;* vel si mavis hoc modo: *neque eam agnovit tum propter diuturnam absentiam*, tum ob singulare Minervae commentum, *namque dea* etc.

Quae versibus 192 sq. continentur, *μή μιν πρὶν — ἀποτῖσαι*, ea non ut vulgo, referenda censemus ad verba *περὶ γὰρ θεὸς ἠέρα χεῦεν*, sed arctissime cum *ἕκαστά τε μυθήσαιτο* copulamus. Nimirum si Ulysses statim, simulac somno solutus oculis regionem perlustrasset, Ithacam patriam suam agnovisset, quid aliud ei prius fuisset, quam ut continuo domum pergeret? Ita igitur Minerva commoda cum eo sermones conferendi occasione caruisset; quam nunc illo ipso consilio sibi parabat, quo regionis forma ac specie mutata Ulyssem adigebat, ut eam sibi occurrentem alloqueretur, et ubinam locorum versaretur, ex ea quaereret.

Ceterum haud ignoramus Dacieriam vocabulo *ἄγνωστον* versu 191. activam vim tribuisse, ut sit i. q. *non agnoscentem haec loca.* Sed fieri non potest ut calculum eius opinioni adiiciat, qui versum 191. cum sequentibus comparaverit. Quid enim? Si Homerus dixisset: *nebulam circumfudit dea*, *ut Ulyssem faceret non agnoscentem haec loca*, *utque ipsa de omnibus cum eo colloqui posset; ne prius eum uxor amicique internoscerent*, *quam proci poenas dedissent; hanc igitur ob causam omnia nova et ignota videbantur Ulyssi;* quomodo tandem haec duo inter se cohaererent; ab *Ulysse terram haud nosci;* et Ulyssem ab *uxore amicisque non agnosci?* Accedit autem quod *ἄγνω-*

στος femper apud Homerum paffive ponitur, numquam active. Sic Odyff. 13. 175.

ἀπὸ πάντας ἑταίρους
ἌΓΝΩΣΤΟΝ πάντεσσιν ἐεικοστῷ ἐνιαυτῷ
οἴκαδ' ἐλεύσεσθαι.

et Odyff. XIII. 397.

Ἀλλ' ἄγε, σ' ἌΓΝΩΣΤΟΝ τεύξω πάντεσσι βροτοῖσι.

Et quemadmodum his locis vocabulo ἄγνωστος dativus perfonae additur, fic h. l. verifimile eft Homerum fcripfiffe

ὄφρα μιν αὐτῷ
ἄγνωστον τεύξειεν.

Quandoquidem vero inter philologos haud pauci funt, qui ab omni in veterum libris, nifi codices manufcripti addicant, quicquam de coniectura immutandi conatu prorfus abhorrent, facile praevidemus futuros, quibus confilium noftrum verba ὄφρα μιν αὐτὸν in ὄφρα μιν αὐτῷ mutandi, displiceat. His igitur aliam viam proponimus huius loci difficultatem interpretatione potius quam falce critica fublevandi. Nempe fi particulam ὄφρα h. l. non, ut vulgo exiftimant, *ut*, fed potius *donec* fignificare ftatuamus, concinnius certe quam adhuc ab interpretibus factum eft, Homeri verficulos iftos interpretari liceat, hoc modo: *Experrectus autem eft nobilis Ulyffes cubans in patria terra, neque ipfam agnovit iamdiu cum abfuiffet; circum enim eam dea nebulam fudit Pallas Minerva filia Iovis,* DONEC *eum ipfum ignotum faceret fingulaque ediceret, ne ipfum prius uxor cognofceret civesque amicique, quam omnem proci iniuriam luiffent.* Veruntamen huic rationi non tantum tribuimus, ut ei emendationem noftram poftponere velimus. Hac enim prorfus tollitur difficultas, quae illa interpretandi via mollitur tantum, haud prorfus evanefcit.

II.

In aliquot Odysseae loca observationes criticae.

In luculentissima hortorum Alcinoi descriptione quae legitur Odyss. VII. v. 112 sqq. primo loco memoratur pomarium, in quo piri, mali, ficus oleaeque crescebant, quarum arborum beatissimam ubertatem his potissimum versiculis poeta declarat:

Ὄχνη ἐπ' ὄχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ,
Αὐτὰρ ἐπὶ σταφυλῇ σταφυλή, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

Hic interpretes vocabulum *σταφυλὴ* de *uvis* proprie sic dictis accipiunt. Sed hoc incommodum est propterea, quod nec antea in arborum enumeratione vitis erat nominata, et statim diserta sequitur vineae descriptio. Quaerendum igitur an *σταφυλὴ* forte Homeri aetate de *baccis olivarum* usurpatum fuerit, quemadmodum *στέμφυλα* aeque *olivarum fraces* atque uvarum in torculari expressarum retrimenta notat.

Sed ii qui sequuntur versus, in quibus vinea describitur, ut nunc quidem leguntur, perplexitate quadam orationis laborant, quam haud scimus an nemo adhuc philologorum observaverit:

Ἔνθαδέ οἱ πολύκαρπος ἀλωὴ ἐῤῥίζωται·
Τῆς ἕτερον μὲν θειλόπεδον λευρῷ ἐνὶ χώρῳ
Τέρσεται ἠελίῳ· ἑτέρας δ' ἄρα τε τρυγόωσιν,
Ἄλλας δὲ τραπέουσι· πάροιθε δέ τ' ὄμφακές εἰσιν
Ἄνθος ἀφιεῖσαι, ἕτεραι δ' ὑποπερκάζουσιν.

Primum hic obſcuriuscule dicitur *πολύκαρπος ἀλωὴ*, quae verba ſic poſita parum valent ad *vineam*, quae iam deſcribenda erat, deſignandam. Quemvis enim agrum bene cultum *πολύκαρπος ἀλωὴ* ſignificare poteſt, quo ſit ut, *vinea* haud ſatis his verbis definita, auditor incertus haereat, nec, de quanam hortorum parte iam acturus ſit poeta, facile aſſequatur. Longe dilucidius vinea deſignatur in ſcuti Achillei deſcriptione Iliad. *Σ*. v. 561 ſq.

Ἐν δ' ἐτίθει σταφυλῇσι μέγα βρίθουσιν ἀλωὴν
Καλὴν χρυσείην, μέλανες δ' ἀνὰ βότρυες ἦσαν·

ubi poeta, quamquam eodem vocabulo *ἀλωὴ* uſus eſt, id tamen adiunctis verbis *σταφυλῇσι μέγα βρίθουσαν* ſic declaravit, ut, quin de vinea agatur, nemo poſſit ambigere. Longe ſecus eſt in verſiculo, quem tractamus, ubi *πολύκαρπος ἀλωὴ* cum per ſe ambiguum, tum multo magis, quod vocabulum *κάρπος* verſiculis proxime antecedentibus bis de arborum fructibus poſitum erat. Sed in promtu eſt huius incommodi medela, ſi ponamus Homerum edidiſſe:

Ἔνθαδέ οἱ ΠΟΛΥΒΟΤΡΥΣ ἀλωὴ ἐῤῥίζωται.

Ut autem lectioni *πολύβοτρυς* olim ſubſtitueretur lectio *πολύκαρπος*, facile librarii culpa accidere potuit, cuius memoriae *ἀγλαόκαρπος* e v. 115. obverſaretur. Paulo poſt offendimur ellipſi duriſſima in verbis *ἑτέρας* — *τρυγόωσιν*, *ἄλλας δὲ τραπέουσι*. Nempe intelligendum eſſet *σταφυλὰς*, quod pro ea qua utitur Homerus in ſtruendis ſerendisque verbis perſpicuitate minime hic omitti debebat. Praeterea valde deſideramus concinnitatem verborum Homericam, ubi *ἕτερον μὲν θειλόπεδον* et *ἑτέρας μὲν*, nomine haud adiuncto quocum copuletur *ἑτέρας*, inter ſe opponuntur. Quid multa? Facili ut opinamur, remedio tollitur quidquid hoc eſt incommodi, ſic reſcribendo;

Τῆς ἑτέρη μὲν θειλόπεδον λευρῷ ἐνὶ χώρῳ
Τέρσεται ἠελίῳ· ἑτέρη δ' ἄρα τε τρυγόωσιν
Ἄλλη δὲ τραπέουσι· πάροιθε δέ τ' ὄμφακές εἰσιν.

Ceterum ſi quis h. l. ex verſione Voſſiana aeſtimaverit, textu graeco non adhibito, is profecto nuspiam offendetur:

Allda prangt auch ein Feld von edlen Reben *beſchattet,*
Einige Trauben *dorren auf weiter Ebne des Gartens,*
An der Sonne verbreitet, und andre ſchneidet der Winzer,
Andre keltert man ſchon.

Sed neminem, qui Graeca legerit, praeterire poteſt, doctiſſimum interpretem, illam ipſam quae nos offendit, difficultatem, adiectis quibusdam verbis, quae in textu graeco deſiderantur, ſublevaſſe. Ceterum *θειλόπεδον*, quod olim latine *apricum ſolum* vertere ſolebant, de cratibus, in quibus uvae ſiccabantur, intelligendum eſſe tum ipſa orationis ſtructura monet, inepte enim diceretur *apricum ſolum lato in loco,* tum uſus vocabuli ſatis notus, tum res ipſa a ſcriptoribus rei ruſticae memorata v. c. a Columella lib. XII. cap. 16.

Odyſſ. VI. 182 ſqq. in pulcherrimis verſibus:

Οὐ μὲν γὰρ τοῦ γε κρεῖσσον καὶ ἄρειον,
Ἢ ὅθ᾽ ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή· πόλλ᾽ ἄλγεα δυςμενέεσσιν,
Χάρματα δ᾽ εὐμενέτῃσι, μάλιστα δέ τ᾽ ἔκλυον αὐτοί.

ultima verba vitii aliquid a librariorum manu traxiſſe videntur. Etſi enim in Cl. Voſſii verſione nihil uspiam eſt quod lectorem offendat:

denn nichts iſt beſſer und wünſchenswerther auf Erden
Als wenn Mann und Weib in herzlicher Liebe vereinigt,
Ruhig ihr Haus verwalten, den Feinden ein kränkender Anblick,
Aber Wonne den Freunden; und mehr noch genieſsen ſie ſelber,

non tamen apparet, quomodo *μάλιστα δέ τ' ἔκλυον αὐτοὶ* ſignificare poſſit *maxime autem ipſi fruuntur*. Sed Voſſius hic ſcholiaſten ſecutus eſt, qui ſic interpretatur, *τῆς πρὸς ἀλλήλους εὐνοίας αἰσθάνονται καὶ ἀπολαύουσιν*. Si genuina ſint verba, profecto nihil aliud intelligitur, quam hoc: *maxime autem ipſi celebrantur*, ut *κλύειν* ſit i. q. *εὖ κλύειν*, Vel ſic tamen Homeri concinnitatem et ſtructurae facilitatem deſideramus. Itaque antiquitus hoc modo lectos eſſe coniicimus verſiculos:

Οὐ μὲν γὰρ τοῦ γε κρεῖσσον καὶ ἄρειον·
Ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή, πόλλ' ἄλγεα δυςμενέεσσι,
Χάρματα δ' εὐμενέτῃσι, μάλιστα δέ τε ΚΛΕΌΣ ΑΥ̓ΤΟΙ͂Σ.

Sic in loco ad compoſitionem verborum ſimillimo, quo Hector Paridem obiurgat Iliad. *Γ*. 51.

Πατρί τε σῷ μέγα πῆμα, πόληΐ τε, πάντι τε δήμῳ,
Δυςμένεσιν μὲν χάρμα, κατηφείην δέ σοι αὐτῷ,

tribus nominibus deſignatur, quid Helena ab ipſo rapta primum patri eius et civibus, deinde inimicis, denique ipſi, adultero, attulerit, *πῆμα* — *χάρμα* — *κατηφείην*; eadem igitur verborum conſecutione, h. l. *ἄλγεα* — *χάρματα* — *κλέος* poſita fuerunt, ad varium ſcil. fructum, qui e domeſtica coniugum felicitate vel ad inimicos, vel ad amicos, vel ad ipſos coniuges redundet, declarandum.

Odyſſ. *Θ*. 133. Poſtquam Phaeaces pugillatu, lucta, diſco, curſu inter ſe contenderant, Laodamas Ulyſſen ad eadem certamina provocaturus, ex forma corporis eum haud recuſaturum coniicit, quo minus ipſe quoque quid in eo genere poſſet, oſtenderet:

Δεῦτε, φίλοι, τὸν ξεῖνον ἐρώμεθα εἴ τιν' ἀέθλων
Οἶδέ τε, καὶ δεδάηκε· Φυὴν γε μὲν οὐ κακός ἐστι
Μηρούς τε, κνήμας τε, καὶ ἄμφω χεῖρας ὕπερθεν,

Αὐχένα τε στιβαρὸν, μέγα τε σθένος, οὐδέ τι ἥβης
Δεύεται, ἀλλὰ κακοῖσι συνέῤῥηκται πολέεσσιν.

Primum h. l. mirum poteſt videri, Laodamantem, cum ſemora, crura, brachia, cervices nominaſſet, nullam *pectoris* mentionem facere, in quo tamen praecipuum eſt momentum ad coniecturam de hominis robore ac fortitudine faciendam. Alibi certe haud omittitur pectus, ut Odyſſ. Σ. 66. de eodem Ulyſſe

φαῖνε δὲ μήρους
Καλούς τε μεγάλους τε, φάνεν δέ οἱ εὐρέες ὦμοι
Στήθεά τε, στιβαροί τε βραχίονες —

Praeterea non ſatis intelligitur, quomodo Laodamas in enumeratione membrorum Ulyſſis apponere potuerit *μέγα τε σθένος*. Erat enim in eo ut *φυὴν*, corporis ſtaturam, deſcriberet, e qua ſuſpicari alii poſſent Ulyſſen haud rudem eſſe certaminum. Hic profecto alienum erat *μέγα τε σθένος*. Id enim colligendum erat ex habitu corporis, non in ſerie membrorum extremo loco ponendum. Callidiſſime Voſſius in verſione ſupplevit pectoris mentionem, quam vix abeſſe hic poſſe ſenſerat.

Unedel iſt ſeine Geſtalt nicht
Seine Lenden und Schenkel, und beide nervichten Arme
Und die hohe Bruſt und der ſtarke Nacken.

Sed quid ipſe de textu graeco ſtatuerit, aut quomodo eum conformandum cenſuerit, ignoramus. Nobis autem in mentem venit, fortaſſe Homerum ita ſcripſiſſe:

Αὐχένα τε, ΣΤΗΘΟΥΣ ΤΕ ΜΕΓΑ ΣΘΕΝΟΣ

quod proxime ad literarum veſtigia in vulgata lectione expreſſa accedit. Qui autem *στιβαρὸν* ſervare cupiat, is videat an legendum ſit:

Αὐχένα τε στιβαρὸν, καὶ στήθεα

Sed nobis adhuc prior illa ratio magis placet. Imo ſi quis omnino neget aliquid in textu mutandum eſſe, hoc certe dabit, parum apte inter ſe per repetitam copulandi

particulam τε inter ſe connexa eſſe nomina membrorum corporis, et μέγα σθένος, ideoque non recuſabit, quo minus ultimum τε inter μέγα et σθένος in δὲ mutetur, interpunctione quoque paullo aliter conſtituta:

Φυὴν γε ΜΈΝ οὐ κακός ἐστι
Μηρούς τε, κνήμας τε, καὶ ἄμφω χεῖρας ὕπερθεν
Αὐχένα τε στιβαρόν· μέγα ΔΈ σθένος —

ſic φυὴν γε μὲν, et μέγα δὲ σθένος mutua relatione coniunguntur; *certe ad ſtaturam quidem quod attinet, minime contemnendus eſt, ſi quis vel femora, vel crura, vel manus, vel cervicem firmam inſpiciat; magnum vero robur ei ineſt, neque vero vigor aetatis ei deeſt, niſi quod eum multa mala afflixerunt*, ideoque paullo nunc languidior videtur.

Sed in eadem narratione de certaminibus Phaeacum, praeſente Ulyſſe, ab Alcinoo inſtitutis, primum operae pretium eſt callidum poetae artificium in moribus oratione declarandis exemplo nondum obſervato demonſtrare. Initio enim Alcinous Phaeaces ſuos ob variorum certaminum, nominatim pugilatus, luctae, ſaltus, curſus, peritiam magnopere laudaverat v. 100 ſqq.

Νῦν δ᾽ ἐξέλθωμεν καὶ ἀέθλων πειρηθῶμεν
Πάντων. ὥς χ᾽ ὁ ξεῖνος ἐνίσπῃ οἷσι φίλοισιν
Οἴκαδε νοστήσας, ὅσσον περιγινόμεθ᾽ ἄλλων
Πύξ τε, παλαισμοσύνῃ τε, καὶ ἅλμασιν, ἠδὲ πόδεσσιν.

Finitis autem Phaeacum ludis Ulyſſes a Laodamante ad ſocietatem certaminis invitatus, cum id quod petebatur ob corporis et animi laſſitudinem recuſaſſet, ab Euryalo autem dicteriis laceſſitus eſſet, non ſolum ipſe diſci iactu ceteros vincit, ſed etiam omnes Phaeaces, Laodamante ob hoſpitii neceſſitudinem excepto provocat, ut ſive curſu, ſive lucta, ſive curſu ſecum contendant. Hic primum nemine ad certamina ſe offerente, Alcinous Ulyſſem ob iniuriam ei ab Euryalo illatam placare ſtudet, deinde autem, ne ſcilicet prorſus oblitteretur Phaeacum gloria, id

quod antea de eorum artibus iactaverat, nova ratione definit ac circumſcribit: v. 241 ſqq.

Ἀλλ' ἄγε, νῦν ἐμέθεν ξυνίει ἔπος, ὄφρα καὶ ἄλλῳ
Εἴπῃς ἡρώων, ὅτε κεν σοῖς ἐν μεγάροισι,
Δαινύῃ παρὰ σῇ τ' ἀλόχῳ καὶ σοῖσι τέκεσσιν
Ἡμετέρης ἀρετῆς μεμνημένος, οἷα καὶ ἡμῖν
Ζεὺς ἐπὶ ἔργα τίθησι διαμπερὲς ἐξέτι πατρῶν.
Οὐ γὰρ πυγμάχοι εἰμὲν ἀμύμονες, οὐδὲ παλαισταὶ
Ἀλλὰ ποσὶ κραιπνῶς θέομεν καὶ νηυσὶν ἄριστοι.
Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη, κίθαρίς τε χοροί τε,
Εἵματά δ' ἐξημοιβὰ, λοετρά τε θέρμα καὶ εὐναί.

Mirum eſt quam callide Alcinous cum videret in diſci iactu, in lucta, in pugillatu, in ſagittandi peritia Phaeaces cum Ulyſſe haud contendere poſſe, rurſus ea tantum nominet, quibus cives ſuos eo ſuperiores eſſe certe ſciebat. Nam in curſus celeritate iam Ulyſſes ipſe inferiorem ſe nunc quidem futurum profeſſus erat v. 230.; itaque quin ei in ſaltando palmam praeriperet nullum erat dubium. Navigandi autem peritia manifeſto excellebant, in arte denique fidibus et voce canendi Ulyſſes iam Demodocum expertus erat. Sed in hac Alcinoi oratione plane praeter rem, aſſutus eſſe videtur verſiculus

εἵματα δ' ἐξημοιβὰ, λοετρά τε θέρμα, καὶ εὐναί.

Nimirum ſi vitam voluptariam iactare voluiſſet Alcinous, aptiſſima fuiſſet harum rerum commemoratio. Nunc autem, cum in eo ſit ut artes Phaeacum, quibus maxime confidant, laudet, (*οἷα καὶ ἡμῖν Ζεὺς ἐπὶ* "*ΕΡΓΑ τίθησι*) ridiculum profecto ſit veſtium opulentiam, balneorum calidorum delicias, lectulorumque commoditates proferre. Quare hunc verſiculum

εἵματα δ' ἐξημοιβὰ, λοετρά τε θέρμα καὶ εὐναί

a Grammatico quodam e ceteris, quae de Phaeacibus narrantur conſutum, perperamque h. l. intruſum eſſe

opinamur. Quo quidem eiecto, non solum in versiculo

αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη, κίθαρίς τε, χοροί τε

ultimum verbum proxime cohaeret cum sequenti

ἀλλ' ἄγε Φαιήκων βητάρμονες etc.

sed etiam quae deinde sequuntur

ὅσσον περιγίνομεθ' ἄλλων
ναυτιλίῃ καὶ ποσσὶ, καὶ ὀρχηστυῖ, καὶ ἀοιδῇ.

aptiorem habent eorum quae ante v. 247. 248. laudata erant repetitionem. Certe si versus ille 249. ab Homero profectus sit, hoc sane fatendum est, eum melius abfuisse.

III.

Vindiciae locorum quorundam Aeſchyleorum adverſus Wakefieldi criſin.

Anno MDCCLXXXIX *Gilbertus Wakefield* Cantabrigiae edidit *Silvam Criticam ſive in Auctores ſacros profanosque Commentarium philologum*, quo in libro tribus partibus finito multam quidem lectionem, foecundumque ad excogitandas lectionis receptae correctiones ingenium, prodidit, idem tamen iuvenili quadam laſcivia ſaepiſſime integerrima ſcriptorum loca vexavit, novasque lectiones ingenio repertas, cum Pauviano ſupercilio tanquam unice veras veterum libris obtruſit. Inter hos *Aeſchyli* quoque tragoedias ſaepius tentavit; quod quo eventu fecerit, e compluribus locis patebit, quorum emendationes ab eo propoſitas nunc ſtrictim examinabimus.

Prom. vinct. V. 7. *Τὸ σὸν γὰρ ἄνθος, παντέχνου πυρὸς σέλας,*

miſere orationis nexum discerpendo ſic refingit:

Τὸ σὸν γὰρ, ἄνθος παντέχνου πυρὸς, ΣΕΒΑΣ

quo quidem commento non ſolum pulchra orationis concinnitas prorſus deformatur, ſed etiam novum vocabulum ſine cauſa probae lectioni ſubſtituitur.

In verſiculis 18 ſeqq.

χροιᾶς ἀμείψεις ἄνθος. ἀσμένῳ δέ σοι
ἡ ποικιλείμων νὺξ ἀποκρύψει φάος
πάχνην θ᾽ ἑῴαν ἥλιος σκεδᾷ πάλιν

nimis patienter editores tuliſſe queritur vocabulum *ἀσμένῳ*, quod ineptiſſimum ſit, et vel *ἡμμένῳ vincto*, vel *ἀ μ μ έ ν ῳ*

uſto ſubſtituendum cenſet. Mirum eſt, quantum valeat corrigendi libido! Hac enim ſola efficitur, ut Wakefieldus ad ſentiendam Aeſchyleae lectionis veritatem ſenſumque ex ipſis naturae fontibus hauſtum hebeſcat. Prometheus dicitur doloris impatientia diei noctisque viciſſitudinem anxie expetiturus; eadem ratione qua Iobus cap. IV, 4. queritur: *Cum cubitum ibam, dicebam: quam mox ſurgam; et inde a primo diluculo horas numerabam noctis deſiderio.*

V. 55. *Λαβὼν νιν ἀμφὶ χερσὶν ἐγκρατεῖ σθένει*
Ῥαιστῆρι θεῖνε πασσάλευε πρὸς πέτραις.

Wakefieldus novum robur huic ſententiae conciliaturus, reponit:

Λαβών νιν, ἀμφὶ χερσὶν ἐγκράτει, σθένου, Ῥαιστῆρι θεῖνε.

et conſerri iubet Euripidis Oreſten, v. 1310. cui loco aſyndeton quidem huiusmodi, nihil autem aliud ineſt, quod ad commendandam ſcripturae Aeſchyleae oblitterationem valeat.

V. 167. *ἦ μὴν ἔτ᾽ ἐμοῦ, καίπερ κρατεραῖς ἐν γυιοπέδαις αἰκιζομένου, χρείαν ἕξει μακάρων πρύτανις*

Wakefieldo in mentem venit: *αἰκιζόμενος*. Emendationem plane inutilem nullo argumento firmat, niſi quod lectores ad verſiculos 195. 227. ablegat, in quibus, quod nemo dubitat, *αἰκιζόμενος* active ponitur. Imo vero ut nobis mutandam eſſe vulgatam lectionem perſuaderet, docendum erat *αἰκιζόμενος* ſenſu paſſivo inauditum eſſe.

V. 176. *πρὶν ἂν ἐξ ἀγρίων*
Δεσμῶν χαλάσῃ

Wakefieldus audet corrigere *θεσμῶν*, atque id ipſi videtur imprimis elegans. Imo nihil eſt inſicetius. Quid enim eſt, cur apta vocabuli *δεσμῶν* proprietate offendatur? quod, ſi opus eſſet, vel ſimili loco v. 999. confirmari poſſet

πρὶν

πρὶν ἂν χαλασθῇ δεσμὰ λυμαντήρια.

V. 291. Wakefieldus negat se locutionem ὅτῳ μείζονα μοῖραν νείμαιμ' ἢ σοι, posse concoquere. Quasi inauditae essent formulae πλέον τινὶ νέμειν, μεῖζον μέρος τινὶ νέμειν, *plus alicui tribuere.* Ad quorum similitudinem proxime accedit μείζονα μοῖραν τινὶ νέμειν. Quod autem Wakefieldus, levissimo ut ait, negotio reponit:

οὐκ ἔστιν ὅτῳ μεῖζον' ἂν οἶκτον
νείμαιμ', ἢ σοι

non animadvertit ineptissimam hac ratione tautologiam Aeschylo adscribi. Oceanus dixerat se misericordia Promethei tangi:

ταῖς σαῖς δὲ τυχαῖς, ἴσθι, συναλγῶ.

Huius συμπαθείας caussam duplicem affert, alteram ex consanguinitate, alteram e summa Promethei observantia ductam. E correctoris autem nostri emendatione hic exsisteret sensus: *Misericordia me tua mala afficiunt; primum quod mihi cognatus es, deinde quod nemo est, praeter te, cuius me magis misereat.*

V. 330. ζηλῶ σ' ὅθ' οὕνεκ' ἐκτὸς αἰτίας κυρεῖς.

Vocabulum αἰτίας, quo nihil aptius cogitari potest, (cum Prometheus hoc dicat, se mirari qui factum sit, ut Oceanus ne in culpae quidem societatem cum Prometheo venerit, cum tamen omnia una cum eo communiter gesserit,) id sordidissimam maculam appellat Wakefieldus, et reponere iubet: αἰκίας. At hoc non est emendare, sed alea ludere. Operae pretium non est monere, lectionem Robortellianam ζημίας, in qua Wakefieldus interpretationem τοῦ αἰκίας invenisse sibi visus est, non alia ex caussa, quam ex aberratione librarii vel typothetae ad versum antecedentem, in quo occurrit ζημία derivandam esse.

V. 406. pro *αἰχμὰν* quae lectio eſt exquiſita et poetico ſpiritu plena Wakefieldus ſubſtituit *ἀρχάν*. Quod minime admittendum. Paullo poſt autem felicius ei ceſſit aliquando emendandi conſilium. Pro vulgato enim:

πρόπασα δ' ἤδη στονόεν
Λέλακε χώρα

legendum arbitratur: *πρόπασα δ' ἧδε στονόεν λέλακε χώρα;* quod utique habet, quo ſe commendet.

V. 589. locum a Pauwio quidem ſollicitatum, aliorum vero iudicio ſanum et integrum transpoſitione ſublevandum cenſet.

Εὔελπίς εἰμι τῶνδέ σ' ἐκ δεσμῶν ἔτι
Λυθέντα μηδὲν μεῖον ἰσχύσειν Διός.

Wakefieldus vocabula *ἔτι* et *Διὸς* loca inter ſe permutare iubet; quo nihil aliud efficitur, quam ut *Διὸς* in priore verſu collocatum frigeat, et *μηδὲν μεῖον* nomine deſtituatur, ad quod comparativus *μεῖον* reſpiciat.

V. 609 ſeqq. *Ἀλλ' ἐμοὶ τορῶς τέκμηρον ὅ τι μ' ἐπαμμένει παθεῖν, τί με χρὴ, τί φάρμακον νόσου.* mirifice ſibi placet Wakefieldus reponendo: *τι μοι χρᾶ* *mihi aliquid oraculi effare.* Nihil vidimus ineptius.

V. 805. Prometheus Ioi vaga itinera, quae ei impendeant, vaticinans, ad Gorgonas quoque eam venturam demonſtrat.

"Ας θνητὸς οὐδεὶς εἰςιδὼν ἕξει πνοάς·

Tum ſic pergit:

Τοιοῦτο μέν σοι τοῦτο φρούριον λέγω,
"Αλλην δ' ἄκουσον δυσχερῆ θεωρίαν.
'Οξυστόμους γὰρ Ζηνὸς ἀκραγεῖς κύνας
Γρύπας φυλάξαι.

Nihil planius eſt, quam vocabulum *φρούριον* denotare *aliquid, quod magnopere praecavendum ſit*, ſicut ſtatim eam

iubet Gryphas *φυλάξαι*. Prorsus igitur inutile et incommodum est, quod Wakefieldus excogitavit:

Τοιοῦτο μέν σοι τοῦτο φροίμιον λέγω.

V. 1055. — *Χθόνα δ' ἐκ πυθμένων*
Αὐταῖς ῥίζαις πνεῦμα κραδαίνοι.

sine causa Wakefieldus reponit *ἀργαῖς ῥιπαῖς*. Haud melius est quod ad v. 1060 in mentem ei venit.

Ἔς τε κελαινὸν
Τάρταρον ἄρδην ῥίψειε δέμας
Τοὐμὸν ἀνάγκης στεῤῥαῖς δίναις.

Wakefieldus *στείραις δειναῖς* audaciore, ut ipse fatetur, calamo, Aeschylo appingit; quod ferri posset, si de Prometheo ageretur catenis vinciendo; nunc cum Aeschylus deturbationem in Tartarum, adeoque motum ad locum, non quietem in loco describat, iterum nobis inanes paleas pro solidis granis venditavit Criticus noster.

In Sept. Adv. Thebas versus 24 sqq.

Νῦν δ' ὡς ὁ μάντις φησὶν, οἰωνῶν βοτὴρ
Ἐν ὠσὶ νωμῶν καὶ φρεσὶν, πυρὸς δίχα
Χρηστηρίους ὄρνιθας ἀψευδεῖ τέχνῃ

Wakefieldo propterea displicent, quod *οἰωνῶν βοτὴρ* commode explicari posse non videatur. Itaque versus partim corrigendo, partim transponendo hunc in modum sublevandos censet:

Νῦν δ' ὡς ὁ μάντις φησὶν, οἰωνῶν ποτὴν
Χρηστηρίους τ' ὀρνίθας ἀψευδεῖ τέχνῃ
Ἐν ὠσὶ νωμῶν καὶ φρεσὶ πυρὸς δίχα.

Enimvero *οἰωνῶν βοτὴρ* paullo audaciore sermonis figura significare potest *oraculorum curatorem s. praefectum*, (i. q. *οἰωνοθετὴς*, *οἰωνοσκοπὸς*;) Wakefieldi saltem ratio vel propterea non est admittenda, quod notio speciei cum notione generis non potest per appositionem copulari, quod fieret si *οἰωνῶν ποτὴν χρηστηρίους τ' ὀρνίθας* lege-

retur. Praeterea χρηστηρίους ὄρνιθας de avibus oscinibus intelligere usus loquendi vetat.

V. 98. ἀκμάζει βρετέων ἔχεσθαι.

Sine causa idonea Wakefieldus emendat:

ἀκμὰ ζεῖ βρετέων ἔχεσθαι,

q. d. *fervet occasio.*

V. 376. ubi vulgo legitur

σπουδῇ δὲ καὶ τοῦδ' οὐκ ἀπαρτίζει πόδα

interpretandi difficultatem, quae ex verbo ἀπαρτίζει suboritur Wakefieldus tollendam putat emendando ἀπαρτάει *suspendit*, quod, cum Aeschylus contractionem non negligat, admitti non potest.

V. 491. Ἅλω δὲ πολλὴν

Wakefieldus indubitatam lectionem restituisse sibi videtur, ἅλω δὲ πολιάν· quod epitheton an unquam de clypeo usurpatum sit, valde dubitamus.

V. 1011. Στυγῶν γὰρ ἐχθροὺς θανατὸν εἵλετ' ἐν πόλει. Sic vulgo legitur in edd. At Robortelliana habet εἴργων quod Piersonus nuper restituit. Optime vero Wakefieldus divinavit veram lectionem esse στέγων, e quo librariorum errore factum est στυγῶν, et cuius glossa est εἴργων in Robort.

In Persis v. 79. pro lectione vulgata κυάνεον δ' ὄμμασι

λεύσσων φονίου δέργμα δράκοντος

elegans est emendatio Wakefieldi

κυανέου δ' ὄμμασι λεύσσων
φόνιον δέργμα δράκοντος.

Prorsus autem inutilis est coniectura, qua versiculum 829.

τοιῶνδε γ' ἀρχόντων ὑπεμνήσθην πέρι

sic refingendum opinatur:

τὰ τῶνδ' ἀπαρκῶσ', ὧν ὑπεμνήσθην πέρι

atque haec de illis quos memoravi sufficiant.

V. 429. Ἀκταὶ δὲ νεκρῶν χοίραδές τ' ἐπλήθυον

Wakefieldus, quod verſu proxime praecedente occurrat πληθύουσα variandae orationis gratia emendat: ἐπήνθεον, quod ſane non eſſet aſpernandum, ſi Aeſchylus contractionem ſoleret negligere. Sed nihil eſt correctione opus. Nam in fervida narratione eiusdem aut ſimilis verbi repetitio non languorem orationi ſed vim ſaepe addit.

Fruſtra quoque tentatur locus Perſ. v. 700.

Ἀλλ' ἐπεὶ δέος παλαιόν σοι φρενῶν ἀνθίσταται

ubi W. ἀνθάπτεται reponi vult.

At in eadem tragoedia v. 427.

Κακῶν δὲ πλῆθος, οὐδ' ἂν εἰ δέκ' ἤματα
Στοιχηγοροίην, οὐκ ἂν ἐκπλήσαιμί σοι

haud ſcimus an recte emendaverit ἐκπρήξαιμι, apte comparato loco Homerico Od. Ξ. 196.

Nec minus probabilis eſt coniectura qua locum Perſ. 570.

Βαρὺ δ' ἀμβόασον
Οὐράνι' ἄχη, ὄα.
Τεῖνε δὲ δυςβάϋκτον
Βοᾶτιν τάλαιναν αὐδάν

ſic refingit:

Τεῖνε δὲ δυςβάϋκτον
Βοὰν, τριτάλαιναν αὐδάν.

hac lege ut in antiſtrophico legatur

τὸ πᾶν δὲ κλύουσιν ἄλγος

ubi vulgo legitur τὸ πᾶν δή.

V. 961. Ὀλοοὺς ἀπέλιπον Τυρίας
Ἐκ ναὸς ἔρροντας ἐπ' ἀκταῖς
Σαλαμίνισι στυφελοὺς
Θείνοντας ἐπ' ἀκταῖς

inficetam eiusdem vocabuli repetitionem haud incommode tollit W. reſcribendo ἔρροντας ἐπὶ ῥαχίαις.



IV.

In Aeſchyli Eumenid. v. 492 ſeqq. obſervationes.

Graviſſimum eſt argumentum carminis quod ab Eumenidibus in cognomine Aeſchyli tragoedia v. 49 ſqq. canitur, ac profecto digniſſimum, quod ſive ab interpretum quorundam erroribus ſive a librariorum depravationibus nondum obſervatis liberetur. Sic autem exoriuntur illae:

Strophe 1.

Νῦν καταστροφαὶ νέων
Θεσμίων, εἰ κρατή-
σει δίκα καὶ βλάβα
Τοῦδε μητροκτόνου.
Πάντας ἤδη τόδ᾽ ἔργον,
Εὐχερείᾳ ξυναρμόσει βροτούς.
Πολλὰ δ᾽ ἔτυμα παιδότρωτα
Πάθεα προσμένει τοκεῦ-
σι, μετά τ᾽ αὖθις ἐν χρόνῳ.

Antiſtrophe 2.

Οὔτε γὰρ βροτοσκόπων
Μαινάδων τῶνδ᾽ ἐφέρ-
ψει κότος τις ἐργμάτων.
Πάντ᾽ ἐφήσω μόρον.
Πεύσεται δ᾽ ἄλλος ἄλλοθεν,
Προφωνῶν τὰ τῶν πέλας κακά.
Λῆξιν ὑπόδοσίν τε μόχθων
Οὐκέτ᾽ οὐ βέβαια· τλά-
μων δέ τις μάταν παρηγορεῖ.

Primum ſtrophes verſiculum male reddidit Stanleius: *nunc everſio novarum legum;* καταστροφαὶ nimirum viciſſitudi-

nem deſignat novarum rerum, quibus priſtinae leges abolentur. *Nunc profecto novarum legum pravitas in civitatem irrumpet, ſi peſſima huius matricidae* (Oreſtis) *cauſa vicerit. Omnes enim homines hoc* eius *facinus ad facilitatem* ſimile quid *audendi provocabit. Multaeque iam eaeque certiſſimae vulnerum a liberis illatorum perpeſſiones in poſterum parentes manent.* ἔτυμα πάθεα varie tentatum eſt a criticis, ſine cauſa idonea. ἄτιμα, quod Stanleius invenit, verſione etiam expreſſum *(multi impuniti a liberis illati dolores)* ne metrum quidem admittit. Sed verum eſt ἔτυμα, eoque ſignificatur eventus, quem Chorus praedicit, certitudo.

In penultimo antiſtrophes verſiculo metrum ad antitheticum ſtrophes primae comparatum vacillat; et particulae οὐκέτ᾽ οὐ haud ſatis commodum ſenſum efficiunt. In Robortelliana editione legitur corrupte ἄκετ᾽ οὐ. Quod, niſi forte mendum typographicum eſt, veſtigia priſtinae lectionis continere videtur. Certe ſi legamus:

Λῆξιν ὑπόδυσίν τε μόχθων
Ἄκεα τ᾽ οὐ βέβαια

et metri ratio conſtabit, et ſenſus aptiſſimus pleniſſimusque funditur. Tum enim Chorus minatur, nec *ceſſationem*, *(λῆξιν)* nec *effugium*, *(ὑπόδυσιν)* nec *ſanationem (ἄκεα)* horum malorum ſperari poſſe. Pro vulgato nimirum *ὑπόδοσιν*, quod quid h. l. ſignificet vix exputari poteſt, iam Heathius recte *ὑπόδυσιν* legendum eſſe cenſuit.

In ſecunda antiſtrophe (nam in ſtrophe ſecunda nullus eſt offenſioni locus) ita pergit Chorus

Ἔσθ᾽ ὅπου τὸ δεινὸν εὖ
Καὶ φρενῶν ἐπίσκοπον
Δειμαίνει καθήμενον.

Summa ſententiae, quam Chorus hic enuntiat, haec eſt: utile interdum hominibus eſſe timere, poenarumque malis facinoribus propoſitarum cogitationibus teneri; eum contra, qui ſe omni metu ſolutum ac liberum putet, haud facile in officio contineri, et ut iuſtitiam ſancte colat, ad-

duci poſſe. Hic ſtatim nobis moleſtum eſt verbum δειμαίνειν cum τὸ δεινὸν compoſitum. Stanleius τὸ δεινὸν pro accuſativo accepit, ſic interpretatus: *aliquando ſeveritatem* et *animorum inſpectionem incumbentem metuit*. Sed, ut alia mittamus, hac ratione prorſus deficit notatio perſonae, quae hic *metuere* dicatur, nam ἀπὸ τοῦ κοινοῦ eam hic ſupplere velle, duriſſimum eſſet. Imo vero novus hic inchoatur locus communis. Τὸ δεινὸν nominativus eſt, et ſignificatur *metum aliquando hominibus utilem et ſalubrem eſſe*. Servato igitur vocabulo δειμαίνει hic exibit ſenſus: *Eſt ubi timor animis inhabitans, bene et quaſi mentis inſpector timet*. Sed multo pulchrior erit ſtructura, ſi pro δειμαίνει legamus δειματοῖ *terret*. Quo facto ſic licebit interpretari: *Eſt ubi timor* animis *inſidens bene* (h. e. *ſalubriter*) *et tanquam mentis et rationis inſpector terret conſcientiam*. Scholiaſtes participium καθήμενον male ad ſequentia traxit ſic interpretatus: ὥςτε καθήμενον ὑπὸ στένει σωφρονεῖν. Heathii coniectura h. l. prorſus inutilis eſt, et allegoriae Aeſchyleae pulchritudinem funditus pervertit. Legendum enim exiſtimat

> Ἔσθ᾽ ὅπου τὸ δεινὸν εὖ
> ᾿χει, (pro ἔχει) φρενῶν τ᾽ ἐπίσκοπον
> Δεῖμα δ᾽ ἐγκαθήμενον,

ex quibus hanc efficere conatur ſententiam: *Aliquando id utile eſt, quod timorem incutit et terror animi moderator inſidens*. In alia omnia abit Abreſchius, cuius commentum operae pretium eſt cognoſcere. „Legendum puto, inquit, ἔσθ᾽ ὅπου δειμανεῖ; καθήμενον ξυμφέρει σωφρονεῖν ὑπὸ στένει. Animato heic quoque ſermone per interrogationem, hac ſententia: ἐπειδὴ πιτνεῖ ὁ τῆς δίκης οἶκος, ἔσθ᾽ ὅπου τὸ δεινὸν εὖ δειμανεῖ τις. *Si iuſtitiae occiderit domus, nec inſpexerit amplius facta hominum, eſtne eritve quod quis usquam metuat amplius.*" Quid opus eſt verbis? Nihil durius et h. l. ineptius fingi aut excogitari poterat. Veniamus ad ea quae ſequuntur.

Ξυμφέρει
Σωφρονεῖν ὑπὸ στένει.
Τίς δὲ μηδὲν ἐν φάει
Καρδίας ἀνατρέφων
Ἡ πόλις βροτός θ' ὁμοίως ἔτ' ἂν σέβοι δίκαν;

Saluberrimum eft etiam inter angores et fufpiria (timoris) fapere difcere. Quis autem nihil in luce cordis enutriens, five civitas fuerit five unus aliquis mortalis fimiliter adhuc iuftitiam colat? Hic facile quidem patet eandem his verbis fententiam expreffam effe, quae v. 702. brevius ita effertur.

Τίς γὰρ δεδοικὼς μηδὲν ἔνδικος, βροτῶν;

Sed quid hoc fibi vult ἐν φάει καρδίας ἀνατρέφων? Pauwius quidem interpretatur: *in corde lucido, in corde puro, in quo lux aequi et boni!* At quis unquam hoc φάος καρδίας dixit? Et fac iftam vim vocabulis hisce abfolute pofitis fubiici poffe, quid iftud ad rem de qua agebatur? Manifefto enim orationis perpetuitas hoc requirit, ut dicatur, eum, qui nihil timeat iuftum et pium effe non poffe. Abrefchius μηδὲν ἐν φάει interpretatur, μηδὲν φαεινὸν h. e. πᾶν σκοτεινὸν, quod nullo modo poteft admitti. Itaque vel fic legendum effe arbitramur:

Τίς δὲ μηδενὸς ἐν δέει
Καρδίαν ἀνατρέφων

ita ut καρδίαν ἀνατρέφειν nihil aliud fignificet quam *vivere; quis nullam rem in vita metuens iuftitiam colat?* (καρδίαν eft lectio trium editionum Aldinae, Robortell. Tumel.) vel hoc modo

Τίς δὲ μηδὲν ἐν δέει (vel fi malis ἐν φόβῳ)
Καρδίας ἀναστρέφων.

Quae vero civitas, aut quis *mortalium nihil in metu cordis verfans, f. volutans iuftitiam colat?* Ἀναστρέφων iam Cafaubonus propofuerat. Heathius autem refcribendum duxit:

τίς δὲ μηδενὸς φόβον
καρδίᾳ γ᾽ ἀνατρέφων

hactenus bene, quod sententia, quam quaerimus, luculenter eminet, nisi quod ab antiquae scripturae vestigiis longius recedit, et particula *γε* hic intrusa nimis otiosa est.

In primo Strophes tertiae versiculo syllaba deficit, facile supplenda, si legas

Μήτ᾽ ἄναρκτον οὖν βίον

id quod iam Heathius vidit. Neque vero sensus causa abesse potest *οὖν*. Nimirum ultimis secundae antistrophes versibus dixerat Chorus vix fieri posse, ut is qui prorsus nihil timeat, iustitiam revereatur. Ex quo iam colligit ea quae sequuntur: *Neque igitur laudabile est nihil, nec omnia timere;* Id vero sic exprimitur: *μήτ᾽ ἄναρκτον οὖν βίον, μήτε δεσποτούμενον αἰνέσῃς*; nam in vita legibus soluta nihil timere solent homines, sub tyranni autem iugo omnia tuta timere. Iam inde pergitur ad mediocritatem in omnibus rebus commendandam. Ubi in verbis *ἅπαντι μέσῳ τὸ κράτος* facile patet metri causa legendum esse *παντι*, quod iam Pauwius monuit. Paullo post *ἀλλ᾽ ἄλλᾳ*, ut versus antithetico exaequetur, scribendum. Sed in *ἀλλ᾽ ἄλλᾳ δ᾽ ἐφορεύει* difficultas est, quam callide dissimularunt interpretes. In versione Stanleiana: *alia aliter inspicit*, nemo, qui sensum quaesiverit, facile acquiescat. Nempe et Scholiastes graecus dum explicat per *ἄλλα ἄλλως ἐφορᾷ ὁ θεὸς* verba pro verbis nobis adnumerat, de interpretatione oppido securus. Sed ex oppositi ratione intelligenda sunt. Postquam dictum erat deum mediocritati robur dare, *ἄλλα ἄλλᾳ δ᾽ ἐφορεύει* nihil aliud denotare potest, quam, eum *cetera*, quae non sint mediocria, quae se immodice efferant, *alia* i. e. *contraria ratione dirigere*, h. e. ea frangere ac debilitare. In verbis *δυςσεβείας μὲν ὕβρις τέκος ὡς ἐτύμως*, male *ὕβρις* pro *iniuria* accipitur; de *contumelia* enim intelligendum esse, ex opposita sententia patet; ut enim *δυςσεβεία* h. e. impietas, quae nihil timet, opponi-

tur *τῇ ὑγιείᾳ φρενῶν*, quae iuſti et aequi ſtudioſa eſt, ſic id quod ex hac conſequi dicitur *ὁ πᾶσι φίλος καὶ πολύευκτος ὀλβος*, illius effectum *ὕβριν* illuſtrat, adeoque de dedecore et infortunio, quae impietatem ſequuntur, non de iniuria et nequitia, quam impii homines in alios exercent, intelligendum eſſe perſpicitur. Quod inſuper ſequentibus tertiae antiſtrophes verbis confirmatur, in qua hominum iniuſtitia denuo propoſitis, quae ei impendent, poenis terretur.

Sed univerſum chori canticum graviſſima ſententia clauditur; iniuſti enim hominis interitus, ducta a naufragio ſimilitudine fortiſſimis coloribus depingitur, ita ut ſpectator rem ipſam ante oculos geri potius, quam in tabula expreſſam videre ſibi videatur.

Strophe 4.

Ἐκ τῶνδ᾽ ἀνάγκας ἄτερ
Δίκαιος ὤν, οὐκ ἄνολβος ἔσται
Πανώλεθρος οὔ ποτ᾽ ἂν γένοιτο.
Τὸν ἀντίτολμον δὲ φαμὶ παραιβάδαν
Τὰ πόλλα παντόφυρτ᾽ ἄνευ δίκης
Βιαίως ξὺν χρόνῳ καθήσειν
Λαῖφος ὅτ᾽ ἂν λάβῃ πόνος
Θραυομένας κεραίας.

Antiſtrophe 4.

Καλεῖ δ᾽ ἀκούοντας οὐδὲν
μέσᾳ δυςπαλεῖται δίνᾳ
Γελᾷ δ᾽ ὁ δαίμων ἐπ᾽ ἀνδρὶ θερμουργῷ
Τὸν οὔποτ᾽ αὐχοῦντ᾽ ἰδὼν ἀμηχάνοις
Δύαις λέπαδνον, οὐδ᾽ ὑπερθέοντ᾽ ἄκραν,
Δι᾽ αἰῶνος δὲ τὸν πρὶν ὄλβον
Ἕρματι προςβαλὼν δίκας
Ὤλετ᾽ ἄκλαυστος, ἄϊστος.

Poſt *πανώλεθρος* (verſu 3 ſtrophico) et metri ratio et ſententiae plenitudo poſcit, ut particulam *γε* inſeramus. *Πανώλεθρος γ᾽ οὔποτ᾽ ἂν γένοιτο*, *omnino certe nunquam*

peribit vir iustus. Inter παντόφυρτ' et ἄνευ δίκης optimum fuerit cum Pauwio ἄγοντ' interserere, quo et versiculi et sententiae defectus optime suppletur. In versu θραυομένας κεραίας ad antistrophicum ὤλετ' ἄκλαυστος ἄϊστος relato, syllabam deficere perspicuum est; itaque cum vulgo θραυομένας κεραίας pro genitivo consequentiae accipiatur, *fractâ antennâ*, nihil impedit, quo minus τε particulam interiiciamus, et

θραυομένας τε κεραίας

accusativo plurali positum cum λάβῃ construamus hoc sensu: *cum tempestas velum antennasque adeo, ut frangantur, invaserit.* In Antistrophe versus 3. 4. 5. ita constituendi sunt:

Γελᾷ δ' ὁ δαίμων ἐπ' ἀνδρὶ θερμῷ.
Τὸν οὐκέτ' αὐχοῦντ' ἰδὼν ἐν ἀμηχάνοις
Δύας λεπάδνοις, οὐδ' ὑπερθέοντ' ἄκραν.

Sed omnino, quid postremae chorici carminis particulae crisis nostra profuerit optime forsan e versione germanica intelligitur, quam hic subiicimus:

So wird der Mann, der ungezwungen
Gerechtigkeit übt, nicht unglücklich seyn;
Ganz kann er mindstens nie verderben.
Indess der frevelnde Verbrecher
Im Strom der Zeit gewaltsam untersinkt,
Wenn das Segel ihm fasst wütender Sturm
Und die brechende Raa überwältigt.

Er ruft, von keinem Ohr vernommen,
Kämpft in den Wogen hoffnungslosen Kampf,
Itzt lacht des Brausenden die Gottheit,
Sieht ihn, nun nicht mehr stolz, in Banden
Der Noth verstrickt, umsonst die Felsbank fliehn.
An der Klippe des Rechts scheitert sein Glück,
Unbeweint, unbemerkt geht er unter.

V.

De Perſarum, tragoediae Aeſchyleae, forma et conſilio.

Utrum Perſarum tragoedia, quae eſt inter Aeſchyli ſuperſtites, in eam tragoediae formam, quam Ariſtoteles in libro de Poëtica deſcripſit, includi poſſit, coeptum eſt nuper a viris quibusdam doctis addubitari. Nam et *Iacobsius* V. Cl. in Aeſchyli elogio diligentiſſime ſcripto *) obſervat, criticos quosdam haud parum trepidare et ambigere, ubi in hac Perſarum tragoedia *timorem* et *miſericordiam* inveniant **) in quo certe videtur innuere voluiſſe, Perſarum formam ab ea, quam Ariſtoteles tragoediae tribuit, non nihil recedere; deinde exortus eſt iuvenis doctiſſimus *Carolus Godofr. Siebelis* A. M. Lipſienſis, qui tantum aberat, ut Aeſchylum timorem et miſericordiam Perſarum tragoedia commovere voluiſſe exiſtimaret, ut po-

*) Vid. *Charaktere* der *vornehmſten Dichter aller Nationen.* ſ. Nachträge zu Sulzers Theorie der ſchönen Künſte IIten Bandes, 2tes Stück pag. 406.

**) „*Was nun aber den Mangel der Handlung in den Perſern des Aeſchylus betrifft, ſo war dieſe Bemerkung leicht zu machen, wenn man den Dichter ohne vorgeſetzte Meynung las, und nicht ſchon zum voraus annahm, daſs man hier lauter eigentliche Tragödien nach unſern Begriffen zu ſuchen habe. Aber die wenigſten Kritiker ſind zu einer ſolchen Verläugnung geneigt, und dieſe befinden ſich hier in keiner geringen Verlegenheit, wo ſie das Schrecken und Mitleid zu ſuchen haben.*“

tius poetam id egiſſe, ut Perſas in ipſo illo Salaminiae cladis infortunio ridiculos faceret, adeoque riſum potius Athenienſium et hilaritatem fabula hac in ſcenam prolata quaeſiviſſe. *) Quae quidem ſententia, etſi ab eo ſic eſt expoſita, ut facile agnoſcas ingenium hominis quicquid ad conciliandam opinioni veritatis quandam ſpeciem pertineat, ſagaciter indagantis, non tamen eſt eiusmodi, ut ei calculum adiicere argumentis ab eo prolatis cogamur.

Ariſtoteles in deſinitione tragoediae Poët. c. VI. praeter alias eius formae notas has quoque poſuerat, eam *οὐ δι᾽ ἀπαγγελίας ἀλλὰ δι᾽ ἐλέου καὶ φόβου περαίνειν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν.* Quod quid eſſet, nemo melius ac dilucidius explicavit Leſſingio **), qui vidit verbis *δι᾽ ἐλέου καὶ φόβου* ſignificari *actionem dramaticam, quae plena ſit miſericordiae ac timoris*, h. e. *eventus* et *actiones in ſcena repraeſentatas, quibus inſit miſericordiae ac metus materia;* ita ut ciendis his animi perturbationibus, quae quatenus vel ipſos perſonarum tragicarum animos afficiunt, vel harum actione incenſae ſpectatorum quoque animos inflammant, *tragicae* appellantur, hoc efficiatur, ut non harum tantum perturbationum, ſed etiam ſimilium in ſpectatorum mentibus purgatio quaedam et correctio fiat. Quae quidem *κάθαρσις* ſecundum ethica Ariſtotelis praecepta in eo conſiſtit, ut tragica miſericordia in ſpectatoribus non magis nimiam animorum duritiam immitemque aſperitatem quam nimiam in commiſerando mollitiem atque indulgentiam emendet; metus autem tragicus eum in finem dirigatur, ut homi-

---

*) Vid. eius diatriben de *Aeſchyli Perſis*, qua *Exc. Ilgenio* Profeſſionem LL. OO. in Acad. Ienenſi ſusceptam gratulatus eſt; Lipſiae ex officina Sommeria a. 1794. editam.

**) Hamb. Dramaturgie Tom. II. p. 171. et ſqq. ed. principis et authent.

nes in theatro ſedentes nec nimis rebus ſuis confidere diſcant, neque vero omnia tuta timeant, adeoque ſocordiam quandam aut imbelliam ſibi contrahant. Iam primum nemo dubitare poteſt, quin Aeſchylus in ipſa fabulae conformatione omnia metu et miſericordia compleverit, quatenus quid inter actores fabulae geratur, nondum autem quomodo ſpectatorum animi fuerint affecti, quaeritur. Nam primum Senum chorus qui fabulam orditur, ingentem illam iuvenum virorumque vaſtitatem, quam Xerxes tantis copiis ſecum abductis effecerat, queritur, multisque modis ſe rebus Xerxis diffidere et male de expeditionis eventu metuere fatetur. Sic v. 10. *ἀμφὶ δὲ νόστῳ τῷ βασιλείῳ — κακόμαντις ἄγαν ὀρσοπολεῖται θυμὸς ἔσωθεν.* Deinde populis eorumque ducibus, qui regem ad bellum ſecuti eſſent, enumeratis, quorum multitudini ac robori nemo videbatur futurus eſſe, qui obſiſtere poſſet, diſerte tamen ſignificat Chorus valde ſe vereri ne divini numinis invidia, ſ. *δολόμητις ἀπάτα θεοῦ* magnam Perſis cladem paret. Haec illis animo volventibus ſupervenit Atoſſa, Xerxis mater, Darii vidua, ſeque cum alias anxiam futuri, tum heſterna nocte luculento ſomnio, quod filio ſuo mala portendere videretur, maiorem in modum perturbatam eſſe fatetur. Quem quidem reginae metum tantum abeſt ut Chorus verbis mitiget, ut potius his quae, ei de Athenis percontanti, de Athenienſium rep. exercitu, fortuna bellica ac fortitudine v. 230 - 242 narrant, perturbatum reginae animum augeant, adeo ut Atoſſa multum ſane parentibus domi relictis de militum Perſarum in Graeciam profectorum ſalute metuendum eſſe dicat v. 243. Ecce autem nuntius accurrit anhelans, totumque Perſarum exercitum deletum eſſe clamat. Iam non ſolum Chorus eius doloribus ſuos quoque gemitus vocesque lamentabiles miſcet, ſed Atoſſa etiam, primum ſubito tanti mali terrore obſtupefacta, poſtea autem, ubi Xerxis certe vitam ſalvam eſſe accepiſſet,

paulisper recreata, fuſius tandem nuntium de rebus Perſarum male geſtis exponentem magno cum gemitu, et comploratione audit. Qui cum finem feciſſet narrandi, intro abit regina, Chorusque luctum tot viduarum maritis, parentumque filiis orbatorum proſequitur tantamque civium ac navium iacturam acerbe deplorat. Quae quidem omnia ad miſerationem concitandam compoſita eſſe, quis poſſit inficias ire? Metum quoque et miſericordiam evocata Darii umbra tantum abeſt ut minuat, ut potius, quantum etiamnum ſuperſit calamitatis vaticinando, augeat atque exaggeret. Ultima tragoediae ſcena Xerxem ipſum ſiſtit perditis tot civibus, navibus, opibus ac divitiis redeuntem; eiusque colloquio cum ſenibus choricis omnia paene luctus indicia ac ſigna exhauriuntur. Clamor enim, fletus, ſuſpiria, vociferationes, ſingultus, veſtium ſciſſiones, corporis afflictio, capilli barbaeque vulſiones, planctus, inceſſus triſtis ac lentus, genuum tremor ac ſolutio, haec omnia inter ſe varie iuncta tam expreſſum efficiunt ſimulacrum triſtitiae, ut maius perfectiusque nihil ſingi aut excogitari poſſit.

Iam profecto illud non quaeritur, fuerintne in Athenienſium populo, qui cum Perſarum tragoedia doceretur, e nonnullis eius locis, aut ex apparatu ſcenico ridendi potius materiam ſibi quaeſiverint, quam ad metum aut miſericordiam commoveri ſe ſenſerint; id enim nec hodie eſt inſolens, ſaepiusque videmus fricti ciceris aut nucis emtores et ſi qui alii de ſuprema cavea ſpectant, in tragoediis riſum captare ex habitu ſcenico, inſolentiore quidem, ſed temporibus perſonarum, ſeculoque, quo vixerunt, accommodato, vel ex actionibus ſententiisque, quibus homines cultiſſimi prudentiſſimique ad intimum doloris ſenſum abripiuntur. Sed illud unice quaerendum eſt, an ex univerſa fabulae *οἰκονομίᾳ* et adornatione, e ſententiarum verborumque conformatione, apparatu denique ſcenico colligi poſſit, Aeſchylum riſum potius excutere civibus ſuis

suis voluisse, quam metus et misericordiae h. e. tragicorum affectuum faces iis adhibere. Itaque iam argumenta videamus, quibus inductus est doctissimus Sibelis, ut scilicet ex tragoedia Aeschylea tantum non comoediam nobis efficeret. Primum in prologo reperire sibi visus est hilaritatis materiam. Ait *eunuchos* fuisse senes Persicos; ideoque ridiculos. Verum eius rei nullum est in tragoedia vestigium. Barbatos potius senes fuisse v. 1048. intelligitur. At V. Cl. negat se hac hominum imberbium barba commoveri, ut ab opinione discedat. Sed si ei demus eunuchos Persarum sibi nonnunquam barbas ascititias alligasse, quam illud vim h. l. habere potest, ubi nondum docuit senes illos eunuchos fuisse? Lepidum sane esset, si quis hodie Constantinopoli occurreret seni cuidam, barba promissa, statimque hunc esse ex eunuchorum numero, qui gynaeceum imperatoris custodirent, opinaretur; et si quis ei barbam hominis oggereret, hac tantum uteretur calumnia: Eho tu! qui scis, an non barba sit ascititia? Quod autem Aeschylus actores fabulae Persicis vestibus non Graecis indutos in scenam produxit, id profecto, non ut risum venaretur ineptum, sed ut personis sibi convenientia redderet, fecit. Itaque nec illa reginae adoratio, v. 150. Persarum moribus consentanea ullius, qui fabulam spectaret, hominis rictum diducere poterat, nisi forte scurrae cuiusdam, qui nec modum in ridendo teneret ullum, nec quid tempus aut locus postularet intelligeret. Eiusmodi autem hominum ineptiis dare se voluisse Aeschylum, quis fingere audeat? — Porro in variarum gentium ducumque qui in prologo recensentur laudibus, adeoque ducum quorundam nominibus nescio quid ridiculi sibi reperisse visus est Cl. Sibelis; in quibus, ut discrepant hominum sensus, nobis ne minima quidem eius suspicio latere videbatur. Nam quod Persae a sagittandi laudantur peritia, in eo sane nemo, nisi qui opinioni praeconceptae subservire velit, ridiculi scintillam reperiat. Cum senes dicunt

στρατιᾶς πολλῆς ἔφοροι
Τοξοδάμαντές τ' ἠδ' ἱπποβάται
Φοβεροὶ μὲν ἰδεῖν, δεινοὶ δὲ μάχην
Ψυχῆς εὐτλήμονι δόξῃ

hoc dictum V. D. hac ratione ad ridiculi ſpeciem detorquet: „Sed barbarus genis oculisque pictus, et barba capillisque promiſſis hirſutus non modo nullum Graecis offundebat terrorem, verum potius largam eis ridendi copiam.“ At ſi quid in his eſt ridiculi, id verbis Aeſchyli ab interprete obtruditur; elici certe nullo modo poteſt. Quod deinde in nominibus ducum Perſarum, v. c. *Ἀμίστρης*, *Ἰμαῖος*, *Σωσθάνης*, *Μητραγαθὴς* etc. alterum ſalinarum locum ſibi reperiſſe viſus eſt V. D., videat ne aut parum tuta ſit poſſeſſio harum ſalinarum, aut ſales certe frigidi et inſipidi exeant, quibus ſi Aeſchylum delectari potuiſſe iudicaverit, parum honorifice de eius urbanitate ſenſerit. Etenim ſi vel omnia vel certe plurima ridiculam habuiſſent ſignificationem, eſſet tamen aliquis eius coniecturae fundus; nunc in plurimis e. c. in nominibus Amiſtres, Megabazes, Aſtaſpes, Maſiſtres ne umbra quidem eius rei apparet, in paucis quibusdam aliis, ut in nomine *Μιτρογαθὴς*, etymologiam miſere torquendo, vix aliquid exprimas, quod hominem non inſulſum ad riſum invitare poſſit.

In verſibus 91 ſqq. ubi chorici ſenes fortunae regis diffidere incipiunt, propterea quod divinae mentis inſidias (*δολόμητιν ἀπάταν θεοῦ*) recordantur, quibus haud raro homines in ſumma felicitatis gradu conſtituti detrudantur in perniciem, neminem fugere poteſt in lectione ceterarum Aeſchyli tragoediarum verſatum, quoties hunc locum communem ferio, ut par eſſet, tractaverit poeta, ita ut prorſus nulla cauſa ſubſit, cur h. l. tantum eam doctrinam ab eo tecte rodi et callide ad riſum detorqueri fingamus.

Deinde in defcriptione pugnae Salaminiae adeo nullum eft cavillationis aut irrifionis veftigium, ut potius omnia fint ad feveritatem vere heroicam compofita. Nam qui in verbis *Δαδακὴς πληγῇ δορὸς πήδημα κοῦφον ἐκ νέως ἀφήλατο* ridiculam imaginem videat, nae is quoque Virgilianum illud: *pronusque magifter volvitur in caput* Aeneid. I. 115. ludibrii caufa dictum effe harioletur.

Neque vero videmus, quid interpreti, qui fit in cogitando fuus, nec abripiatur aeftu quodam temeritatis in iudicando, placere poffit in Heathiana v. 295 fqq. explicatione, qui in verbis Atoffae nuntium interrogantis:

Τίς οὐ τέθνηκε, τίνα δὲ καὶ πενθήσομεν
Τῶν ἀρχελείων ὅστ' ἐπὶ σκηπτουχίᾳ
Ταχθεὶς ἄνανδρον τάξιν ἠρήμου θανών

ἄνανδρον τάξιν de *cohorte evirata* f. *Eunuchis* acceperat cum fenfus multo dignior Aefchylo et aptior in promtu fit: *quique in imperio militari conftitutus morte fua cohortem in folitudinem coniecerit, iam viro* fcil. forti imperatore *carentem; und welcher von den Feldherrn durch feinen Tod feine Legion ihres tapfern Führers beraubt und verwaifet habe.* Etenim cum Cl. Sibelis profitetur fe Heathii opinionem amplexum effe, non illam quidem tragoediae caftitate dignam, fed tamen non alienam ab huius fabulae hilaritate, nihil aliud agit, quam ut concedi fibi poftulet, exemplo in rem fuam abuti, quod litem lite refolvat. Ceterum in editione Robortelli legitur *ἄναρχον τάξιν*, quae quidem lectio veriffima videtur.

In Darii laudibus v. 651 fqq. etfi nimius et immodicus videri poterat Chorus, tam callide tamen verfatus eft in praedicandis eius rebus geftis, ut non metuendum effet, ne exaggerationem illam rifus audientium confequeretur. Quod enim in pronuntiato hoc difticho

οὔτε γὰρ ἄνδρας πώποτ' ἀπώλλυ
πολεμοφθόροισιν ἄταις

immemor effe videretur Scythicae cladis atque Marathoniae; id facilem habebat excufationem propterea quod a Scythis iufto quidem praelio haud victus effet, ut qui ne pugnae quidem poteftatem ei feciffent, (Iuftin. II. 5.) Marathoniae autem cladis culpa ad Datim potius et Artaphernem, quam ad Darium ipfum, qui praelio ipfe haud interfuiffet, pertineret.

In oratione Darii, carminibus ab inferis evocati adeo funt omnia ad feveritatem compofita, ut quid ridiculum videri potuiffet hominibus a fcurrili ex omnibus rifum captandi libidine alienis, idoneis quidem argumentis effici non poffit. Nam quod doctiff. Sibelis humanum illud Darii confilium, quo abiturus fenes monet, ut in mediis quoque malis animum voluptate quadam reficiant, hac ratione ad ridiculi fpeciem traducere cupit, ut nos recordari iubeat ex Athenaeo Darium laude potatoris eximii floruiffe, in eo veremur, ne nullum lectorem inveniat fibi obtemperantem. Quid enim? Num omnes, qui animos in rebus afflictis ad modicum honeftae voluptatis ufum revocant, ideo ridiculi funt? Num Homerus rifui voluit exponere Menelaum Odyff. IV. 103. fic loquentem:

Ἄλλοτε μέν τε γόῳ φρένα τέρπομαι, ἄλλοτε δ᾽ αὖτε
Παύομαι· αἰψηρὸς δὲ κόρος κρυεροῖο γόοιο.

Num quis nobiliffimam illam Teucri orationem apud Horatium Carm. I. 7, 30.

O fortes peioraque paffi
Mecum faepe viri, nunc *vino* pellite curas
Cras ingens iterabimus aequor!

qua nihil fublimius eft, hac audebit calumnia deprimere, ut Horatium femper „merobiborum et multibiborum magnum fuiffe laudatorem" dicat?

Verum haec hactenus. Nam leviora quaedam praetermittere malumus, quam eadem faepius inculcando

lectoribus moleſtiam creare. Reſtat ut noſtram de univerſo Perſarum conſilio ſententiam breviter exponamus. In ipſa ſcenarum adornatione, in perſonarum colloquiis Aeſchylus omnia metu ac miſeratione complevit, nihilque admiſcuit, quod a cothurni ſeveritate discreparet. Haec igitur Perſarum infortunia metus et miſeriae plena non narratione, ſed repraeſentatione ſcenica (*οὐ δι' ἀπαγγελίας ἀλλὰ δι' ἐλέου καὶ φόβου* ut ait Ariſtoteles) hoc conſilio oculis Athenienſium ſubiecit, ut *τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν* in eorum animis, quantum in ipſo eſſet, efficeret. Itaque primum quod ad metum attinebat, eos partim adverſus hoſtium etiam potentiſſimorum metum confirmabat et fortunae ſuae ac virtuti confidere volebat, partim vero a nimia inſolentia, viciſſitudinis rerum humanarum cogitatione, abſtrahebat; deinde miſericordiam eorum ſic temperabat, ut eos partim a mollitie abduceret, hoſtiumque impetus etiam cum vulnerum vitaeque periculis retundere iuberet, partim vero eos invitaret ad cogitandum, quam miſera ſit populorum ſors et conditio, qui unius hominis, cuius imperio ſubiecti eſſent, conſilio vel errore ad atrociſſimas bellorum calamitates abriperentur, adeoque ſimul reip. ſuae longe melius conſtitutae amorem, et adverſus devictos hoſtes clementiam manſuetudinemque animis inſtillaret.

VI.

Choricum Aeſchyli carmen Choëph. v. 583 ſeqq. novis obſervationibus emendatum et explicatum.

In Aeſchyli Choëphoris v. 583 ſeqq. Oreſte et Pylade digreſſis ad ſumendum corporis habitum conſilio, quod Oreſtes ceperat, matrem una cum eius adultero interſiciendi convenientem, Chorus hominum audaciam, imprimis vim amoris omnia quae ſint in rerum natura terribilia ſuperare ſignificat, idque Althaeae et Scyllae exemplis declarat, quibus ad novum Clytaemneſtrae facinus deducitur, omninoque in malitia hominum deploranda, annunciandaque Agamemnonis interſectoribus numinis vindicta ſubſiſtit.

In illo carmine, etſi lectionis vulgatae vitia paſſim viri docti tollere ſenſusque obſcuritatem ex depravata potiſſimum a librariis ſcripturae veritate ſubnatam illuſtrare conati ſunt, multa tamen ſuperſunt rectius conſtituenda. Quod ut facilius intelligi poſſit, rogamus lectores ut primum huius cantici textum e Stanleii recenſione una cum eius verſione recognoſcant.

Str. 1. et Antiſtr. 1.

In hac carminis particula multo melius quam Stanleius verſatus eſt Heathius, qui vidit, in lectione γ' ἀὴρ, quae fluxit ex ed. Turnebiana, latere *telluris* voca-

bulum, intellexitque, versum Ξυζύγους θ' ὁμαυλίας non interrogationis nota, ut fit, apposita, ad priora retrahendum, sed potius arctissime cum sequentibus copulandum esse. Unde subnata est haec interpretatio: *Multa quidem terra nutrit, quae terrorem horribilem incutiunt, marinaeque ulnae plenae sunt ferarum hominibus inimicarum, emicant etiam inter coelum et terram fulgura sublimia, atque animalia et volucria et pedestria ventosarum procellarum horrent* (φρίσσει pro vulg. φράσαι reposito) *rabiem. At quis enarret virorum immanem audaciam et mulierum animis audacium et quidlibet audentes mortalium amores calamitatibus contubernales? Coniugales vero consociationes pecudum atque hominum evertit cupido pervicax* (e Pauwii coniectura, ἀπέρωπος emendantis) *feminarum dominator.*

Sane multum profuit huic cantici particulae Heathii studium; haud pauca tamen supersunt nobis expolienda. Quid enim v. 582. est δεινὰ δειμάτων ἄχη? Quis ferat latine ita loquentem, *terribiles terrorum angores?* Quis delectetur numeris hisce similiter cadentibus βροτοῖσι πλάθουσι βλαστοῦσι? quomodo fulmina dicantur βλαστεῖν? Itaque sic demum nobis videmur textus Aeschyli filum restituisse:

Στροφὴ α'.

Πολλὰ μὲν γᾶ τρέφει
Δεινὰ δειματοῦν δάκη,
Ποντίας τ' ἀγκάλας κνωδάλων
Ἀνταίων βροτοῖς
Πλάθουσι βλάσται· καὶ πεδαιφνίους
Λαμπάδας πεδηόρους
Πτηνά τε καὶ πεδοβά-
μονα κἀνεμοέσσων
Αἰγίδων φρίσσει κότον.

Ἀντιστροφὴ α΄.

Ἀλλ᾽ ὑπέρτολμον ἀν-
δρὸς φρόνημα τίς λέγοι;
Καὶ γυναικῶν φρεσὶν τλημόνων;
Καὶ παναθλίους
Ἔρωτας ἄταις συννόμους βροτῶν;
Ξυζύγους θ᾽ ὁμαυλίας
Θηλυρατὴς ἀπέρω-
τος ἐρὼς παρανικᾷ
Κνωδάλων τε καὶ βροτῶν.

Multas quidem terra nutrit feras immaniter terribiles, marinosque recessus beluarum hominibus infestarum opplent foetus; et sublimes dirasque fulminum faces nec non ventosarum procellarum rabiem exhorrent volucria et quadrupedia. Sed immodicam virorum audaciam quis enarret? et mulierum quidlibet audentium? et infelices amores cum mortalium calamitatibus coniunctos? Scilicet domesticam quoque consuetudinem in animalibus pariter atque hominibus vincit infaustus amor muliebri animo imperans.

Str. 1. v. 1. pro vulg. πολλὰ μὲν γ᾽ ἀὴρ τρέφει rescripsimus π. μ. γᾶ τρέφει, id enim et sententiae et metro versus antistrophici convenit, et ad scripturam vett. codd. et editionum propius accedit, in quibus legitur γὰρ τρέφει. Δεινὰ δειματοῦν δάκη bene dicere potuit Aeschylus; ut δεινὸς λέγειν est *eloquentia potens*, sic δεινὸς δειματοῦν *terrore potens*. Δάκος alibi etiam ab Aeschylo usurpatum; et sic terrestria δάκη bene respondet κνωδάλοις maritimis versu sq.

Quod Str. 1. v. 5. et sententia et metro postulante reposuimus πλάθουσι βλάσται, notandum est βλάστη non solum de plantarum germinibus, verum etiam de animalium hominumque foetu ac sobole poni. Sic v. c. apud Plutarch. cons. ad Apoll. Niobe in versiculis ex

antiquo Tragico (ipso fortasse Aeschylo) depromtis appellatur *βλάσταις τέκνων βριθομένα.*

Eodem versiculo quid significent πεδαίχμιοι λαμπάδες, ut vulgo legitur, magna quaestio est. Quis *medias faces sublimes* intelligat fulmina? Mira esset ellipsis, si quis cum Stanleio suppleri vellet, *inter coelum et terram.* Quaerendum igitur est aliud epitheton, quod *fulmini* melius conveniat. Ad scripturae vestigia proxime accederet πεδαίφνιος, pro μεταίφνιος, quod est apud Hesychium. Ubi de terrore fulminis agitur, nihil fere aptius est, quam *repentinae* eius apparitionis mentionem facere, qua maxime scimus et animalia et homines perterreri. Λαμπὰς de *fulmine* apud Eurip. Bacch. 594. ἅπτε κεραύνιον αἴθοπα λαμπάδα. Sic *trisulca manus ardescit face* Senec. Hippol. v. 681. Semper tamen, ubi sic ponitur λαμπὰς cum epitheto aliquo fulmen perspicue significante coniungatur necesse est. Λαμπάδας igitur πεδαιφνίους καὶ πεδηόρους, praesertim in vicinia *procellarum*, nemini ambiguas esse puto, quin statim fulmina agnoscat.

Str. 1. v. 8. in edd. legitur κἀνεμοέντων. Sed haud dubie librarius errore quodam feminini generis formam, quam sequens αἰγίδων poscit, in masculinam detorsit.

Str. 1. v. 9. φρίσσει, pro vulgato φράσαι et ad sensum et ad constructionem inepto iam Heathius coniectura repererat.

Antistr. 1. v. 4. παντόλμους nec antithetici versus metro respondet, et cum modo v. 1. praecesserit ὑπέρτολμον, vix est credibile Aeschylum verborum minime inopem h. l. iterum adiectivo a verbo τολμᾶν derivato usum esse. Πανάθλίους, quod proposuimus, nec a metro, nec a sensu abhorret; idque sequentibus verbis ἄταις συννόμους βροτῶν magis declaratur.

Antistr. 1. v. 6. verba ξυζύγους δ' ὁμαυλίας multo aptius ad sequentia, quam, ut vulgo fit, ad antecedentia referuntur. Significant autem omnem ex vitae societate domestica consuetudinem, adeoque vincula inter parentes et liberos, inter fratres et sorores, inter maritos et uxores designant. Omnia enim haec vincula ceteroquin sanctissima rumpuntur illicito mulierum amore. Sic quoque ferae cum gregalibus suis acerrime propter amores depugnant.

Str. 2. v. 6. δαφοινὸν Stanl. vertit *cruentum*, et in notis exponit *candentem*. At hoc ferri non potest. Aut igitur reddendum est *torrem sanguinarium*, h. e. mortis Meleagri, dum comburebatur, auctorem, quemadmodum Ovidius *funereum* dixit, Metam. VIII. 511. *Funereum torrem medios coniecit in ignes*, aut si hoc tibi catachresticum videatur, videas an legendum potius sit παιδὸς δαφοινοῦ, cruenti filii, h. e. Meleagri sanguine avunculorum Althaeae fratrum polluti.

Antistr. 2. v. 1 seqq. De Scylla, Nisi Megarensium regis filia, duplex est fabularum series. Alii narravere, cum Minos rex Megara urbem obsideret, Scyllam a Minoë aureo monili corruptam, Niso patri capillum abscidisse, a cuius conservatione vita eius esset suspensa. Sic Apollodorus III. 15. 8. qui tamen doni illius mentionem haud facit. Alii, vt Ovidius Metamorph. lib. VIII. et Virgilius in Ciri, amore Minois captam fuisse Scyllam perhibent. Purpureum autem in Nisi vertice capillum urbi et regno fatalem fuisse, adeo ut Megara capi non possent, quamdiu ille incolumis maneret. Hunc igitur capillum clam a patris capite abscissum Scyllam Minoi tradidisse.

Antistr. 2. v. 9. Stanleius, qui lectionem ἁ κυνόφρων' servat, hoc ἀπροβούλως ad Scyllae imprudentiam refert, quod calamitosum sibi fore facinoris exitum haud

praevidisset. Sed etiamsi lectio ἁ κυνόφρων metro haud adversaretur, praeferenda tamen esset suavitate imaginis altera, quam expressimus in textu, ἀπροβούλως πνέοντ' ἀγανόφρον ὕπνῳ, *improvide blando in somno stertentem.* Scyllae vero poena sequenti demum versiculo 618. tangitur.

Str. 3. v. 2. Πόνων vix satis congruit antecedentibus. Itaque Stanleius πόθων emendabat, quod sane non aspernaremur, nisi in promtu esset legere ἀμειλίχων φόνων, nam duas iam caedes a mulieribus factas memoraverat Aeschylus, iamque transit ad Agamemnonis caedem.

Str. 3. v. 3. valde importunum est ἀκαίρως! Cur enim Chorus intempestivum dicat, h. l. caedis Agamemnoniae mentionem facere? Praeterea hic deesse videtur verbum, a quo sequentes accusativi γαμήλευμα — μητίδας — ἑστίαν — αἰχμὰν pendeant. Hoc verbum nonnulli ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ex ἐπεμνήσαμεν repetunt, ut suppleatur ἐπεὶ δ' ἐπεμνήσαμεν — μνήσομεν δὲ καὶ δυςφιλὲς etc. Nobis vero incommodum h. l. videtur verbum diserte expressum abesse. Itaque sic Aeschylum scripsisse coniicimus:

Ἐπεὶ δ' ἐπεμνησάμην ἀμειλίχων
φόνων, ἀγείρω δὲ δυςφιλὲς γαμήλευμ' ἀπεύχετον
δόμοις

Quandoquidem vero mentionem feci, immitium caedium, a mulieribus perpetratarum, *memorabo etiam exosum illud* Aegisthi et Clytaemnestrae *abominandumque coniugium* etc. Sic ἀγείρω recurrit v. 634. ubi Scholiastes interpretatur συνάξας κατηγορῶ, quod optime huic quoque loco v. 620. convenit, ubi complura deinceps recensentur, et quasi *colliguntur.*

Str. 3. v. 6. Circa hunc locum, ubi vulgo legebatur *ἐπ' ἀνδρὶ δηΐοις ἐπικότῳ σέβας· τίων δὲ* etc. trepidant interpretes, nec vidimus quemquam qui se commode satis ex hisce tricis expediret. Nobis vero videbatur pro *σέβας τίων* corrigendo *σεβασμίων* et flumini verborum lyrico, et sententiae gravitati optime consuli. Ita nimirum hic efficitur sensus. *Et astuta mulieris consilia*, adversus virum bellicosum, *adversus virum hostibus infensum; venerandarum vero aedium focum non calefactum* h. e. neglectum et inhonoratum, *mulierisque gladium immania facinora ausum. ἑστία δόμων ἀθέρμαντος* respicit fidem coniugii a Clytaemnestra laesam, quae res adumbratur imagine ignis in foco domestico per negligentiam aut contemtum exstincti.

Antistr. 3. v. 5. pro *ἄχει* sine dubio legendum est *ἄγει*. Nempe *ἄγος* piaculum, scelus, recte dicitur *θεοστύγητον*, non item *ἄχος calamitas.*

Str. 4. v. 3. lectio vulgata *Διὰ Δίκας* et metrum pessumdat, et sententiam obscurat. Itaque reponendum arbitramur *Βίᾳ Δίκας*. Nempe Iustitiae tribuitur gladius, facinorum Aegisthi et Clytaemnestrae vindex; hunc igitur ait poeta eius *vi* s. *violenta manu* mox in pectora facinorosorum adactum iri.

Str. 4. v. 4. In verbis *τὸ μὴ θέμις γὰρ οὐ λὰξ πέδον πατούμενον*, aberrarunt interpretes, quod non viderunt *λὰξ πατεῖν* duplicem vim habere, alteram propriam, qua significat, praesertim si *πέδον*, ut h. l., diserte adiiciatur, *viam calcare*, *viam ingredi*, alteram metaphoricam, qua, pedibus calcare, idem est ac *negligere*, *contemnere.* Sic *πέδον πατεῖν* proprie sumtum occurrit Agam. 1368. Itaque coniicimus Aeschylum scripsisse: *Τὸ μὴ θέμις γὰρ, ὁρῶ, λὰξ πέδον πατούμενον. Video enim iniustitiam* campum s. *viam esse tritam et ab hisce hominibus calcatam.* Iam optime conveniunt sequentia *Τὸ πᾶν Διὸς σέβας*

παρεκβάντες ἀθεμίστως. *Quippe qui omnia, quae Iovis legibus ſancta et veneranda ſunt nefarie transgredi haud dubitaverint.*

Antiſtr. 4. v. 1. Lectio librorum *Δίκας δ' ἐρείδεται πυθμὴν*, quam Stanleius vertit, *Iuſtitiae radix firmatur*, (quamquam *Πυθμὴν* ramum potius quam radicem ſignificat,) ſequentium verborum nexum prorſus interturbat; corrigendum igitur cenſemus *Δίκη δ' ἐρείδεται πυγμὴν*, *Iuſtitia autem roboratur quoad pugnum*, *h. e. viribus in pugnum collectis*, quo gladium tenet, *accingit ſe ad pugnam.* Sic l. l. v. 945. dicitur Iuſtitia χερὸς ἐτήτυμος.

Antiſtr. 4. v. 4. in δώμασι, et metrum et ſententia defectu laborat; facile ſupplendo ſi legamus δόμοισι νέον.

Antiſtr. 4. v. 6. vulgo legitur *τίνει μύσος*, quod Stanl. reddit *punit ſcelus.* At *τίνειν* non eſt *punire facinus*, ſed *poenam facinoris luere.* Nobis autem Aeſchylus videtur edidiſſe: *Τείνει μύσος extendit ſcelus*, h. e. Furia longa ſerie ſcelera cum ſceleribus connectit, ita ut priora a poſterioribus puniantur.

Iam totum, quod hucusque tractavimus Chori canticum adiecta verſione germanica ponemus, ut quid ad univerſi argumenti conformationem colorumque poeticorum floriditatem criſis noſtra contulerit facilius intelligatur.

Στροφὴ α'.

1. *Πολλὰ μὲν γᾶ τρέφει*
2. *Δεινὰ δειματοῦν δάκη.*
3. *Ποντίας τ' ἀγκάλας κνωδάλων*
4. *Ἀνταίων βροτοῖς*
5. *Πλάθουσι βλάσται· καὶ πεδαιφνίους*
6. *Λαμπάδας πεδαόρους*
7. *Πτηνά τε καὶ πεδοβά-*
8. *μονα κἀνεμοέσσων*
9. *Αἰγίδων φρίσσει κότον.*

Ἀντιστροφὴ α'.

1. *Ἀλλ' ὑπέρτολμον ἀν-*
2. *δρὸς φρόνημα τίς λέγοι;*
3. *Καὶ γυναικῶν φρεσὶν τλημόνων;*
4. *Καὶ παναθλίους*
5. *Ἔρωτας ἄταις ξυννόμους βροτῶν;*
6. *Ξυζύγους δ' ὁμαυλίας*
7. *Θηλυκρατὴς ἀπέρω-*
8. *τος ἐρὼς παρανικᾷ*
9. *Κνωδάλων τε καὶ βροτῶν.*

Στροφὴ β'.

1. *Ἴστω δ' ὅςτις οὐχ*
2. *Ὑποπτέροις φροντίσιν δαεὶς,*
3. *Τὰν ἁ παιδολύ-*
4. *μας τάλαινα Θεστιὰς μήσατο*
5. *Πυρδαῆ τινα πρόνοιαν,*
6. *Αἴθουσα παιδὸς δαφοινοῦ*
7. *Δαλὸν ἥλικ', ἐπεὶ μολὼν*
8. *Ματρόθεν κελάδησε,*
9. *Ξύμμετρόν τε διὰ βίου*
10. *Μοιρόκραντον ἐς ἦμαρ.*

Str. 1.

Zwar ernährt die Erde schon
Furchtbarer Gewilde viel,
Und des Meers weiten Schoofs füllt die Brut
Menschenfeindlicher
Seeungeheuer; und den plötzlichen
Hoch vom Himmel leuchtenden Blitz
Fürchtet Vogel und Säugthier,
Fürchtet der stürmenden Windsbraut
Unaufhaltsamen Zorn.

Antistr. 1.

Aber wer ermisst des Manns
Ueberkühnen Frevelsinn?
Wer des allwagenden Weibes Rath?
Wer der Liebe Macht,
Der leidigen, der Unglücksnachbarinn?
Jedes häusliche Freundschaftsband
Unter Menschen und Thieren
Bricht der weiberbeherrschenden
Lieb' unliebliche Wuth.

Str. 2.

Denke doch ein jeder, wer
Nicht mit flüchtigem Leichtsinn lernt,
Welche List ihren Sohn
Zu verderben, Athaea ersann,
Welche feuergelehrte Erfindung?
Ins Feuer warf sie des blutigen Sohns
Seit seiner Geburt erhaltnen Löschbrand,
Ihn, der seit seinem ersten Wimmern,
Bis zum bestimmten Todestage,
Maafsstab seines Lebens war.

Ἀντιστροφὴ β'.

1. Ἄλλαν δεῖ τιν' ἐν
2. Λόγοις στυγεῖν φοινίαν Σκύλλαν,
3. Ἅτ' ἐχθρῶν ὕπαι
4. Φῶτ' ἀπώλεσεν φίλον, Κρητικοῖς
5. χρυσεοδμήτοισιν ὅρμοις
6. Πεισθεῖσα, δώροισι Μίνω,
7. Νίσον ἀθανάτας τριχὸς
8. Νοσφίσασ', ἀπροβούλως
9. Πνεῖοντ' ἀγανόφρον' ὕπνῳ.
10. Κιχάνει δέ μιν Ἑρμῆς.

Στροφὴ γ'.

1. Ἐπεὶ δ' ἐπεμνησάμην ἀμειλίχων
2. Φόνων, ἀγείρω τε δυςφιλὲς γαμη-
3. λευμ' ἀπεύχετον δόμοις,
4. Γυναικοβούλους τε μητίδας φρενῶν,
5. Ἐπ' ἀνδρὶ τευχεσφόρῳ,
6. Ἐπ' ἀνδρὶ δηΐοις ἐπικότῳ. σέβα-
7. σμίων τ' ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων,
8. Γυναικείαν τ' ἄτολμον αἰχμάν.

Ἀντιστροφὴ γ'.

1. Κακῶν δὲ πρεσβεύεται τὸ Λήμνιον
2. Λόγῳ· γοᾶται δὲ δήποθεν κατά-
3. πτυστον· εἰκάσαι δέ τις
4. Τὸ δεινὸν ἂν Λημνίοισι πήμασι.
5. Θεοστυγήτῳ δ' ἄγει
6. Βροτῶν ἀτιμωθὲν οἴχεται γένος.
7. Σέβει γάρ οὔτις τὸ δυςφιλὲς θεοῖς.
8. Τί τῶνδ' οὐκ ἐνδίκως ἀγείρω;

An-

Antistr. 2.

Noch so eine Mörderin
Nennt an der Scylla mein Gesang,
Die dem Feind vor dem Thor
Ihren eigenen Vater verrieth!
Von Geschenken des Minos bestochen,
Ach durch ein goldnes Halsband bethört,
Stiehlt sie des Nisus Purpurlocke,
An der sein Leben hing, indess er
Im sanften Schlummer sicher träumte!
Doch sie zog das schlimmste Loos.

Str. 3.

Und weil mein Lied so herzempörender
Mordthaten denkt, führts auch den Liebesbund
Den grässlichen herbey, den unser Haus verwünscht;
Der schlauen Königin verrätherische Erfindung
Gegen den Helden, ihren Gemahl,
Gegen den Helden, der Feinde Schrecken;
Des hohen Hauses unbesorgten Heerd,
Und des Weibes frevelkühnen Dolch.

Antistr. 3.

Sonst ist vor allen Greuelsünden wohl die Schuld
Der Lemnischen Ehweiber hochberühmt
Ein allgemeines Scheusal; aber jene That
Vergleicht man billig wohl den Lemnischen Verbrechen.
Gedrückt von Gott verhasster Blutschuld
Geht dies Geschlecht mit Schanden unter;
Denn niemand ehrt, was Göttern unwerth ist.
Hab' ich nicht dies anzuführen Recht?

Στροφὴ δ'.

1. Τὸ δ' ἄγχι πλευμόνων ξίφος
2. Διανταίαν ὀξυπευκὲς σοῦται
3. Βίᾳ Δίκας.
4. Τὸ μὴ θέμις γὰρ ὀρθῶς
5. Λὰξ πέδον πατούμενον·
6. Τὸ πᾶν Διὸς
7. Σέβας παρεκβάντες ἀθεμίστως.

Ἀντιστροφὴ δ'.

1. Δίκα δ' ἐρείδεται πυγμὴν,
2. Προσχαλκεύει δ' Αἶσα φασγανοῦργος.
3. Τέκνον δ' ἐπεις-
4. φέρει δόμοισι νέον
5. Αἱμάτοιο παλαιτέρων.
6. Τείνει μῦσος
7. Χρόνῳ κλυτὴ βυσσόφρων Ἐριννύς.

Aber bald wird ihre Brust
Das bittre Todesschwert durchdringen,
Von mächtiger Rache geführt.
Denn Ungerechtigkeit ist ihres Fusses
Leider sehr betretne Bahn;
Und jedes hohe Gesetz des Zeus
Hat längst ihr Frevel keck überschritten.

Antistr. 4.

Doch schon rüstet ihre Faust
Die Rache, und ihr stählt das Schicksal
Auf seinem Ambos das Schwert.
Von alter Blutschuld wird ein neuer Sprössling
Diesem Hause zugeführt,
Und so verlängt den Greuel noch
Der langerflehten Erinnys Tiefsinn.

VII.

De lectione carminis Aeschylei Prometh. vinct. v. 425 seqq. quaestio critica.

In Prometheo religato, nobili Aeschyli tragoedia Chorus Oceanitidum nympharum acerbam Promethei fortunam questus postquam ei nec vicinarum gentium misericordiam deesse significavit, in memoriam revocat similem Atlantis, coelo sustinendo devoti, laborem, eiusque aerumnam hisce coloribus depingit, v. 425 et qui sequuntur:

Μόνον δὴ πρόσθεν ἄλλον ἐν πόνοις
Δαμέντ᾽ ἀκαμαντοδέτοις
Τιτᾶνα λύμαις εἰςιδόμαν θεῶν
Ἄτλανθ᾽, ὃς αἰὲν ὑπείροχον σθένος
Κραταιὸν οὐράνιόν τε πόλον
Νώτοις ὑποβαστάζει
Βοᾷ δὲ πόντιος κλύδων
Ξυμπιτνῶν, στένει βυθὸς
Κελαινὸς δ᾽ Ἄϊδος ὑποβρέμει μυχὸς
Γᾶς, παγαί θ᾽ ἁγνορύτων ποταμῶν
Στένουσιν ἄλγος οἰκτρόν.

h. e. e Stanleii versione: *Alium quidem solum deorum antea in laboribus, domitum adamantinis corruptelis, Titanem vidi Atlantem, qui semper supereminens robur, firmum et coelestem polum humeris ingemiscens sustinet, mugit vero marinus fluctus collisus, suspirat fundus, et ater orci secessus fremit subtus terram, fontesque fluviorum limpidorum deplorant do-*

lorem miserabilem. Hic primum nos offendit vocabulum σθένος de *mole* seu *onere* coeli usurpatum. Apud Homerum, Hesiodum, Pindarum quoties occurrit σθένος, de viribus animi aut corporis robore intelligitur, ut ἴς, μένος, ἄλκη; nec alio sensu apud Aeschylum aliosque antiquos auctores positum legitur. Nunquam ad molem, aut onus aliquod cui ferendo scilicet corporis robore aut nervorum viribus opus sit transfertur. Esset enim incommoda translatio, cum notiones *oneris* et *roboris* ad sensum communem non similes inter se, sed oppositae sint, nimiumque inter se discrepent, quam ut altera ad alteram transferri possit. — Deinde in hoc versu Κραταιὸν οὐράνιόν τε πόλον, male coëunt epitheta κραταιὸν et οὐράνιον propter copulam τε adiectam. Nam adiectivum οὐράνιον necessitatis est, alterum κραταιὸν ornatus causa positum. Illud substantivi locum explet; nam οὐράνιος πόλος est i. a. οὐρανοῦ πόλος; hoc autem proprium adiectivi locum tuetur et suum. Duo autem adiectiva sic deinceps quidem, at diverso respectu posita et eidem substantivo iuncta, non solent copula καὶ aut τὲ vinciri. Fingamus aliquem Germanico sermone hanc notionem: *das mühselige Erdenleben*, sic exprimere velle, ut substantivum compositum in substantivum simplex adiectivo iunctum dissolvat, h. e. ut pro *Erdenleben*, dicat: *irdisches Leben;* num ferendus esset ita scribens: *das mühselige UND irdische Leben?* Nonne potius ἀσυνδέτως ita efferre deberet quod vellet, *das mühselige irdische Leben?* Eodem modo, quo minus aliquis pro vocabulo *Himmelspol* usurpet hanc ῥῆσιν: *himmlischen Pol*, nihil impedimus; iidem tamen iure nostro prohibemus, ne, quod sic dicendum erat: *den festen himmlischen Pol*, id ita, copula intrusa eloquatur, *den festen UND himmlischen Pol.* Esset enim ineptum et inconcinnum. Atqui si Aeschylus scripsisset κραταιὸν οὐράνιόν *TE* πόλον, in eodem sermonis vitio deprehenderetur. — Nova denique suspicio de vitiositate lectionis suboritur ex versu sequente:

ubi Stanleius ſecutus eſt lectionem quorundam librorum *νώτοις ὑποβαστάζει*. Verum Aldus et Turnebus ediderant *νώτοις ὑποστενάζει*; quod et Stanleius in notis probavit, et Brunckius V. C. de tragicis Graecis de Ariſtophane de Plauto ac Terentio optime meritus, idem in codicibus repertum revocavit. Poſtea Zeunius, acutiſſimus variantium lectionum arbiter, in recenſione codicis MSti Vitebergenſis, qui tres priores Aeſchyli tragoedias continet, optime monuit lectionem *ὑποβαστάζει*, quae inter lineas Ms. Viteb. eſt quoque notata, ſcholion eſſe exquiſitiſſimae lectionis eiusdem Ms. *ὑποστενάζει*, quam Scholiaſtes Ms. explicet *μετὰ στεναγμοῦ ἦχον ἐκφέρει*, ſed editus melius *μετ' ὠδίνης ὑπανέχει*. Nimirum ſi de utraque lectione *ὑποστενάζει* et *ὑποβαστάζει* quaeramus, utra poetae mentem ac manum certius prodat, quin prior ab Aeſchylo, poſterior a gloſſatore perfecta ſit dubitare nos non ſinit veriſſima lex criticorum, qua lectionem reconditam ideoque difficiliorem faciliori et planiori praeferre iubemur. Sed quantum ab hac regula lectioni *ὑποστενάζει* auctoritatis accedit, tantum eius dignitas imminui videbitur, cum in rem praeſentem venerimus, de interpretatione iudicaturi. Si enim Aeſchylus dixiſſet *νώτοις τὸν οὐράνιον πόλον ὑποστενάζειν* pro *νώτοις ἀνέχοντα ὑποστενάζειν*, quid hac ellipſi durius ſingi aut cogitari poſſet? aut ſi voluiſſet *ferendi* vel *ſuſtinendi* notionem in verbo *ὑποστενάζειν* includere, quid ineptius! Nam hoc genus loquendi mihi religio eſt audaciam dicere. Immanitas potius fuiſſet, et mera barbaria. Nos quidem exploderemus poetam ita loquentem: *Ich ſah den Atlas, der immerſort die überſchwengliche Stärke, den feſten und himmliſchen Pol, auf ſeinem Rücken unterſeufzet.* — Triplex igitur illud incommodum, quo hunc verborum contextum laborare vidimus, ita ſublevandum eſſe exiſtimamus, ut pro *κραταιὼν* legatur participium *κραταιῶν*, inter vocabula *νώτοις* et *ὑποβαστάζει* excidiſſe ſtatuamus aliud participium, quod *ferendi*, *ſuſtinendi*, ſ. *baiulandi*

notionem denotet, ut *φέρων*, *ἐρείδων*, *ἀνέχων*, aut simile. Versibus autem ita constitutis

ὃς αἰὲν ὑπείροχον σθένος
Κραταιῶν, οὐράνιόν τε πόλον
Νώτοις { *ἐρείδων* / *ἀνέχων* } *ὑποστενάζει*

hic sensus exit, non magis facilis et expeditus, quam exquisitus et poeticus: *Atlantem vidi — qui identidem praepotens robur*, eximias corporis vires, *firmans* h. e. intendens, *coelique polum dorso sustinens subtus ingemiscit*; vel, ut idem vernaculo sermone reddamus: *Ich sah — den Atlas, der seine überschwengliche Stärke immer von neuem anstrengend und den Himmel auf seinem Rücken emportragend, unter seiner Last erseufzet.* Qua quidem ratione si utimur, primum vocabulo *σθένος* nativa vis ac potestas redit; ita ut de virium robore, non de oneris mole positum intelligatur. Deinde adiectivum *ὑπείροχον* multo iam aptius fit et veritati convenientius; Atlantis enim vires tanto oneri ferendo non pares tantum, sed etiam superiores esse debebant, adeoque hoc epitheto non solum magnitudo roboris, sed eius quoque, si cum onere comparetur, excellentia designatur. Ingentes autem corporis vires in Atlante alii quoque poetae celebrant v. c. Ovidius, cui ille *hominum cunctos ingenti corpore praestans* dicitur; Metam. IV. 630. *Quis enim par esset Atlanti viribus?* ibid. IV. 652. Porro si scripsit Aeschylus, quod eum scripsisse suspicamur, *αἰὲν ὑπείροχον σθένος κραταιῶν*, ostendere nobis voluit Atlantem sub tanto onere, ne ei succumberet, identidem totis viribus connitentem, eumque cum ingenti coeli mole quasi *luctantem* finxit. Quae quidem imago Pindaro obversata est, Pyth. IV. 515. ubi de Demophilo dicitur *κεῖνος Ἄτλας οὐρανῷ προσπαλαίει*, eamque lectionem sapienter Heynius, vir celeberrimus, adversus Pauwii ineptam corrigendi libidinem defendit. Talem vero et hoc loco Atlantem de-

ſcribere utile erat, et ad miſerationem excitandam appoſitum. κραταιοῦν σθένος, *firmare robur*, quin idem ſignificet ac *intendere vires*, *totis viribus conniti*, nemo ut opinor dubitabit. Ut autem apud Homerum τῶν δὲ σθένος ὄρνυται αἰὲν Iliad. *Λ*. 826. idem eſt ac *horum robur* perpetuo, ſ. identidem *augeſcit*, ſic h. l. Atlas αἰὲν ὑπείροχον σθένος κραταιῶν recte dicitur, identidem ſ. perpetuo vires eximias intendens ac firmans ne moleſtu coeli onere plane opprimatur. Quod autem Stanleius lectionem νώτοις ſollicitavit, exiſtimans ὤμοις, quod etiam in verſione expreſſit, reponendum eſſe, id qua cauſa adductus fecerit, non aſſequimur. Certe ſic variant poetae in geſtu Atlantis deſcribendo, ut alii capite, alii humeris, alii dorſo coelum ab eo ſuſtineri ſignificent. Et Homerus quidem ſimpliciter nulla parte corporis nominata (Od. *Α*. 53.)

> Ἔχει δέ τε κίονας αὐτὸς
> Μακρὰς, αἳ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσι.

Heſiodus capite et manibus: Theog. 517.

> Ἄτλας ὃς οὐρανὸν ἔχει κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης
> Πείρασιν ἐν γαίης πρόπαρ Ἑσπερίδων λιγυφώνων
> Ἑστηὼς, κεφαλῇ τε καὶ ἀκαμάτοισι χέρεσσι.

Euripidi dicitur (Ione v. 1. 2.):

> Ἄτλας ὁ χαλκέοισι νώτοις οὐρανὸν
> Θεῶν παλαιὸν οἶκον ἐκτρίβων.

Sic etiam ignotus auctor verſuum, quos in codice Viteb. Scholiaſtes ad hunc Aeſchyli, quem tractamus, locum laudavit; quique ſed aliquot locis emendatiores leguntur in Eudociae Ἰωνίᾳ a V. Cl. d'Anſſe de Villoiſon edita p. 16. 17.

> Μῦθος παλαιὸς ὡς Ἄτλας νώτοις φέρει
> Τὸν οὐρανὸν κάτωθεν ἐκ γῆς ἀνέχων.
> Σὺ γοῦν ἀκούων γνῶθι τοῦτ' ἀλληγόρως.
> Ὄρος γὰρ Ἄτλας λιβύης ἐν ἐσχάτοις

Οὐ τὴν κορυφὴν ἐκ νεφῶν κεκρυμμένην,
Εἶναι δοκοῦσιν οὐρανοῖς συνημμένην
Ἐντεῦθεν οὖν Ἕλλησιν ἡ μυθουργία
Ἄτλαντα νώτοις εἰσαεὶ πόλον φέρειν.

Apollodorus humeris Atlantis coelum imponit; *Ἄτλας ὃς ἔχει τοῖς ὤμοις τὸν οὐρανὸν* Bibl. lib. 1. Idem narrat Hyginus fab. 150. Virgilio Atlas *axem ftellis ardentibus aptum humero torquere* Aen. IV. 482. VI. 797. et *aetherios orbes humero fustinere* dicitur ibid. VIII. 136. Quae cum ita fint, nihil opus eft h. l. *νώτοις* in *ὤμοις* mutare, etfi alio loco apud noftrum Prometh. v. 350. Atlas *ὤμοις κίον' οὐρανοῦ ἐρείδειν* dicitur. Quod vero inter vocabulum *νώτοις* et *ὑποστενάζει* aliquod participium excidiffe fufpicati fumus, quod *fulciendi* feu *fustinendi* notionem involvat, id eiusmodi eft, ut cum plura huius generis verba fint, ecquod eorum fcripferit Aefchylus, absque codicum teftimonio definire nequeamus. Quantum ex iis quae modo excitavimus fcriptorum locis patet, ufurpatae funt in hac re locutiones, *οὐρανὸν ἔχειν, ἀνέχειν, φέρειν, ἐρείδειν, ἐκτρίβειν.* Optimum forte fit *ἐρείδων*, ita verfus oritur afynartetus ex duabus penthemimeribus iambicis.

Νώτοις ἐρείδων ὑποστενάζει.

idque participium adhibuit nofter loco fimillimo Prometh. v. 347. ubi Oceanus ait:

Οὐ δῆτ' ἐπεί με καὶ κασιγνήτου τύχαι
Τείρουσ' Ἄτλαντος ὃς πρὸς ἑσπέρους τόπους
Ἕστηκε κίον' οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς
Ὤμοις ἐρείδων, ἄχθος οὐκ εὐάγκαλον.

Supereft ut quomodo illa loci Aefchylei, in quo cummaxime verfamur depravatio oriri potuerit, indagemus. Participium *κραταίων* facile librarius aliquis mutavit in adiectivum *κραταιὸν*, cum *O* et *Ω* faepius inter fe per-

mutata fuiſſe conſtet. Deinde cum caſu quodam participium *ΕΡΕΙΔΩΝ*, vel ſi quod aliud ſcripſerat Aeſchylus, inter *νώτοις* et *ὑποστενάζει* omiſſum eſſet, orta eſt gloſſa, qua ſcholiaſtes illud *ὑποστενάζει* explicavit per *ὑποβαστάζει*; eaque tandem, ut centies factum eſt, in textum immigravit, genuina lectione exturbata. Ceterum ſi quis forte hac parte coniecturae noſtrae, qua participium aliquod v. c. *ἐρείδων* excidiſſe ſuſpicati ſumus, minus delectetur, videat quaeſo, an alia via et ratione, quae nobis hunc locum diligentius excutientibus in mentem venit, propius ad veritatem lectionis Aeſchyleae accedere liceat. Apud Heſychium voc. *Νωτίζειν* haec leguntur: *Νωτίζειν· διώκειν, τρέπειν. Νωτίσαι· τὸ κατὰ νῶτα λαβεῖν καὶ παραμείψασθαι φυγόντα. Νωτίσασθαι· ὁ μὴ ὑπὸ ζυγὸν, ἀλλὰ τῷ νώτῳ ἀχθοφορῶν, ἄνθρωπος, ἵππος, ὄνος.* In ultima gloſſa iam Pergerus corrigendum cenſuit *Νωτίσας δέ·* pro *νωτίσασθαι*, eamque emendationem Alberti, doctiſſimus Heſychii editor, probavit. Quos quidem criticos ſi verum ibi vidiſſe ſtatuamus (quam in partem et nobis animum inclinare fatemur) certum eſt Heſychium alicubi inveniſſe participium *νωτίσας* ita uſurpatum, ut ſignificaret hominem qui onus quoddam dorſo ſubiit, (*der etwas auf den Rücken geladen hat, eine Laſt auf dem Rücken trägt*) tumque non omnino a veri ſpecie abhorreret, ſi quis ita Aeſchylum ſcripſiſſe exiſtimaret:

> *Ἄτλανθ᾽ ὃς αἰὲν ὑπείροχον σθένος*
> *Κραταιῶν, οὐράνιόν τε πόλον*
> *Νωτίσας ὑποστενάζει.*

Nos quidem etſi priorem iſtam hunc locum ſanandi rationem praeſerimus, qua inter *νώτοις* et *ὑποστενάζει* participium *ἐρείδων* vel ſimile quoddam librarii culpa omiſſum eſſe putabamus; noluimus tamen ne hanc quidem coniecturam ſilentio premere; quae etiamſi aeque

ac illa repudiata fuerit ab acutioribus harum rerum iudicibus, hoc certe lucri afferet, quod alii cognitis his, in quae alium viderint aberrasse, diverticulis, facilius iam veram seu interpretandi seu emendandi huius loci viam explorare ac reperire possint. Non magis enim Arithmetici quam Critici quadam quasi *regula falsi* utuntur, qua, compluribus falsis inter se comparatis, tandem quod verum est eliciunt.

VIII.

Carmen Aeſchyli antiſtrophicum in Choëphoris 312 — 475. *transpoſitione ſtropharum reſtitutum.*

In Aeſchyli Choëphoris v. 312 — 475. praeter tria ſyſtemata anapaeſtica editoribus reliqui verſus maximam partem monoſtrophici erant viſi. Enimvero *Godofr. Hermannus* V. Cl. Prof. Lipſienſis de re metrica Graecorum et Latinorum egregie meritus, (in obſervatt. critt. in quosdam locos Aeſchyli et Euripidis pag. 79.) docuit omnem hunc locum praeter anapaeſtica aliquot ſyſtemata antiſtrophicis carminibus conſtare, eaque hunc in modum deſignavit, ut STROPHE I. v. 312 — 319., STROPHE II. v. 320 — 328., ANTISTR. I. v. 329 — 336. ſyſtema anapaeſticum v. 337 — 341. STROPHE III. v. 342 — 350. ANTISTR. II. v. 351 — 359. ANTISTR. III. v. 360 — 368., ſyſtema Anapaeſticum v. 369 — 376. STROPHE IV. v. 377 — 382. STROPHE V. v. 383 — 389. ANTISTR. IV. v. 390 — 393. ſyſtema anapaeſticum v. 394 — 400. STROPHE VI. v. 401 — 405. ANTISTR. V. v. 405 — 412. ANTISTR. VI. v. 413 — 417. STROPHE VII. v. 418 — 429. STROPHE VIII. v. 430 — 434. ANTISTR. VIII. v. 435 — 439. ANTISTR. VII. v. 440 — 451. STROPHE IX. v. 452 — 456. ANTISTR. IX. v. 457 — 461.

STROPHE X. v. 462 — 466. ANTISTR. X. v. 462 — 471. contineretur.

Iam dubitari quidem nequit, quin Hermannus verum viderit, carmina illa non, ut vulgo putabatur, monostrophica, sed antistrophica esse; hoc tamen valde incommodum est, quod series stropharum et antistropharum inter se relatarum mire perturbata apparet. Quis enim sibi persuadeat post Strophas I. II. non ut saepe Antistrophas I. II. sed tantum Antistrophen I. deinde interiectis Anapaestis Strophen III. ac tunc demum Antistrophas II. et III. cantatas fuisse? Sic postea Strophas IV. et V. non Antistropha IV. et V. sed Antistrophe tantum IV. sequitur, et interiectis Anapaestis Stropham VI. comitatur Antistr. V. et VI. Maior etiam confusio in sequentibus. Antistrophae septimae enim praecurrit Antistrophe octava inaudito prorsus exemplo. Quare in metris quidem singularum stropharum et antistropharum constituendis amplectenda sane est Hermanni ratio, sed ita ut totum locum transpositione quarundam stropharum sublevemus, quo facto non solum ista in collocandis strophis antistrophisque perturbatio tolletur, sed etiam sententiarum imaginumque poëticarum lucido ordini consuletur.

Sic igitur locus ille, ut opinamur, constituendus est:

ΟΡΕΣΤΗΣ.

Str. I. *Ὦ πάτερ, αἰνόπατερ, τί σοι*
Φάμενος, ἢ τί ῥέξας
Τύχοιμ' ἂν, ἕκαθεν οὐρίσας
Ἔνθα σ' ἔχουσιν εὐναί,
Σκότῳ φάος ἰσόμοιρον;
Χάριτες δ' ὁμοίως
Κέκληται γόος εὐκλεὴς
Προςθοδόμοις Ἀτρείδαις.

ΗΛΕΚΤΡΑ.

Antistr. I. *Κλῦθί νυν, ὦ πάτερ, ἐν μέρει*
Πολυδάκρυτα πένθη.
Δίπαις τοί σ' ἐπιτύμβιος
Θρῆνος ἀναστενάζει.
Τάφος δ' ἱκέτας δέδεκται
Φυγάδας θ' ὁμοίως.
Τί τῶνδ' εὖ; τί δ' ἄτερ κακῶν;
Οὐκ ἀτρίακτος ἄτα;

ΧΟΡΟΣ.

Anapaesti. *Ἀλλ' ἔτ' ἂν ἐκ τῶνδε θεὸς χρῄζων*
Θείη κελάδους εὐφθογγοτέρους,
Ἀντὶ δὲ θρήνων ἐπιτυμβιδίων
Παίων μελάθροις ἐν βασιλείοις
Νεοκρᾶτα φίλον κομίσειεν.

ΟΡΕΣΤΗΣ.

Str. II. *Εἰ γὰρ ὑπ' Ἰλίῳ*
Πρός τινος Λυκίων, πάτερ,
Δορίτμητος κατηναρίσθης,
Λιπὼν ἂν εὔκλειαν ἐν δόμοισι,
Τέκνων τε κελεύθοις

Orestes.

O pater, venerande pater, quid tibi dicam, aut quid faciam, peregre huc adveniens, ubi te sepulcrum tenet, lux tenebris contigua? Tamen luctus in honorem Atridae, pristini aedium domini, celebratus gratum erga mortuum beneficium appellatur.

Electra.

Audi igitur, o pater, vicissim flebiles querelas. Duorum liberorum sepulcralis lessus tibi ingemiscit. Sepulcrum tuum supplices pariter atque exsules accepit. Quid horum bonum? Quid horum sine malis? Nonne calamitas est invicta?

Chorus.

At enim deus oracula reddens (Apollo) ex hisce querelis facile parare possit laetitiae voces; et pro sepulchralibus naeniis, mox forsan paean amicum denuo receptum in aedes regias introduxerit.

Orestes.

Utinam enim ante Ilium ab aliquo Lyciorum, o pater, hasta percussus occubuisses, gloria enim, hereditatis instar, familiae relicta liberorum vitae invidendam fortunam parasses, habuissesque in terra transmarina amplissimum sepulcrum familiae tuae tolerabile; amicus

Ἐπίστρεπτον αἰῶνα κτίσσας
Πολύχωστον ἂν εἶχες
Τάφον διαποντίου γᾶς
Δώμασιν εὐφόρητον,

Str. III.
Φίλος φίλοισι τοῖς
Ἐκεῖ καλῶς θανοῦσι,
Κατὰ χθονὸς ἐμπρέπων
Σεμνότιμος ἀνάκτωρ,
Πρόπολός τε τῶν μεγίστων
Χθονίων ἐκεῖ τυράννων·
Βασιλεὺς γὰρ ἦς ὄφρ' ἔζης,
Μόριμον λάχος πιμπλάντων
Χεροῖν πεισιμβρότῳ τε βάκτρῳ·

Antiſtr. II.
Μηδ' ὑπὸ Τρωΐοις
Τείχεσι φθίμενος, πάτερ,
Μετ' ἄλλῳ δορικμῆτι λαῷ
Παρὰ Σκαμάνδρου πόρον τέθαψαι.
Εἶθ' οὖν πάρος ἤ νιν
Κτανόντεσσιν οὕτω δαμῆναι,
Θανατηφόρον αἶσαν
Πρόσω τινὰ πυνθάνεσθαι
Τῶνδε πόνων ἄπειρον.

ΧΟΡΟΣ.

Antiſtr. III.
Τέκνον φρόνημα τοῦ
Θανόντος οὐ δαμάζει
Πυρὸς ἡ μαλερὰ γνάθος,
Φαίνει δ' ὕστερον ὀργάς.
Ὀτοτύζεται δ' ὁ θνήσκων,
Ἀναφαίνεται δ' ὁ βλάπτων.
Πατέρων δὲ καὶ τεκόντων
Γόος ἔνδικος ματεύει
Ποινὰν ἀμφιλαφὴς ταραχθείς.

quippe inter amicos illic decora morte defunctos, sub terra etiam insignis, venerandus rex et summorum regum apud inferos imperantium sacerdos. Eras enim, quoad vivebas, rex ex eorum numero, qui munus regium sibi fato creditum manibus (*virtute bellica*) et sceptro populum regente (*eloquentia in comitiis*) ornant. Utinam igitur priusquam sic ab interfectoribus caesus occubuisses, nos e longinquo potius mortem tuam renuntiatam audivissemus, horum, *quae nunc nos premunt*, malorum expertes.

Chorus.

O fili, mentem defuncti non domat flammae vorax mala; postea potius iras manifestat. Lugetur enim occisus, manifestatur qui eum laesit. Iustus autem luctus patrum matrumque causa susceptus poenam investigat, graviter conturbatus.

ΗΛΕΚΤΡΑ.

Str. IV. *Τοῦτο διαμπερὲς οὖς*
Ἵκεθ᾽ ἅπερ τε βέλος.
Ζεῦ, Ζεῦ κάτωθεν ἀμπέμπων
Ὑστερόποινον ἄταν
Βροτῶν τλήμονι καὶ πανούργῳ
Χειρί, (τοκεῦσι δ᾽ ὅμως τελεῖται·)

Str. V. *Ἐφυμνῆσαι γένοιτό μοι*
Πευκάεντ᾽ ὀλολυγμὸν ἀνδρὸς
Θεινομένου, γυναικός τ᾽ ὀλλυμένας.
Τί γὰρ κεύθω φρενί; θύον ἔμπας
Ποτᾶται, πάροιθεν δὲ πρώρας
Δριμείας κραδίας
Θύματος ἔγκοτον στύγος.

ΧΟΡΟΣ.

Anapaesti. *Ταῦτα μὲν, ὦ παῖ, κρείσσονα χρυσοῦ,*
Μεγάλης δὲ τύχης καὶ Ὑπερβορέου
Μείζονα φωνεῖς ὀδυνᾶσα.
Ἀλλὰ διπλῆς γὰρ τῆσδε μαραίνης
Δοῦπος ἱκνεῖται· τῶν μὲν ἀρωγοὶ
Κατὰ γῆς ἤδη, τῶν δὲ κρατούντων
Χέρες οὐχ ὅσιαι στυγερῶν θανάτων,
Παισὶ δὲ μᾶλλον γεγένηται.

ΗΛΕΚΤΡΑ.

Antistr. IV. *Καὶ πότ᾽ ἂν ἀμφιθαλὴς*
Ζεὺς ἐπὶ χεῖρα βάλοι;
Φεῦ, φεῦ κάρανα δαΐξας,
Πιστὰ γένοιτο χώρᾳ.
Δίκαν δ᾽ ἐξ ἀδίκων ἀπαιτῶ.
Κλῦτε δὲ τὰ χθονίων τετιμέναι.

Electra.

Hoc aurem meam penetravit tanquam sagitta! O Iupiter, Iupiter, qui ab inferis sursum mittere soles tarde punientem vindictam audaci et facinoroso mortalium generi, (similiter certe matri immittetur) utinam mihi contingat amarae eiulationi acclamare viri (*Aegisthi*) percussi, mulierisque (*Clytaemnestrae*) caede pereuntis. Quid enim pectore premo? Furens tamen erumpit, et excerbata praecordia obsidet caedis infensum odium.

Chorus.

Haec quidem, o filia, auro meliora magnaque fortuna ipsaque Hyperboreorum felicitate maiora, iusto dolore concitata pronuntias. At enim duplicis huius flagelli sonus ingruit: horum quidem *liberorum* auxiliatores (*Agamemnonem*) iàm terra condit; illorum vero, qui nunc imperant, manus haud purae sunt ab atroci caede; propius autem *hoc flagellum* liberos, *quam nos* tangit.

Electra.

Et sane aliquando praepotens Iupiter manum iniiciat, heu heu, capita (i. e. *tyrannos nunc imperantes*) interficiens; fidaque imperia regioni contingant. Iustam poenam ab iniustiis exposco. Audite me, vos *Furiae*, iura mortuorum persequentes.

ΧΟΡΟΣ.

Antistr. V. *Πέπαλται δ᾽ αὖτέ μοι φίλον*
Κέαρ, τόνδε κλύουσαν οἶκτον.
Καὶ τότε μὲν δύςελπις, σπλάγχνα δέ μοι
Κελαινοῦται πρὸς ἔπος κλυούσῃ.
Ὅταν δ᾽ αὖτ᾽ ἐπ᾽ ἀλκῇ θρασεῖα,
Ἀπέσταξεν ἄχος,
Πρὸς τὸ φανεῖσθαί μοι καλῶς.

ΟΡΕΣΤΗΣ.

Str. VI. *Ποῖ ποῖ δὴ νερτέρων τυραννίδες;*
Ἴδετε πολυκρατεῖς Ἀραὶ φθιμένων,
Ἴδεσθ᾽ Ἀτρειδᾶν τὰ λοίπ᾽ ἀμηχάνως
Ἔχοντα καὶ δωμάτων
Ἄτιμα. Πᾶ τὶς τράποιτ᾽ ἄν, ω Ζεῦ;

ΧΟΡΟΣ.

Anapaesti. *Ἀλλὰ νόμος μὲν φονίας σταγόνας*
Χυμένας ἐς πέδον, ἄλλο προςαιτεῖν
Αἷμα. Βοᾷ γὰρ λοιγὸς Ἐριννὺν
Παρὰ τῶν προτέρων φθιμένων ἄταν
Ἑτέραν ἐπάγουσαν ἐπ᾽ ἄτᾳ.

ΗΛΕΚΤΡΑ.

Antistr. VI. *Τί δ᾽ ἂν εἰπόντες τύχοιμεν, ἢ τάπερ*
Πάθομεν ἄχθεα πρός γε τεκομένων,
Πάρεστι σαίνειν; τὰ δ᾽ οὔτι θέλγεται.
Λύκος γὰρ ὥςτ᾽ ὠμόφρων
Ἄσαντος ἐκ ματρός ἐστι θυμός.

Str. VII. *Ἔκοψε κομμὸν Ἄρειον, εἴτε Κισσίας*
Πολεμιστρίας νόμοις
Ἄπρηκτα πολύπλαγκτ᾽ ἦν ἰδεῖν
Ἐπασσυτεροτριβῆ τὰ χερὸς ὀρέγματα

Chorus.

Iterum mihi palpitat cor hancce querelam audienti. Ac modo quidem spe fere abiecta viscera mihi atro angore pertentantur, tua verba audienti. Modo autem rursus ob speratum auxilium animosa sum, ac defluit anxietas, ut bonus rerum eventus futurus esse videatur.

Orestes.

Quorsum igitur, quorsum ista, o inferorum reginae? Videte, o praepotentes Dirae, Atridarum reliquias in magno discrimine versantes, et ex aedibus ignominiose expulsas. Quorsum igitur nos, o Iupiter, convertamus?

Chorus.

At lex est, sanguinis guttas in terram profusas alium sanguinem, deposcere. Vocat enim caedes perpetrata Furiam, quae cladi ex iis, qui prius interfecti sunt, novam cladem superinducit.

Electra.

Quid igitur dicamus? Num licet illas calamitatum molestias, quibus nos mater oneravit, blandis verbis extenuare et mollire? At enim illa nulla oratione leniuntur. Implacabilis enim, lupi voracis instar, est ira nostra ex matris facinore concepta. Icit ictum Martium, deinde Cissiae more bellatricis multas identidem plagas cernere licebat saepe irritas saepe caeco impetu huc illuc aberrantes (*Agamemnoni*) catervatim desuper et insuper inflictas

Ἄνωθεν ἀνέκαθεν· κτύπῳ δ' ἐπιῤῥοθεῖ
Κροτητὸν ἀμὸν καὶ πανάθλιον κάρα
* * * * * * * *
Ἰὼ, ἰὼ, δαΐα
Πάντολμε μᾶτερ, δαΐαις ἐν ἐκφοραῖς
Ἄνευ πολιτᾶν ἄνα-
κτ', ἄνευ δὲ πενθημάτων
Ἔτλης ἀνοίμωκτον ἄνδρα θάψαι.
Ἐμασχαλίσθη δ' ἔθ' ὡς τόδ' εἰδῇς,
Str. VIII. *Ἔπρασσε δ' ᾗπερ νιν, ὧδε θάπτει*
Μόρον γε μαιμωμένα
Ἄφερτον αἰῶνι σῷ.
Κλύεις πατρῴους δύας ἀτίμους.

ΟΡΕΣΤΗΣ.

Antistr. VII. *Πατρῷιον λέγεις πατρῷιον μόρον.*

ΗΛΕΚΤΡΑ.

Ἐγὼ δ' ἀπεστάτουν
Ἄτιμος, οὐδὲν ἀξία.
Μυχοῦ δ' ἄφερκτος πολυσίνου κυνὸς δίκαν
Ἑτοιμότερα γέλωτος ἀνέφερον λίβη,
Χαίρουσα πολύδακρυν γόον κεκρυμμένα.
Τοιαῦτ' ἀκούων ἐν φρεσὶν
Γράφου, δι' ὤτων δὲ συν-
τέτραινε μῦθον ἡσύχῳ φρενῶν βάσει.
Τὰ μὲν γὰρ οὕτως ἔχει,
Τὰ δ' αὐτὸς ὄργα μαθεῖν.
Πρέπει δ' ἀκάμπτῳ μένει καθήκειν.

ΟΡΕΣΤΗΣ.

Antistr. VIII. *Τὸ πᾶν ἀτίμως ἔλεξας, οἴμοι.*
Πατρὸς δ' ἀτίμωσιν Ἀρὰ τίσει
Ἕκατι μὲν δαιμόνων,

et his plagarum crepitibus reſpondebat caput meum miſerum prae dolore manibus crebro percuſſum. Heu heu, infenſa facinoroſa mater, auſa es, quaſi hoſtem, nemine civium funus comitante, absque luctu indefletum maritum ſepelire! Extremis quoque membris eum truncavit, ut hoc quoque ſcias; quo autem modo eum interfecit, eodem ſepelivit, infortunium quaerens vitae tuae intolerabile. Audis patris miſerias inhoneſtas.

Oreſtes.

Patris narras, patris inquam, infortunium.

Electra.

Ego vero receſſi ſpreta, contemta, nihili aeſtimata, penetralibusque excluſa noxiae canis inſtar, multo promtior ad flendum, quam ad ridendum eram, gaudebam tamen ſi lacrymabilem luctum celare poſſem. Haec igitur audiens animo tuo infige, ſermonemque meum auribus acceptum quieta mentis agitatione perpende. Nam iſta quidem ita ſe habent; cetera vero ipſe cognoſcere ſtude. Decet autem inflexibili animi robore hoſtes aggredi.

Oreſtes.

Eheu omnia, quae narraſti ignominioſa ſunt. Patris autem ignominiam Furia aeſtimabit, deorum quidem nutu,

Ἕκατι δ' ἁμᾶν χερῶν.
Ἔπειτ' ἐγὼ νοσφίσας ὀλοίμαν.
Σέ τοι λέγω, ξυγγενοῦ, πάτερ, φίλοις.

ΗΛΕΚΤΡΑ.

Str. IX. *Ἐγὼ δ' ἐπιφθέγγομαι κεκλαυμένα,*
Στάσις δὲ πάγκοινος ἅδ' ἐπιῤῥοθεῖ,
Ἄκουσον ἐς φάος μολὼν,
Ξὺν δὲ γενοῦ πρὸς ἐχθρούς.
Ἄρης Ἄρει ξυμβαλεῖ Δίκα Δίκᾳ.
Ἰὼ, θεοὶ, κραίνετ' ἐνδίκως δίκας.

ΧΟΡΟΣ.

Antistr. IX. *Τρόμος μ' ὑφέρπει κλύουσαν εὐγμάτων.*
Τὸ μόρσιμον μένει πάλαι,
Εὐχομένοις δ' ἂν ἔλθοι.

manuum vero mearum ministerio. Deinde, si eam interfecero, moriar. Te igitur compello, adsis, o pater, amicis!

Electra.

Ego vero cum lacrymis accino, totusque chorus sic acclamat. Audi, quaesumus, in lucem rediens, nobisque adversus hostes opitulare. Mars Marti coniungetur, Vindicta Vindictae. O dii, ut ius fas est, perficite ultionem.

Chorus.

Tremor me occupat vota audientem. Fatalis necessitas olim nos manet, votis autem veniens respondeat.

Iamque ordine vulgari sequuntur Stropha X. et Antistropha X. tribus versibus anapaesticis totum carmen claudentibus.

IX.

In Sophoclis Philoct. v. 687 — 712. *diatribe.*

Mollisſimi ſunt verſiculi, atque etiamnum commiſſum humaniſſimorum ſenſuum calorem ſpirant, quos apud Sophoclem in Philoctete, v. 676 ſqu. Chorus fundit, miſeram huius viri ſortem lamentis proſequens, quem diro ſerpentis ictu vulneratum, pedis ulcere laborantem, in inſulae Lemni ſolitudine expoſitum dereliquerant Agamemnon et Menelaus Troiae ad oppugnationem profecti. E quibus hos, qui ſequuntur illuſtrandos eo libentius nunc ſumſimus, quod nec poſt Gedickii ſtudia in hanc tragoediam collata, nec poſt Brunckii luculentiſſimam operam univerſis Sophoclis tragoediis nuper dicatam, hic ibi Sophoclis aut mentem rectius aſſequendi aut manum reſtituendi locus deeſſe videbatur.

Τόδε θαῦμ' ἔχει με,
πῶς ποτε, πῶς ποτ' ἀμφιπλήκτων
ῥοθίων μόνος κλύων, πῶς
ἄρα πανδάκρυτον οὕτω βιοτὰν κατέσχεν·
ἵν' αὐτὸς ἦν πρόσουρος, οὐκ ἔχων βάσιν,
οὐδέ τιν' ἐγχώρων κακογείτονα,
παρ' ᾧ στόνον ἀντίτυπον
βαρυβρῶτ' ἀποκλαύσειεν
αἱματηρόν· οὐδέ γ'
ὃς τὰν θερμοτάταν αἱμά-
δα κηκιομέναν ἑλκέων
ἐνθήρου ποδὸς ἠπίοισι φύλλοις
κατευνάσειεν, εἴ τιν' ἐμπέσοι
φορβάδος ὥστε γᾶς ἑλεῖν,
ἕρπει γὰρ ἄλλοτ' ἄλλᾳ,
τότ' ἂν εἰλυόμενος,

παῖς ἄτερ ὡς φίλας τιθήνας,
ὅθεν εὐμάρει' ὑπάρχει
πόρων, ἀνίκ' ἐξανίῃ δακέθυμος ἄτα.
οὐ φορβὰν ἱερᾶς
γᾶς σπόρον, οὐκ ἄλλων
αἴρων, τῶν νεμόμεσθ'
ἀνέρες ἀλφησταὶ,
πλὴν ἐξ ὠκυβόλων
εἴ ποτε τόξων πτανῶν πτανοῖς
ἀνύσειε γαστρὶ φορβάν.

Ita quidem textum Cl. Brunckius in nova editione conſtituit. Latinis autem verbis iſta ſic expreſſit: *Hoc demiror, quo pacto tandem, quo pacto fluctuum undique adliſorum ſonitum audiens ita ſolus lacrymoſam egit vitam, ubi ipſe ſibi erat accola, lapſantem vix promovens gradum, neque incolam loci ullum, infortunii ſui adfinem habens, gemitus repetentem, quibus ille deplorare ſolebat edacis ſanguinei ulceris graves dolores; nec qui fervidum ſanguinem ex ulceibus laeſi venenato morſu pedis ſcatentem lenibus herbis ſiſteret, ſi quibus forte incidiſſet, quas ex terra altrice caperet. Alias enim alio ſe confert, quando remittit fera lues morbi, repens, velut infans quem cara deſtituit nutrix, quo facili perveniat via, non almae telluris fruges pro cibo capiens, nec aliud quidquam eorum quibus veſcimur homines induſtrii, niſi ſi quando velocibus pennigeris ſagittis volucres configens ventri victum comparat.*

Hic primum nobis verſum 685 levior quaedam menda inſidere videtur, facillime tollenda. Non enim τόδε θαῦμα ſcripſiſſe videtur Sophocles, ſed potius τὸ δὲ θαῦμα. Etenim cum θαῦμ' ἔχει με, dictum ſit pro θαυμάζω, verborum vero conſtructio non θαυμάζω τοῦτο, ſed θαυμάζω δὲ poſtulet, planum eſt hic non τόδε θαῦμ' ἔχει με, *hoc demiror*, ſed τὸ δὲ θαῦμ' ἔχει με, *miror vero* requiri. Et ſic a Gedickio editum videmus.

V. 689. recte damnaverunt viri docti post Canterum lectionem *κλύζων*; non tam illam ob caussam, quam Gedickius affert, quod nec ipse Philoctetes nec antrum fluctibus inundari potuerit; quidni enim metaphorice de fluctibus calamitatum intelligere liceret, quod ipsum interpretes nonnulli spectasse videntur, qui sic verterunt: *cum undique agitatis fluctibus mergeretur*. Attamen *κλύζων* constructioni et metro repugnat ideoque unice vera est lectio *κλύων* neutro vitio laborans, aptissimumque huic loco sensum praebens. In quo tamen a Brunckio hactenus dissentimus, quod *μόνος κλύων* positum nobis videtur pro *μόνον κλύων*, *nihil aliud praeter fluctuum sonum audiens*. Neque tamen pertinaciter repugnabimus, si cui potius visum fuerit, *μόνος* de solitudine Philoctetae interpretari. *ἵν᾽ αὐτὸς ἦν πρόσουρος* significare nobis videtur, *ubi solus erat vicinus* h. e. *incola*. *Αὐτὸς* interdum hoc sensu poni, ut sit i. q. *μόνος* iam a Valckenario animadversum est. Sic duriusculam effugimus rationem, quam Brunckius amplectitur, *αὐτὸς πρόσουρος* pro *αὐτοπρόσουρος* positum esse existimans. Nec opus est vocabulum *πρόσουρος* coniecturis sollicitare. *Finitimum* enim s. *vicinum* pro *incola* praesertim a poeta dici mirum non videbitur, si quis cogitaverit, in multis Germaniae regionibus vocabulum *Nachbar*, ubi de pagorum incolis loquuntur, lingua populari pro *Einwohner* usurpari.

V. 692. *κακογείτονα* non ut olim *malum vicinum*, q. d. *κακὸν γείτονα*, vertendum, sed pro *κακῶν γείτονα*, sic ut *κακόμαντις* pro *κακῶν μάντις*, positum esse iam Lessingius observavit, in *Laocoonte* s. libro de poeseos et picturae finibus; eumque recte sequuntur Brunckius et Gedickius. Unum hoc monemus *κακογείτονα* non esse *socium malorum* (miserum enim Philoctetae solamen fuisset, socios malorum habuisse) sed *vicinum mali*, h. e. hominem, qui ob viciniam ei qui in malis versatur, succurrere et subvenire possit. Talis enim v. 169 sqq. describebatur:

Οἰκτείρω νιν ἔγωγ᾽ ὅπως
μή του κηδομένου βροτῶν
μηδὲ ξύντροφον ὄμμ᾽ ἔχων
δύστανος μόνος αἰεὶ
νοσεῖ μὲν νόσον ἀγρίαν.

Talis et hic requiritur; vicinus incolumis, et viribus integer, qui partim confolari, partim adiuvare Philocteten poffit.

In fequentibus verbis mirifice fe torferunt interpretes. Scholiaftes quidem fic accipienda effe monet: *οὐδέ τινα ἐγχώρων ἔχων παρ᾽ ᾧ δὴ τὸν κακὸν γείτονα τὸν αἱματηρὸν στόνον ἀποκλαύσειε.* Quod quam abfurdum fit, nihil opus eft multis verbis declarare. Alii, multo certe quam ifte melius verterunt: *apud quem gemitum mutuum gravemque ac cruentum ederet.* Veruntamen et haec ratio multis laborat incommodis. Cur enim hic *στόνος ἀντίτυπος* gemitus *mutuus* diceretur, ubi de Philoctetae ipfius gemitu ageretur? Quomodo notionem verbi *στενάζειν* Sophocles per *ἀντίτυπον στόνον ἀποκλαίειν* efferre potuiffet? Brunckius autem ita libere transtulit, ut quomodo latina eius verba Sophocleis graecis accommodari poffint, prorfus non intelligamus. Vertit enim: *neque incolam loci ullum, infortunii fui adfinem habens gemitus, repetentem, quibus ille deplorare folebat edacis fanguinei ulceris dolores.* Quo enim pacto *στόνον ἀντίτυπον* fignificare poffit *gemitus repetentem?* Qua vero ratione *ἀποκλαύσειεν*, *deplorare folebat?* Apertum eft, univerfae fententiae confecutionem, verborumque ftructuram fpectantibus, eundem hominem ad quem relativum *ὃς* inter *οὐδὲ* et *τὰν θερμοτάταν* pertineat, defignari quoque verbis *παρ᾽ ᾧ*, nec verbum *ἀποκλαύσειεν* ad alium trahi poffe, atque ad illum ipfum, de quo poftea dicitur *οὐδ᾽ ὃς — κατευνάσειεν.* Quid multa? Levi nonnullarum literarum correctione facillimus idemque aptiffimus reftituitur fenfus. Legendum eft nimirum:

παρ' οὗ στόνος ἀντίτυπος
βαρυβρῶτ' ἀπεκλαύσειεν αἱματηρόν.

totumque illud carmen ſic interpretandum: *ubi ſolus erat incola, pedibus minime valens, neque quemquam incolarum infortunii ſui vicinum habens, a quo* (i. e. cuius) *gemitus* (gemitibus ſcil. Philoctetae) *reſpondens graviter vulneratum cruentum hominem deploraret, nec qui fervidum ſanguinem ex ulceribus laeſi ſerpentis morſu pedis ſcatentem lenibus herbis ſiſteret.* Quam facile fuerit librariis, *παρ' οὗ* in *παρ' ᾧ*, et ſyllabas in finales $\overline{O\Sigma}$ in $\overline{ON}$ depravare, nemo non videt. Vocabulo *βαρυβρὼς* cui activam omnes vim tribuerunt, *graviter exedens*, nos paſſivam adſignamus, ut ſignificet i. q. *graviter vulneratus*, ſ. *qui* (ab *ulcere* ſcil.) *miſerabiliter conſumitur.* Sic Philoctetes novum doloris acceſſum ſentiens infra v. 745. clamat: *βρύκομαι exedor, conſumor* a vulnere. Neque vero verendum eſt, ne quis paſſivam vim ab epitheto *βαρυβρὼς* prorſus alienam eſſe contendat. Quidni enim cum in *ἀβρὼς, νεοβρὼς* ſenſus paſſivus obtineat, eundem quoque ſimiliter formato *βαρυβρὼς* tribuamus? Cur, ſi *ἡμιβρὼς* nihil aliud eſt quam *ſemeſus*, neceſſarium ſit *βαρυβρὼς* vertere: *graviter exedens*, ac non potius *graviter exeſus, laeſus, vulneratus?*

Iam autem *στόνος ἀντίτυπος*, optime deſignat hominis in ſocietatem doloris venientis gemitum lamentis Philoctetae ex ulcere laborantis reſpondentem et *quaſi reſonantem.* Sic infra v. 1458 eadem phraſis occurrit, de monte querelas et gemitus Philoctetae repetente.

πόλλα δὲ φωνῆς τῆς ἡμετέρας
Ἑρμαῖον ὄρος παρέπεμψεν ἐμοὶ
στόνον ἀντίτυπον χειμαζομένῳ.

Cui quidem imagini ſimilis eſt illa in Oedip. tyr. v. 427.

βοῆς δὲ τῆς σῆς ποῖος οὐκ ἔσται λιμὴν
ποῖος κιθαίρων οὐχὶ σύμφωνος τάχα.

Nostro igitur loco στόνος ἀντίτυπος est gemitus a misericordia expressus hominis gravem alterius dolorem humaniter excipientis, eoque ipso tamquam proprio affecti.

Supra Chorus itidem Philoctetae sortem deplorans, primum solitudinem eius v. 182. querebatur:

Κεῖται μοῦνος ἀπ' ἄλλων

deinde paulo post addebat

βαρει-
α δ' ἀθυρόστομος
ἀχὼ τηλεφανὴς πικρᾶς
οἰμωγᾶς ὑπακούει.

ubi elegantissimam lectionem ὑπακούει pro vulgari ὑπόκειται Brunckii ingenio debemus. Vellemus tamen simul pro πικρᾶς οἰμωγᾶς edidisset πικραῖς οἰμωγαῖς. Etenim πικρᾶς οἰμωγᾶς ὑπακούει significat *acerbum gemitum audit;* quod quamquam in Echus personam cadit, multo tamen aptius est πικραῖς οἰμωγαῖς ὑπακούει *acerbis eiulatibus respondet;* sumta, ut facile patet, a ianitoribus metaphora, qui proprie dicuntur advenientibus ὑπακούειν. Ut igitur ibi Philocteten deplorat Chorus, quod omni hominum consortio exclusus sit, ac sola Echo loquax illa quidem ac garrula, sed quae subvenire nequeat, querelis eius respondeat, sic hoc loco, quem cum maxime tractamus, eandem fere sententiam alio modo effert, dolens nimirum Philoctetae infortunium, qui neminem habeat vicinum, cuius στόνος ἀντίτυπος eum graviter saucium et ab ulcere laceratum deploret; quemadmodum ipse Neoptolemus v. 760. Philoctetae gemitibus reponit ἰὼ δύστηνε σύ, ἰὼ ἰώ, et quae sequuntur.

V. 699. ante Brunckium sic legebatur:

εἴ τις ἐμπέσοι
φορβάδος ἔκ τε γᾶς ἑλεῖν.

nisi quod nonnullae edd. pro *τε* (quod quidem hic prorsus otiosum esset) legunt *γε.* Sed unice verum est quod reposuit Brunckius: *εἴ τιν᾽ ἐμπέσοι* (scil. *φύλλα,*) *φορβάδος ὥςτε γᾶς ἑλεῖν. Quaerendae* scilicet erant herbae, quibus leniretur vulneris dolor. Itaque queritur Chorus neminem adesse, qui si usus veniat, herbas quibus opus esset, quaerere ac decerpere posset; adeoque Philoctetae ipsi quamvis claudo ac pedis vulnere afflicto, herbarum causa exeundi necessitatem imponi. Id etiam versu 44. Ulyssi veniebat in mentem; neganti procul abesse posse Philocteten:

πῶς γὰρ ἂν νοσῶν ἀνὴρ
κῶλον παλαιᾷ κηρὶ προςβαίη μακράν;
ἀλλ᾽ ἢ ᾽πὶ φορβῆς νόστον ἐξελήλυθεν,
ἢ φύλλον εἴ τι νώδυνον κάτοιδέ που.

V. 704. *ὅθεν εὐμάρει᾽ ὑπάρχει πόρων* dupliciter interpretantur viri docti. Heathius enim hoc modo: *ad illa loca unde copia se offert tibi parandi;* quod primum bene respondet particulae *ὅθεν,* deinde etiam convenire videtur versui 43. ubi de Philoctete dicitur: *ἀλλ᾽ ἢ ᾽πὶ φορβῆς νόστον ἐξελήλυθεν,* quem locum apte sic illustrat Brunckius: „Philoctetae alimentum praebebant aves et ferae, quas sagittis configebat. Atqui aves et ferae statis horis ad certa loca se conferre solent.“ Itaque ex Heathii versione his verbis *ὅθεν εὐμάρει᾽ ὑπάρχει πόρων* periphrasis inesset illius viae, quae supra brevius *φορβῆς νόστος* appellabatur. Alii vero Scholiasten secuti, in quibus Gedickius et Brunckius numerantur, haec verba de *facilitate viae* accipiunt; ut sensus hic efficiatur: Philoctetes eo potissimum arrepit, ubi viam reperit commodissimam, ubi quam minime veretur, ne pedem offendat. In quo tamen durum est *ὅθεν* pro *ὅπου* positum. Nobis igitur in mentem venit reponere

ὅταν εὐμάρει᾽ ὑπάρχει πόρων

ita

ita ut εὐμάρεια πόρων de *facultate eundi*, *itineris faciendi* intelligatur, quae tum demum, ubi vis dolorum ex ulcere remisisset, Philoctetae redire solebat. Sic ὅταν refertur ad praecedens τότ' ἂν et ἀνίκ' ἐξανίῃ pendet ab ultimo enuntiato ὅταν εὐμάρει' ὑπάρχει πόρων. Universum vero illud comma hunc in modum latino sermone reddere placet: *Alias enim alio arrepit, tunc demum se provolvens, tanquam infans quem cara destituit nutrix, cum ei facilitas suppetit viae ingrediendae, sicubi nimirum dira vis morbi se remiserit.*

V. 707. optime vulgatam lectionem ἄλλων adversus Reiskii coniecturam ἀγρῶν a Gedickio in textum etiam receptam tuetur Brunckius. Haud scimus tamen an Sophocles ἄλλ' ἂν scripserit. — Mollior sane esset verborum constructio οὐκ ἄλλο ἂν αἴρων τῶν νεμόμεσθ'· etc. pro ἄλλο ἂν αἴρων τούτων οἷς etc. more Graecis sollemni in pronominibus relativis.

X.

Super Aeschyli Choëphoris v. 161 sqq. commentatio.

In Aeschyli Choëphoris v. 161 sqq. Electra patris tumulo adstans, peractis inferiis detonsum capilli cincinnum, ibi honoris et luctus gratia positum, conspicit. Choro deinde quaerenti, cuiusnam viri aut puellae hunc cincinnum esse putet, primum significat, neminem Argis inveniri, qui praeter se hunc cincinnum potuerit patris tumulo dedicare. A civibus enim id haud expectandum esse (cf. v. 184 sq.) neque vero matrem Clytaemnestram sibi eum abscidisse (cf. v. 186 sqq.). Se ipsam vero sat scire, suum non esse illum cincinnum; tamen colore simillimum esse suis ipsius capillis. Inde haec inter Electram et Chorum verborum altercatio procedit:

Ηλεκτρα.

Οὐκ ἔστιν ὅςτις πλὴν ἐμοῦ κείραιτό νιν.

Χορος:

Ἐχθροὶ γὰρ οἷς προςῆκε πενθῆσαι τριχί.

Ηλεκτρα.

Καὶ μὴν ὅδ᾽ ἐστὶ κάρτ᾽ ἰδεῖν ὁμόπτερος....

Χορος.

Ποίαις ἐθείραις; τοῦτο γὰρ θέλω μαθεῖν.

Ηλεκτρα.

Αὐταῖσιν ἡμῶν κάρτα προςφερὴς ἰδεῖν.

Iam ſtatim infert Chorus, num forte hic cincinnus clandeſtinum Oreſtis donum ſit:

Μῶν οὖν Ὀρέστου κρύβδα δῶρον ᾖ τόδε;

Et reſpondet Electra:

Μάλιστ᾽ ἐκείνου βοστρύχοις προςείδεται.

Ex hisce igitur verbis inter ſe comparatis liquido conſtat, Aeſchylum hanc partem fabulae ſic inſtituiſſe, ut primo capillum Oreſtis ad colorem capillo Electrae ſimillimum fuiſſe fingeret, deinde vero hanc ſimilitudinem non Electrae ſolum ſed Choro quoque notam et perſpectam fuiſſe. Et hactenus quidem non eſt quod in hac *ἀναγνωρίσεως* ratione quidquam reprehendamus. Eſt enim *ἀναγνώρισις ἐκ συλλογισμοῦ*, ut ait Ariſtoteles de poetica cap. XV. *Τετάρτη δὲ ἀναγνώρισις ἐκ συλλογισμοῦ, οἷον ἐν Χοηφόροις, ὅτι ὅμοιός τις ἐλήλυθεν, ὅμοιος δὲ οὐδεὶς, ἀλλ᾽ ἢ Ὀρέστης.* Minime enim admittenda nobis videtur Twinningii explicatio, qui philoſophum hic non ad Electram, fratris adventum argumentatione ex capilli ſimilitudine ducta coniectantem, reſpicere, ſed potius ad Oreſtem ipſum, qui Electram ſororem ſuam eſſe e ſermone ipſius audito collegerit. Dubitandum igitur cenſet, annon potius Ariſtoteles ex alia quadam tragoedia cognomine quam ex Aeſchyli Choëphoris illud agnitionis exemplum petierit. Quod quidem propterea parum nobis probatur, quod ſi alias quasdam Choëphoras commemorare voluiſſet Ariſtoteles, certe auctoris nomen, minore quam Aeſchylus celebritate florentis, addidiſſet. Neque vero, quidni philoſophus potuerit quartam agnitionis ſpeciem iure ſuo ponere *ἐκ συλλογισμοῦ*, ſatis intelligitur. Repugnat quidem Twinningius hanc ob cauſam, quod haec ratio ſit cum ceteris agnitionis modis communis. *One thing*, inquit, *however ſeems clear, that ἐκ συλλογισμοῦ cannot mean, as ſome interpreters have underſtood it to mean, „by reaſoning or inference in the mind „of the perſon, who makes the diſcovery“ becauſe this is common to all the modes of diſcovery. — — Diſcovery by*

inference, therefore, on the part of the diſcoverer can not be made a diſtinct ſpecies. — Etſi enim Twinningio concedimus in ceteris quoque agnitionis modis συλλογισμὸν ſive concluſionem valere, aliud tamen eſt, agnitionem fieri concludendo ex ſignis quibusdam viſibilibus, ut ſi quis amicum e cicatrice ipſi propria agnoverit; aliud ſi *merum* adhibeat *ratiocinium;* quod hoc loco ſit apud Aeſchylum. Cincinnus enim in Agamemnonis ſepulcro poſitus nullo modo poteſt ſignum Oreſtis viſibile dici; ſed ſola argumentatione ducitur Electra, ut ſuſpicetur Oreſtem veniſſe, cincinno illo conſpecto. Et ſeries quidem argumentorum, quibus utitur Electra, haec eſt, iam in commentario ad Aeſchyli Choëphoros expoſita *). 1) „Video cincinnum in tumulo patris poſitum. 2) Eum nemo praeter me donare potuit; 3) et profecto crines meis ſimiles ſunt colore. 4) Neque tamen, eius rei ſum mihi ipſa teſtis, hunc cincinnum de capite meo abſcidi. 5) Quid? ſi Oreſtis donum ſit ille cincinnus? 6) Sane color crinium haud repugnat; bene enim memini fratris mei crines meis ad colorem ſimiles eſſe. 7) Et fortaſſe nuntium aliquem miſit, qui cincinnum hunc patris tumulo conſecraret; nam ipſum quidem huc veniſſe vix audeo ſperare.“ Ceterum facile Twinningio largimur argumentatione e coloris crinium ſimilitudine ducta, non totam agnitionem Oreſtis in Choëphoris perfici; quin potius initium tantum agnoſcendi Oreſtis ea contineri. Veruntamen hoc Ariſtotelem prohibere non poterat, quo minus hanc rationem ἐκ συλλογισμοῦ feorſim in agnitionis modis enumerandis poneret. Sophocles eadem argumentandi via utentem facit Chryſothemin, ita tamen ut ſimilitudine coloris neglecta, ideo tantum colligat Oreſtem veniſſe, quia nemo ſit, qui cincinnum illum in patris tumulo ponere potuerit, praeter Oreſtem.

*) Aeſchyl. trag. edit. Schütz. commentar. Vol. III. p. 80.

Sed alia pars agnitionis ab Aeſchylo inſtitutae ſequitur hisce verſibus, in quibus multa ſunt, quae attentum quidem et curioſum lectorem offendere poſſint.

202 *Καὶ μὴν στίβοι γε, δεύτερον τεκμήριον*
Ποδῶν ὅμοιοι, τοῖς τ' ἐμοῖσιν ἐμφερεῖς.
Καὶ γὰρ δύ' ἐστὸν τώδε περιγραφὰ ποδοῖν.
205 *Αὐτοῦ τ' ἐκείνου καὶ ξυνεμπόρου τινός.*
Πτέρναι τενόντων θ' ὑπογραφαὶ μετρούμεναι
Εἰς ταὐτὸ συμβαίνουσι τοῖς ἐμοῖς στίβοις.

Quae nimirum hos verſiculos incommoda premant, loco ſupra commemorato *) ſtrictim expoſuimus. Primum enim nemini poſſe perſuaderi, Electram Oreſtis videndi cupiditate adeo in transverſum abreptam eſſe, ut ex aequalitate et ſimilitudine veſtigiorum colligeret, fratrem fuiſſe, qui ea impreſſerit. Deinde ipſam verborum collocationem laborare; ut enim nihil dicatur de pleonaſmo ſatis inſiceto *στίβου ποδῶν ὅμοιοι τοῖς τ' ἐμοῖσιν ἐμφερεῖς*, quorſum illud *καὶ γὰρ* pertinere? — Praeterea incommode de veſtigiis in arena impreſſis dici *πτέρναι*, omninoque verſu 206. 207. inanem habere eorum, quae v. 201. 202. dicta eſſent repetitionem. Quapropter v. 202 — 207 a ſciolo quodam confecti et una cum verſiculo 224.

Ἰχνοσκοποῦσά τ' ἐν στίβοισι τοῖς ἐμοῖς.

Aeſchylo obtruſi videbantur.

Et hanc quidem disputationem vir doctiſſimus, qui de ea retulit in diario: *Allgem. Lit. Zeitung* 1797. ſcida 221. 222. hactenus probavit ut interpolatoris manum hic rec e deprehenſam agnoſceret, idem tamen haud omnes illos verſiculos Aeſchylo abiudicandos cenſeret. Sic igitur hunc locum conſtituit, eiectis v. 203 et 206, verſiculo autem 207 transpoſito:

---

*) Ibid. p. 38.

Καὶ μὴν, στίβοι γε, δεύτερον τεκμήριον,
Εἰς ταὐτὸ συμβαίνουσι τοῖς ἐμοῖς στίβοις.
Καὶ γὰρ δύ' ἐστὸν τώδε περιγραφὰ ποδοῖν
Αὐτοῦ τ' ἐκείνου καὶ ξυνεμπόρου τινός.
Πάρεστι δ' ὠδὶς etc.

Quamquam vero hac medela, quae fane benignior eft, quam totum illum locum refecandi confilium, multae difficultates, quae eum circumveniunt, optime fublevantur, hoc tamen incommodum manet, quod Electra e fimilitudine aut aequalitate quam inter fua et peregrini hofpitis veftigia intercedere videt, colligere fingitur, illa veftigia ab Orefte fratre impreffa effe, quo quidem argumentandi genere nihil cogitari poteft ineptius. Primum enim pedis masculi et muliebris nec magnitudinem eandem neque fimilem conformationem effe credibile eft; ac fi vel maxime id aliquando contingere concedamus, urget nos quaeftio, unde illam aequalem pedum menfuram tam accurate fcire aut meminiffe potuerit Electra, ut ex folis eorum veftigiis fratrem hic adfuiffe fibi perfuaderet. Deinde particula *Καὶ γάρ* vix locum fuum tuetur. Quomodo enim illa *ῥῆσις*

Καὶ μὴν στίβοι γε, δεύτερον τεκμήριον
Εἰς ταὐτὸ συμβαίνουσι τοῖς ἐμοῖς στίβοις.

confirmari poterat, tanquam argumento, his verficulis

Καὶ γὰρ δύ' ἐστὸν τώδε περιγραφὰ ποδοῖν
Αὐτοῦ τ' ἐκείνου καὶ ξυνεμπόρου τινός.

quafi veftigia cum fuis congruere magis ideo pateret, quod duorum hic virorum veftigia cernerentur? Quin potius hoc ipfo magis arguebatur, quam nulla effet vis in coniectura Electrae. Si enim duorum virorum veftigia hic impreffa erant, non poterat antea dicere univerfe, veftigia hofpitis cum fuis congruere. Quapropter novam hunc locum expediendi rationem circumfpiciendam effe putavimus, eam-

que nunc tandem nobis invenisse videmur, versus 203. 204. 206. tanquam insititios eiiciendo, nulla ceteroquin transpositione admissa. Sic igitur constitutis versiculis:

Καὶ μὴν στίβοι γε, δεύτερον τεκμήριον,
[Ποδῶν ὅμοιοι, τοῖς τ' ἐμοῖσιν ἐμφερεῖς]
[Καὶ γὰρ δύ' ἐστὸν τώδε περιγραφὰ ποδοῖν]
Αὐτοῦ τ' ἐκείνου καὶ ξυνεμπόρου τινός,
[Πτέρναι τενόντων θ' ὑπογραφαὶ μετρούμεναι]
Εἰς ταὐτὸ 'συμβαίνουσι τοῖς ἐμοῖς στίβοις.

non solum hi quos genuinos esse putamus

Καὶ μὴν στίβοι γε, δεύτερον τεκμήριον,
Αὐτοῦ τ' ἐκείνου καὶ ξυνεμπόρου τινός,
Εἰς ταὐτὸ συμβαίνουσι τοῖς ἐμοῖς στίβοις,

optimum hunc sensum praebent: *Enimvero vestigia quidem, quod secundum est signum, ipsius illius et comitis cuiusdam ad eundem, quo mea vestigia, locum vergunt;* sed etiam interpolationis causae facile se produnt. Ad sensum quod attinet, locutionem *εἰς ταὐτὸ συμβαίνουσι τοῖς ἐμοῖς στίβοις* sic accipimus, ut non de similitudine vestigiorum, sed de loco eodem, quo tendant, sive spectent, nempe de Agamemnonis sepulcro intelligantur. Argumentum vero a vestigiis ductum iam non ab inepta illa pedum similitudine proficiscitur, sed potius hac ratione cum superiore illo, a cincinni colore ducto coniungitur. *Vestigia video duorum hominum; haec certe Clytaemnestrae non sunt; non sunt enim muliebria; nec ut dixi, Clytaemnestram hunc honorem patri meo habuisse credibile est. Sed ipsum Orestem, non eius nuntium huc, commeasse, coniicio, quia non unus aliquis, sed duo huc advenerunt, idque confirmant duplicia vestigia ab eo ipso, quem desidero, eiusque comite aliquo impressa.* Interpolandi autem causas has quidem, probabiliter saltem, fingere licet. Qui primum versiculum illum legerat:

Καὶ μὴν στίβοι γε, δεύτερον τεκμήριον

facile poterat explicandi gratia hunc verfum poft v. 202. infercire

Ποδῶν ὅμοιοι τοῖς τ' ἐμοῖσιν ἐμφερεῖς.

alterum deinde

Καὶ γὰρ δύ' ἐστὸν τώδε περιγραφὰ ποδοῖν

partim ut ftructuram per interpolationem prioris quodammodo interruptam vinciret, partim ut verficulum

αὐτοῦ τ' ἐκείνου καὶ ξυνεμπόρου τινὸς

uberius declararet, addebat. Denique cum fic ultimus verficulus Aefchyleus

Εἰς ταὐτὸ συμβαίνουσι τοῖς ἐμοῖς στίβοις

non haberet, unde penderet, praeterea fcholiaftae neceffarium videretur caufam fimilitudinis adiungere, ineptum hunc et male confarcinatum verficulum praeponebat:

Πτέρναι τενόντων θ' ὑπογραφαὶ μετρούμεναι.

Sed crifin hanc erunt fortaffe, qui impugnent Euripidis auctoritate, quippe qui ipfos hosce verficulos, quos ab aliena manu infertos fuiffe ftatuimus, apud Aefchylum legiffe videatur. Nimirum fi Stanleio credimus, Euripides in Electra, dum fenem illum paedagogum cum Electra colloquentem facit, figna, e quibus ille colligit Oreftem adveniffe, cincinnum fcilicet in Agamemnonis pofitum, crinibus Electrae colore fimilem, veftigiorumque impreflorum aequalem menfuram, non alio confilio memoravit, quam ut Aefchylum perftringeret, eumque ob ineptam, qua ufus fuerit in agnitione Oreftis perficienda rationem, irridendum fpectatoribus praeberet. Quod quale fit, ut facilius iudicent lectores ipfum hic Euripidis locum defcribemus: Electr. v. 513 feqq.

Ηλεκτρα.

Οὐκ ἄξι' ἀνδρὸς, ὦ γέρον, σοφοῦ λέγεις,
Εἰ κρυπτὸν εἰς γῆν τήνδ' ἂν Αἰγίσθου φόβῳ

Δοκεῖς ἀδελφὸν τὸν ἐμὸν εὐθαρσῆ μολεῖν.
Ἔπειτα χαίτης πῶς συνοίσεται πλόκος;
Ὁ μὲν παλαίστραις ἀνδρὸς εὐγενοῦς τραφεὶς
Ὁ δὲ κτενισμοῖς θῆλυς· ἀλλ' ἀμήχανον.
Πολλοῖς δ' ἂν εὕροις βοστρύχους ὁμοπτέρους
Καὶ μὴ γεγῶσιν αἵματος ταὐτοῦ, γέρον.

Πρεσβυς.

Σὺ δ' εἰς ἴχνος βᾶσ' ἀρβύλης σκέψαι βάσιν
Εἰ σύμμετρος σῷ ποδὶ γενήσεται, τέκνον.

Ηλεκτρα.

Πῶς δ' ἂν γένοιτ' ἂν ἐν κραταιλέῳ πέδῳ
Γαίας ποδῶν ἔκμακτρον; εἰ δ' ἐστὸν τάδε
Δυεῖν ἀδελφεῖν ποὺς ἂν οὐ γένοιτ' ἴσος
Ἀνδρὸς δὲ καὶ γυναικὸς, ἀλλ' ἄρσην κρατεῖ.

Πρεσβυς.

Οὐκ ἔστιν, εἰ παρῆν κασίγνητος μολὼν,
Κερκίδος ὅτῳ γνοίης ἂν ἐξύφασμα σῆς.
Ἐν ᾧ ποτ' αὐτὸν ἐξέκλεψα μὴ θανεῖν.

Ηλεκτρα.

Οὐκ οἶσθ' Ὀρέστης ἡνίκ' ἐκπίπτει χθονὸς
Νέαν μ' ἔτ' οὖσαν; εἰ δὲ κἄκρεκον πέπλους
Πῶς ἂν, τότ' ὢν παῖς, νῦν ἔχῃ ταὔτ' ἂν φάρῃ
Εἰ μὴ ξυναύξοινθ' οἱ πέπλοι τῷ σώματι.

Iam ut illud non urgeam, aliorum poetarum irrifionem, Comicorum ingeniis et fabulis fatis aptam et familiarem, a tragicorum confuetudine tragoediaeque conftitutione prorfus abhorruiffe, hoc tamen iure noftro fumere licebit, Euripidi, fi Aefchyli rationem in inftituenda Oreftis *ἀναγνωρίσει* ridere voluiffet, in ipfis illis, quas apud Aefchylum inveniffet, fictionis partibus fubfiftendum fuiffe. Atqui Aefchylus nuspiam dixerat, folum circa Agamemnonis fepulcrum, adeo durum et lapidofum effe, ut vel hanc ob caufam veftigium imprimi non poffet. (*οὐ γένοιτ' ἐν*

κραταιλέῳ πέδῳ ποδῶν ἔκμακτρον) Ergo haec non cavillatio, ſed mera calumnia fuiſſet Euripidis. Porro Aeſchylus Oreſtem iam adultiorem a Clytaemneſtra ad Strophium miſſum fuiſſe fingit. Itaque veſtem ab Electra acu pictam rediens quoque gerere poterat. Euripides vero Oreſtem puerum a paedagogo Clytaemneſtrae inſidiis ereptum eſſe comminiſcitur. Cum igitur Electra Euripidea paedagogum interrogat: *Quomodo Oreſtes cum tunc eſſet puer, nunc eandem haberet veſtem, niſi cum ipſo corpore ſimul creſcant veſtes?* hoc dicterium prorſus nihil ad Aeſchylum pertinuiſſet, adeoque in eum ab Euripide iactum ſcurrae levitate quam ſeveritate tragici dignius fuiſſet. Itaque Aeſchyli irridendi cupiditatem prorſus ab Euripidis animo, illoque Electrae loco alienam fuiſſe contendimus, ut qui totam fabulam aliter, quam Aeſchylus Choëphoras, informaverit; ex quo conſequitur, iſtis, quos ex illa Euripidis tragoedia deſcripſimus, verſiculis, nihil nos impediri, quo minus, verſus aliquot ineptos e Choëphorarum contextu eiiciendos eſſe ſtatuamus. Non enim quid fictum illud et falſum Aeſchyli irridendi conſilium, Euripidi tributum poſtulet, quaeritur, ſed quid ipſi Aeſchylo, eiusque ingenio conveniat; qui etiamſi illo loco parum ſibi ab errore caviſſet, non tamen dignus erat, qui ſic ab Euripide irrideretur, nec dignus Euripides, qui ut ſummum artificem cavillaretur, ineptias ei affingeret, quarum nulla in eo culpa, imo ne ſpecies quaedam culpae fuiſſet.

XI.

Criseos Wakefieldianae Euripidis quibusdam locis adhibitae censura.

Anno MDCCLXXXIX prodiit Cantabrigiae *Silva critica* sive in auctores sacros profanosque commentarius philologus, auctore Gilberto *Wakefield*, V. D. (tribus voluminibus 8. 1790. 1792.) qui postea quoque (a. 1794.) Tragoediarum Graecarum delectum suis animadversionibus illustratum edidit. In Silva Critica multae insunt emendationes probae, multae quoque, ut fit, haud necessariae, aliae item quibus textus antiquorum auctorum depravetur citius quam emendetur. Ex magna illa farragine seligemus loca Euripidea ab auctore tentata, et criseos Wakefieldianae censuram agemus.

In Euripidis Hecuba Polydorus prologum agens, umbrae specie, quomodo educatus ac deinde miserabiliter occisus sit ab hospite paterno narrat. In versiculis 19. 20.

Καλῶς παρ' ἀνδρὶ Θρηκὶ, πατρῴῳ ξένῳ
Τροφαῖσιν, ὥς τις πτόρθος, ηὐξόμην ΤΑΛΑΣ —

ultimum vocabulum hanc ob caussam videtur Wakefieldum offendisse, quod Polydorus *miserum* se alieno loco dicat; in eo enim, quod apud hospitem alimentis bene tanquam surculus crescebat, nulla certe inerat miseria. Itaque sic emendandum censet:

τροφαῖσιν, ὥς τις πτόρθος, ηὐξόμην ΚΑΛΑΙΣ

Non incommode profecto. Advocavit enim multa loca, ubi sic luditur adiectivum adverbiumque eiusdem originis componendo, ut *κακοὶ κακῶς*, *καλὸς καλῶς* etc. Nihilo

secius tamen *Τάλας* sic defendi potest, ut Polydorus se in futuram miseriam crevisse hospitis alimentis queratur.

In eadem tragoedia v. 433 sq. Polyxena petit ab Ulysse ut se confestim obvoluto capite ad mactationem abducat; deinde his verbis causam rogandi addit:

Ὡς πρὶν σφαγῆναί γ' ἐκτέτηκα καρδίαν
Θρήνοισι μητρὸς, τήν δ' ἔτ' ἐκτήκω γόοις —

Wakefieldus mavult: *τὴν δ' ΈΠΕΚΤΗΚΩ γόοις.* Haud male. Brunckius e cod. reg. Paris. reposuerat *τὴν δέ τ' ἐκτήκω γόοις.*

Sed assentiri Wakefieldo non possumus ad locum Hecubae v. 592.

Οὐκ οὖν δεινὸν, εἰ γῆ ΜΕΝ κακὴ
Τυχοῦσα καιροῦ θεόθεν, εὖ σταχὺν φέρει,
Χρηστὴ Δ' ἁμάρτουσ', ὧν χρεὼν αὐτὴν τυχεῖν,
Κακὸν δίδωσι καρπόν. Ἀνθρώποις δ' ἀεὶ
Ὁ μὲν πονηρὸς οὐδὲν ἄλλο πλὴν κακός.
Ὁ δ' ἐσθλὸς ἐσθλός.

Hic ille particulam adversativam post *χρηστὴ* mutandam arbitratur in copulativam, *χρηστὴ θ' ἁμάρτουσ'*. Quaerit enim oppositionem inter membra *εἰ γῆ μὲν κακὴ*, et *ἀνθρώποις δ' ἀεί.* Si *terra* quidem, homines *vero.* In quo falsus est vir doctus. Nam particula *δὲ* inter *ἀνθρώποις* et *ἀεὶ* respicit initium antecedentis sententiae eiusque negationem *οὐκ οὖν*. Deinde rursus illa sibi opponuntur *γῆ μὲν κακὴ* et *χρηστὴ δέ.*

In Oreste v. 804. ubi nunc legitur:

Ὡς ἀνὴρ, ὅστις τρόποισι συντακῇ, θυραῖος ὢν
Μυρίων κρείσσων ἀνδρὶ κεκτῆσθαι φίλος.

pro *συντακῇ* Wakefieldus dubitanter tamen *συντρέχῃ* substituendum arbitratur. Nobis genuinum esse videtur *συντακῇ*, poetice dictum de intima animorum coniunctione,

deren Herzen durch gleichgestimmte Gesinnungen in Eins verschmolzen sind.

In Hippolyto v. 743 sqq. ubi Chorus hisce versiculis antistrophen inchoat:

Ἑσπερίδων δ' ἐπὶ μηλόσπορον ἀκτὰν
Ἀνύσαιμι τᾶν Ἀοιδᾶν
Ἵν' ὁ ποντομέδων πορφυρέας λίμνης
Ναύταις οὐκ ἔθ' ὁδὸν νέμει, σεμνὸν
Τέρμονα κυρῶν οὐρα-
νοῦ τὸν Ἄτλας ἔχει,

Wakefieldus pro *κυρῶν* haud male substituit *κλύζων*. Valckenarius e codd. receperat *ναίων*, quae tamen lectio facilitate sua glossam potius quam veram Euripidis manum prodere videtur.

At ubi Phaedra de remediis adversus Hippolyti amorem narrans optimum sibi tandem visum esse ait, mortem sibi consciscere.

Τρίτον δ' ἐπειδὴ τοῖσιν οὐκ ἐξήνυτον
Κύπριν κρατῆσαι κατθανεῖν ἔδοξέ μοι,
Κράτιστον οὐδεὶς ἀντερεῖ βουλεύμασιν,

nihil agit Wakefieldus, cum puncto post *ἔδοξέ μοι* posito *κράτιστ' ἂν* pro *κράτιστον* substituendum censet, q. d. *οὐδεὶς ἀντερεῖ βουλεύμασιν εἶναι ἂν κράτιστα*; profecto enim illa verborum collocatio durissima esset, durior ellipsis verbi substantivi in hoc verborum ordine. Si quid mutandum sit, multum sane praestiterit lectionem codicis Florentini *βουλευμάτων* asciscere, et versiculum ab antecedente plena distinctione seiunctum sic interpungere:

Κράτιστον, οὐδεὶς ἀντερεῖ, βουλευμάτων.

Contra in eiusdem tragoediae v. 765 felicius versatus est Wakefieldus. Ubi enim Chorus nunc ita pronuntiat:

Ὦ λευκόπτερε Κρησία
Πορθμὶς, ἃ διὰ πόντιον
Κῦμ' ἁλίκτυπον ἅλμας
Ἐπόρευσας ἐμὰν ἄνασσαν

ibi ille ut pro *ἁλίκτυπον* legamus *ἁλίκτυπος* auctor eſt: o navis quae *mari verberata per maritimos fluctus ſalis vexiſti reginam meam.*

At in eiusdem fabulae v. 1085. locum, ſi quis alius, integrum ac ſanum male vexat. Theſeus Hippolyto ob calumnias, quibus oneratus erat, ingemiſcenti haec oggerit:

Τότε στενάζειν καὶ προγινώσκειν σ' ἐχρῆν
Ὅτ' εἰς πατρῴαν ἄλοχον ὑβρίζειν ἔτλης.

Ibi Wakefieldus verbum *προγινώσκειν* cum *γεγωνίσκειν*, quod ab h. l. alieniſſimum eſt, permutandum arbitratur. Senſus ex vulgata lectione aptiſſimus eſt: Tum te ingemiſcere, tum providere antea et proſpicere haec oportebat. Prorſus ut noſtri homines dicerent: *das hätteſt du vorher bedenken ſollen.*

In eadem tragoedia nutrix Phaedrae animum amore ſaucium aegrumque ſolari cupiens, hortatur ne illum amorem nimis ſevere oppugnet: v. 467 ſqq.

Οὐ δ' ἐκπονεῖν τοι χρὴ βίον λίαν βροτοὺς,
Οὐδὲ στέγην γὰρ, ἧς κατηρεφεῖς δόμοι
Καλῶς ἀκριβώσειαν. Εἰς δὲ τὴν τύχην
Πεσοῦσ', ὅσην σὺ, πῶς ἂν ἐκνεῦσαι δοκεῖς;

Hoc loco iam Marklandus comparato Scholiaſte recte divinaverat in vocabulo *καλῶς* latere *κανὼν*, indeque Valckenarius lectionem ita conſtituendam cenſuerat:

Οὐδὲ στέγην γὰρ, ἣ κατηρεφεῖς δόμοι
Κανὼν ἀκριβώσει' ἄν.

Wakefieldus pro *καλῶς ἀκριβώσειαν* legendum opinatur, *κάλοις ἀκριβώσειαν*, a *κᾶλον lignum*, idque de trabibus

accipit, quibus domus fulciri poſſit. Sed ita deeſt particula *ἄν*, quae hic omitti nequit; nec ſatis conſtat an *κᾶλον lignum* de trabibus adhibuerint Graeci. Itaque hactenus quidem in Marklandi emendatione acquieſcimus, ut *κανὼν* teneamus, ſed antecedenti verſiculo melius conſuli poſſe arbitramur. Quid multa? Totum locum ſic demum perſanari credimus:

Οὐδὲ στέγην γὰρ, ἧς κατωφερεῖς δοκοὶ,
Κανὼν ἀκριβώσει᾽ ἄν· εἰς δὲ τὴν τύχην
Πεσοῦσ᾽, ὅσην σὺ, πῶς ἂν ἐκνεῦσαι δοκεῖς;

Neque enim domum, cuius trabes iam ruere ac deorſum vergere coeperunt, norma fabrorum accurate reſtituat; imo ſi incidat in eiusmodi tempeſtatem, quam tu iam experiris, quantam quaeſo ruinam ei impendere putas?

In eodem dramate v. 376 ſqq. poſtquam Phaedra amorem ſuum Choro ſatis prodiderat, hic eius fortunam queſtus hisce verſiculis Strophen claudit:

Ἄσημα δ᾽ οὐκ ἔτ᾽ ἐστὶν οἷ φθίνει τύχα
Κύπριδος, ὦ τάλαινα παῖ Κρησία!

Musgravius emendaverat *οἷ τείνει τύχα*. Wakefieldus autem veram lectionem ſibi reperiſſe videtur, ſic reſcribendo:

Ἄσημα δ᾽ οὐκ ἔτ᾽ ἐστὶν οἷ φθάνει τέχνη
Κύπριδος, ὦ τάλαινα παῖ Κρησία!

Enimvero in utraque emendatione textus eadem conſtructionis perplexitate laborat, quae vulgatam premit.

Multo probabilius difficultatem expediemus collatis Hippol. verſſ. 267 ſqq. ad quos hoc, in quo verſamur, loco dubium non eſt quin reſpiciatur. Ibi Chorus:

Γύναι γέραια, βασιλίδος πιστὴ τροφὲ
Φαίδρας, ὁρῶμεν τάσδε δυστήνους τύχας.
Ἄσημα δ᾽ ἡμῖν, ἥτις ἐστὶν ἡ νόσος.

Iam vero profitetur, fibi non amplius obfcuram effe morbi quo Phaedra confumatur caufam; idque nifi nos omnia fallunt his verbis expreflerat Euripides

Ἄσημα δ' οὐκ ἔτ' ἐστὶν, ᾗ φθίνει τύχα
Κύπριδος·

Iam vero non amplius in obfcuro eft, qua calamitate Veneris, h. e. quo morbo a Venere immiffo *tabefcat:* Sic de Alceftide v. 201.

Φθίνει γὰρ καὶ μαραίνεται νόσῳ.

V. 625. Hippolytus ut eft mulierum ofor maximus, incidit in cogitationem ad noftrum quidem fenfum abfurdiffimam, adeoque ridiculam, ut a cothurni gravitate nimium quantum abhorrere videatur. Optat nimirum, ne opus effet ex uxoribus liberos fuscipere, utque liceret pro aere, ferro, auro in templis oblato liberorum femen emere.

Ὦ Ζεῦ, τί δὴ, κίβδηλον ἀνθρώποις κακὸν
Γυναῖκας εἰς φῶς ἡλίου κατῴκισας;
Εἰ γὰρ βρότειον ἤθελες σπεῖραι γένος,
Οὐκ ἐκ γυναικῶν χρῆν παρασχέσθαι τόδε.
Ἀλλ' ἀντιθέντας σοῖσιν ἐν ναοῖς βροτοὺς
Ἢ χρυσὸν, ἢ σίδηρον, ἢ χαλκοῦ βάρος,
Παίδων πρίασθαι σπέρμα, τοῦ τιμήματος
τῆς ἀξίας ἕκαστον.

Fruftra Wakefieldus pro *τοῦ τιμήματος* corrigit *τ' ἀναθήματος*. Aptum fenfum praebent vulgata *τοῦ τιμήματος τῆς ἀξίας ἕκαστον*, quem Valckenarius poft Brodaeum fic latine reddidit: *pro cenfus amplitudine, pro bonorum cuiusque ac facultatum aeftimatione.*

In eadem tragoedia v. v. 1423 fqq. Dianae eft ad Hippolytum infelici cafu interemtum apoftrophe, quae fequitur:

Σοὶ

Σοὶ δ', ὦ ταλαίπωρ', ἀντὶ τῶνδε τῶν κακῶν
Τιμὰς μεγίστας ἐν πόλει Τροιζηνίᾳ
Δώσω· κόραι γὰρ ἄζυγες γάμων πάρος
Κόμας κεροῦνταί σοι δι' αἰῶνος μακροῦ,
Πένθη μέγιστα δακρύων καρπουμέναι.

Hic Valckenarius iam recte intellexerat *καρπουμένῳ* legendum effe; *Tibi comas ponent, earum fic lacrymis magni luctus indicibus in longum tempus fruituro.* Wakefieldus autem ingeniofe hanc emendationem cumulo quodam auget, refcribendum fcilicet exiftimans

τέλθη μέγιστα δακρύων καρπουμένῳ .

Τέλθος Hefychius exponit *χρέος, debitum.* Sic Diana Euripidis hoc fignificaffet: *tibi ad quem maxima lacrymarum munera redundabunt, dir der du einen reichlichen Tribut von Thränen ärnten wirft.* Certe fi codex aliquis huic lectioni faveret, haud dubie digna effet, quae vulgatam *πένθη* fuo loco moveret. Quin enim elegantior fit, nobis certe nullum eft dubium.

In Euripidis Andromache Peleus Andromachen Menelai minis exterritam aliis verbis confolatus haec infuper addit.

Ἀλλ' εἴς γε τοιόνδ' ἄνδρ' ἀποβλέψας μόνον
Τρόπαιον αὐτοῦ στήσομαι γέρων περ ὤν.

Nimis gloriofus miles effet Peleus, fi fe adverfarium, fimulatque adfpexiffet tantum, fuperaturum denuntiaret. Quare libenter calculum adiicimus Wakefieldi emendationi:

Ἀλλ' εἴς γε τοιόνδ' ἄνδρ' ἀποβλέψας, μόνος
Τρόπαιον αὐτοῦ στήσομαι, γέρων περ ὤν.

eaque confirmatur fequentibus verbis:

Πολλῶν νέων γὰρ, κἂν γέρων εὔψυχος ᾖ,
Κρείσσων.

In Euripides Alcestide, v. 226 sqq. ubi Chorus Admeti miseriam deplorat, tali uxore orbati:

Παπαὶ, φεῦ, φεῦ, ἰὼ, ἰώ.
Παῖ Φέρητος, οἷ' ἔπραξας
Δάμαρτος σῆς στερηθείς;
Αἴ, αἴ, ἄξια καὶ σφαγᾶς τάδε
Καὶ πλεῖον ἢ βρόχῳ δέρην
Οὐρανίῳ πελάσαι.

Hic Wakefieldus: „Non arridet nobis, inquit, illud *πλεῖον*; neque enim facile dixeris quid magis fecerit aliquis, ut finiat miserias, quam suspendio vitam proiicere." Atqui h. l. non agitur de praesidio adversus vitae humanae miserias inveniendo, sed Admeti calamitas ex uxoris morte comparatur cum consilio mortis voluntariae. *Sane*, inquit Chorus, *haec aerumna digna* est, *propter quam sibi quis gladio vitam eripiat*, *imo maioris momenti est*, *hanc tolerare quam laqueo sibi necem consciscere*. Concinnius itaque fuerit *πλείον'* ἢ rescribere, ut *πλείονα* constructionem verborum *ἄξια* — *τάδε* continuet. Quicquid sit emendatio Wakefieldi

Καὶ τάλαν' βρόχῳ δέρην
Οὐράνιον πελάσαι

prorsus supervacanea est.

Neque vero v. 266. erat cur offenderetur Wakefieldus locutione *νεκύων ἐς αὐλὰν*, et substituere auderet *νεκύων ἐς ἴλαν*; cum enim *αὐλὴ* saepius de deorum sedibus et palatio ponatur, quidni recte Euripides inferorum sedes, manium habitationem *νεκύων αὐλὰν* dixerit?

V. 295. Alcestis moribunda consilium suum pro salute coniugis moriendi oratione dulcissimi sensus et affectus plena exponens ait:

οὐκ ἠθέλησα ζῆν ἀποσπασθεῖσά σου
σὺν παισὶν ὀρφανοῖσιν. — οὐδ' ἐφεισάμην
Ἥβης ἔχουσα δῶρ' ἐν οἷς ἐτερπόμην.

Hic post οὐδ' ἐφεισάμην vel subintelligendum est ἐμοῦ, vel δώρων Ἥβης, adeoque nulla subest causa cur Wakefieldum secuti pro ἔχουσα reponamus χεάσου. Alcestis enim hoc dicit: *Nec peperci mihi, quamvis iuventutis donis, quibus delectabar, adhuc florenti.*

Pergit Alcestis Admeti parentes incusando, quod mortem pro filii salute obire noluerint:

Καί τοι σ' ὁ φύσας χ' ἡ τεκοῦσα προὔδοσαν
Καλῶς μὲν αὐτοῖς κατθανεῖν ἧκον βίου,
Καλῶς δὲ σῶσαι παῖδα, κεὐκλεῶς θανεῖν.

Wakefieldus cui repetitio vocabuli θανεῖν post κατθανεῖν versu praecedente positum inficeta videtur, φθίνειν potius ab Euripide scriptum esse iudicat. At si quid mutandum sit, corruptelae sedem rectius in κατθανεῖν quaerendam esse arbitramur. Omnino enim illius versiculi

Καλῶς μὲν αὐτοῖς κατθανεῖν ἧκον βίου

structura laborat. Nec satis commode eam expedivit Wakefieldus: „Plene, inquit, dixisset poëta: τὸ τοῦ βίου ἧκον αὐτοῖς καλῶς κατθανεῖν, *cum eo vita processisset iis, ut bene mori potuissent*, i. e. postquam iustum vitae spatium expleverant et senectam attigerant, quando aequum esset atque expectatum vita cedere.“ Recte quidem, quod ad sententiam attinet; sed quomodo ea ex illa verborum structura exiret, illud quaerere opus erat. Nullo enim pacto fieri potest, ut ἧκον βίου pro τὸ τοῦ βίου ἧκον ponatur. Nobis itaque tutius videtur opinari, vocabulum κατθανεῖν glossemati deberi, quod veram et genuinam lectionem loco moverit. Certe si Euripides scripsisset:

Καλῶς μὲν αὐτοῖς ἐκπερᾶν ἧκον βίου,
Καλῶς δὲ σῶσαι παῖδα, κεὐκλεῶς θανεῖν.

Cum iis iam opportunum esset vita excedere et hac ratione vitam filii pulcre servare gloriosamque mortem oppetere; nullus esset offensioni locus.

V. 321. Mirum est, quantum aberraverit Wakefieldus, cum in versiculis

Σὺ δ', ω τέκνον μοι, πῶς κορευθήσῃ καλῶς;
Ποίας τυχοῦσα συζύγου τῷ σῷ πατρί;
Μή σοι τιν' αἰσχρὰν προβαλοῦσα κλήδονα
Ἥβης ἐν ἀκμῇ σοὺς διαφθείρῃ γάμους

interpunctionem hoc modo mutari iubet

Ποίας τυχοῦσα συζύγου; τῷ σῷ πατρὶ μή σοι etc.

interrogandi signo post *συζύγου* posito, et *τῷ σῷ πατρὶ* cum *μὴ διαφθείρῃ* constructo. Cum autem Alcestis h. l. de noverca loquatur, quam ne forte suis liberis Admetus inducat, veretur, quid quaeso mollius et aptius est, quam ut quaerat Alcestis: *quomodo tu, filia mea virginitatem tuam feliciter transiges, qualemve experta novam coniugem patris tui, ne forte tibi* (ob malevolentiam) *malos rumores adspergat, adeoque in ipso adolescentiae flore nuptias tibi corrumpat*, h. e. procos absterreat. Quid autem hoc sit, *ποίας τυχοῦσα συζύγου*, si nimirum hoc a verbis *τῷ σῷ πατρὶ* seiungatur, nec explicuit Wakefieldus, nec unquam explicare poterit. Atqui ipsi commentum placet.

Neque magis audiendus est Wakefieldus, cum in versiculo

σὺ δ', ὦ τέκνον μοι, πῶς κορευθήσῃ καλῶς;

pronomen *μοι* a *τέκνον* separandum et cum *πῶς κορευθήσῃ καλῶς* copulandum censet. Alcestis enim diversam liberorum, pueri et puellae sortem declarat; et puerum quidem, quamvis mater ei mature decesserit, patrem tamen habere magnum propugnaculum significat:

Καὶ παῖς μὲν ἄρσην πατέρ' ἔχει πύργον μέγαν.

Aliam esse filiae conditionem; eius enim puellarem aetatem, si matre orbata fuerit, multo maioribus periculis ac damnis obnoxiam fore. Hoc igitur statim allocutione

prodit σὺ δ' ὦ τέκνον μοι qua nihil poteſt eſſe in tanta brevitate, ad maternum animi ſenſum exprimendum accommodatius. Ceterum σὺ δ' ὦ τέκνον μοι, parum accurate latine vertitur *tu autem, o filia mea;* reddi potius debet: *tu autem o filia, mea cura.*

V. 324. Οὐ γάρ σε μήτηρ οὔτε νυμφεύσει ποτὲ, male Euripidis textui conſulatur, ſi Wakefieldum ſecuti ἢ γάρ σε μήτηρ reponere velimus.

V. 339. ubi Admetus coniugi ſe nunquam de ſecundis nuptiis cogitaturum ſpondet,

> Οὐκ ἔστιν οὕτως οὔτε πατρὸς εὐγενοῦς
> οὔτ' εἶδος ἄλλως ἐκπρεπεστάτη γυνή,

libenter Wakefieldo adſtipulamur, ἄλλων pro ἄλλως ſubſtituenti. *Nulla enim eſt femina*, Admetus inquit, *tam nobili patre nata, nulla etiamſi ceteris omnibus forma praeſtet*, quam poſt te ducere in matrimonium velim.

V. 348 ſeq. Admetus poſtquam ſe ſtatuam uxoris ſollerti artificum manu fabricandam curaturum dixerat, quam uxoris loco, nomen eius inclamando, amplexurus ſit; haec ſubiungit:

> Ψυχρὰν μὲν, οἶμαι, τέρψιν; ἀλλ' ὅμως βάρος
> Ψυχῆς ἀπαντλοίην ἄν.

Hic Wakefieldus ad verbum οἶμαι hanc notam allinere non dubitavit: „ſriget, nimium ſriget recepta lectio; neque enim locus erat dubitationi, nam certe ſimulacri lignei complexus non futuros eſſe *calidos* tuto poterat affirmari. Emendandum puto: ψυχρὰν μὲν οἴ μοι τέρψιν: *frigidam, me miſeram, voluptatem.*" Qua quidem argutatione ipſa nihil eſt frigidius. Ut enim non moneamus, verbum οἶμαι, aliaque verba, quae *putandi* et *opinandi* propriam habent ſignificationem, ſaepe apud Graecos in rebus certiſſimis, nec ulli dubitationi ſubiectis poni, id quod tralatitium eſt, quis quaeſo in animum inducet locutionem

ψυχρὰν τέρψιν adeo premere, adeo ad litterarum ſonum exigere, ut *frigidos* ſtatuae amplexus, uxoris vitalem calorem ſpirantis amplexibus oppoſitos hic deſignari ſomniet? Ψυχρὰ τέρψις nihil aliud eſt quam *voluptas ieiuna, inanis, animum non ſatians.* Ceterum quamvis epitheton ψυχρὰν h. l. minime ineptum videatur, non poſſumus tamen, quin ſuſpectum id nobis eſſe fateamur. Fortaſſe tragicus edidit:

Μικρὰν μὲν οἶμαι τέρψιν, ἀλλ' ὅμως βάρος
Ψυχῆς ἀπαντλοίην ἄν.

exiguum *ſane voluptatis fructum, ſat ſcio, ſed vel ſic tamen animi moleſtiam quodam modo levaverim.* Ψυχρὰν pro μικρὰν librarius, qui ad primam ſequentis verſiculi ſyllabam ψυχῆς aberraſſet, oculorum et mentis errore ſcribere potuit. Utcunque eſt, μικρὰν τέρψιν aptius τῷ βάρει ψυχῆς opponi quam ψυχρὰν τέρψιν facile eſt intellectu.

V. 361. pergit Admetus:

ἐν δ' ὀνείρασι
φοιτῶσά μ' εὐφραίνοις ἄν (ἡδὺ γὰρ φίλον
κἀν νυκτὶ λεύσσειν, ὅν τιν' ἂν παρῇ χρόνον)

incommoda eſt lectionis mutatio, quam Wakefieldus admiſit, hoc modo textum conſtituens:

ἐν δ' ὀνείρασι
φοιτῶσα μ' εὐφραίνοις ἄν (ἡδὺ γὰρ φίλον
κἀν νυκτὶ λεύσσειν) ὅν τιν' ἂν παρῇς χρόνον

Si quid mutandum eſſet, praeſtaret certe levior Iacobsii medela:

ἐν δ' ὀνείρασι
φοιτῶσα μ' εὐφραίνοις ἄν (ἡδὺ γὰρ φίλος
κἀν νυκτὶ λεύσσειν, χ' ὅν τιν' ἂν παρῇ χρόνον.

V. 364. *εἰ δ' Ὀρφέως μοι γλῶττα καὶ μέλος παρῆν* amplectimur Wakefieldi emendationem προςῆν; hoc

enim cum per ſe aptius eſt, tum quod *παρῇ* modo praeceſſerat, *κακοφωνίᾳ* ex eiusdem vocabuli repetitione vitatur.

Item v. 376 ſeq.

καὶ μὴν ἐγώ σοι πένθος, ὡς φίλος φίλῳ
λυπρὸν συνοίσω τῆςδε

facile Wakefieldo concedimus *λυγρὸν πένθος* aptius eſſe et uſui ſcriptorum convenientius.

V. 435. in variis luctus ob Alceſtidis mortem declarandi modis imperat quoque Admetus, ut equiſones equis iubas detondeant, ritu inter Graecos et Barbaros ſatis noto.

Τέθριππά τε, ζεύγνυσθε, καὶ μονάμπυκας
Πώλους, σιδήρῳ τέμνετ᾽ αὐχένων φόβην.

Lectionem *οἵ ζεύγνυσθε*, quam codices nonnulli exhibent, ſine cauſa damnat Wakefieldus, adeo ut eam *nauci* non eſſe pronunciet. Ipſe vero lectionem *τέθριππά τ᾽ ἐκζεύγνυσθε* ſuopte ingenio repertam, in textum invexit, quam (ut criticum convicium convicio protelemus) caſſa nuce haud emerimus. Ut enim Wakefieldo demus verbum *ἐκζευγνῦναι* pro *iugo ſolvere* apud Graecos uſitatum fuiſſe, de cuius tamen auctoritate haud conſtat, primum ut iſtam coniecturam firmaret, docendum erat, ad luctus publici ritus hoc etiam pertinuiſſe, ut equi quadrigarii per integrum annum iugo ſolverentur. Quae quidem ratio prorſus nova eſt et inaudita. Quin potius in luctu quadrigis vehebantur, et equitabant, ſed ita, ut equorum iubae detonſae luctum dominorum prae ſe ferrent et oſtentarent. Porro ſi *τέθριππά τ᾽ ἐκζεύγνυσθε* legeremus, duplicem haberemus luctus in equis deſignandi rationem, quadrigarii nimirum equi in otium ac pabulum miſſi fuiſſent, ſolis autem ſeſſilibus equis iubae fuiſſent detonſae. Quo quid ineptius fingi aut excogitari poteſt?

XII.

Lectionum Platonicarum Particula I. In Phaedonem.

Cum Socrates apud Platonem in Phaedone, h. e. eo quem de animo eiusque immortalitate confcripfit, dialogo, capite fexto, philofophum non ipfum quidem fibi violentas manus illaturum, veruntamen libentiffime mortem paffurum, in eiusque commentatione vitam pofiturum effe disputando docuiffet, exortus eft Cebes, qui confentaneum effe negaret, hominem fapientem, qui fub deorum dominio et poteftate vixiffet, libenter ex eorum fervitio exire ac demigrare velle. *Τὸ γὰρ μὴ ἀγανακτεῖν τοὺς φρονιμωτάτους ἐκ ταύτης τῆς θεραπείας ἀπιόντας, ἐν ᾗ ἐπιστατοῦσιν αὐτῶν, οἵπερ ἄριστοί εἰσι τῶν ὄντων ἐπιστάται θεοὶ, οὐκ ἔχει λόγον. Οὐ γάρ πω αὐτός γε ἑαυτοῦ ἄμεινον οἴεται ἐπιμελεῖσθαι ἐλεύθερος γενόμενος, ἀλλ' ἀνόητος μὲν ἄνθρωπος τάχ' ἂν οἰηθείη ταῦτα, φευκτέον εἶναι ἀπὸ τοῦ δεσπότου, καὶ οὐκ ἂν λογίζοιτο, ὅτι οὐ δεῖ ἀπό γε τοῦ ἀγαθοῦ φεύγειν, ἀλλ' ὅτι μάλιστα παραμένειν. Etenim fapientiffimos homines, cum fibi ex eo fervitio exeundum fit, in quo dominis ufi fuerint diis, hoc eft optimis rerum naturae moderatoribus, aequo id animo laturos effe, minime convenit. Non enim ipfe putabit, cum libertatem adeptus fuerit, fe melius iam rebus fuis confulturum; fed ftultus potius homo fuerit, qui fugiendum fibi a domino ftatuat, nec potius cogitet, a bono certe fibi haud fugiendum, fed quam conftantiffime apud eum manendum effe.* Hoc loco praeter Cebetis men-

tem atque fententiam nimis univerfe, nec fatis definite pronuntiari videntur ifta, ἀλλ' ἀνόητος — φευκτέον εἶναι ἀπὸ τοῦ δεσπότου. Non enim a quocunque domino, etiam peffimo et crudeliffimo, fugere ftultum ei videbatur; fed tantum a bono, et qui melius fervis, quam ipfi poffent, profpiceret. Itaque vel excidiffe videtur aliquod verbum, ac fortaffe fic fcripferat Plato: ἀλλ' ἀνόητος — φευκτέον εἶναι ἀπὸ τοῦ ἈΜΕΊΝΟΝΟΣ αὐτοῦ δεσπότου; quemadmodum poftea dicitur: τί γὰρ ἂν βουλόμενοι ἄνδρες σοφοὶ ὡς ἀληθῶς δεσπότας ἈΜΕΙΝΟΥΣ ἈΥΤΩΝ φεύγοιεν, καὶ ῥᾳδίως ἀπαλλάττοιντο αὐτῶν; vel alia quaedam verborum depravatio fubeft, ita corrigenda: ἀλλ' ἀνόητος — φευκτέον εἶναι ἀπὸ τοῦ ἀγαθοῦ δεσπότου, καὶ οὐκ ἂν λογίζοιτο, ὅτι οὐ δεῖ ἀπό γε τοῦ τοιούτου φεύγειν, ἀλλ' ὅτι μάλιστα παραμένειν.

Cap. XX. In hisce verbis: οὐ γὰρ περὶ τοῦ ἴσου νῦν ὁ λόγος ἡμῖν μᾶλλόν τι ἢ καὶ περὶ αὐτοῦ τοῦ καλοῦ, καὶ αὐτοῦ τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ δικαίου, καὶ ὁσίου, καὶ, ὅπερ λέγω, περὶ ἁπάντων οἷς ἐπισφραγιζόμεθα τοῦτο ὃ ἔστι καὶ [ἐν ταῖς ἐρωτήσεσιν] ἐρωτῶντες καὶ [ἐν ταῖς ἀποκρίσεσιν] ἀποκρινόμενοι, quae uncis inclufimus miferam tautologiam pariunt, Platone indignam; et gloffatoris potius, quam philofophi ingenium fapiunt. Similis qui cap. 25. fequitur locus magnum huic animadverfioni robur addere videtur: Αὐτὴ ἡ οὐσία, ἧς λόγον δίδομεν τοῦ εἶναι καὶ ἐρωτῶντες, καὶ ἀποκρινόμενοι, πότερον ὡσαύτως ἀεὶ ἔχει κατὰ ταὐτὰ, ἢ ἄλλοτ' ἄλλως;

Cap. XXIV. Cum Socrates dixiffet: Sed quamquam animam hominis poft mortem etiam futuram effe demonftratum eft, vos tamen o Cebes et Simmia, libenter etiam mihi videmini hanc quaeftionem aliquanto diligentius pertractaturi, quod veremini fcilicet, puerorum ritu, ne revera eam e corpore discedentem ventus difflet ac diffipet; praefertim fi quis forte non tranquillis fed vehementer

flantibus ventis moriatur. Tum Cebes leviter arridens, ὡς δεδιότων, inquit, ὦ Σώκρατες, πειρῶ ἀναπείθειν, μᾶλλον δὲ μὴ ὡς ἡμῶν δεδιότων, ἀλλ' ἴσως ἔνι τις καὶ ἐν ἡμῖν παῖς, ὅςτις τὰ τοιαῦτα φοβεῖται. Τοῦτον οὖν πειρώμεθα πείθειν μὴ δεδιέναι τὸν θάνατον, ὥςπερ τὰ μορμολύκεια. Hic in verbis μὴ ὡς ἡμῶν δεδιότων, Cel. Fifcherus, vir exquifita Graecarum litterarum fcientia florens, qui nuper hunc dialogum cum aliis tertium recenfuit, Synchyfin effe ftatuit, pro ὡς μὴ ἡμῶν δεδιότων, quam quidem figuram ut alias fatis frequentem effe viro doctiffimo concedamus, tamen ab hoc loco alienam effe ftatuimus. Senfus enim hic eft: *Itaque o Socrates, tanquam fint qui timeant, perfuadere iis conare; fed ut verius dicam, non tanquam nos* fcil. omnes ifta *timeamus; veruntamen inter nos fortaffe unus aliquis puer fit, qui ifta timeat. Huic igitur perfuadere conemur, ne mortem tanquam larvas aut alia eiusmodi terriculamenta timeat.*

Cap. XI. Poftquam Socrates ostenderat vehementer animum humanum in curfu ad veritatem intelligendam impediri ac retardari, de ea re philofophos inter fe ita loquentes inducit: ὅτι κινδυνεύει τοι ὥςπερ ἀτραπὸς ἐκφέρειν ἡμᾶς μετὰ τοῦ λόγου ἐν τῇ σκέψει, ὅτι ἕως ἂν τὸ σῶμα ἔχωμεν, καὶ ξυμπεφυρμένη ᾖ ἡμῶν ἡ ψυχὴ μετὰ τοῦ τοιούτου κακοῦ οὐ μήποτε κτησώμεθα ἱκανῶς οὗ ἐπιθυμοῦμεν. [φαμὲν δὲ τοῦτο εἶναι τὸ ἀληθές.] Μυρίας μὲν γὰρ ἡμῖν ἀσχολίας παρέχει τὸ σῶμα etc. *Videtur fane nos, fi rationis* (non fenfuum) *ope in indaganda veritate utamur, compendiaria quaedam via ad id quod volumus perducere; fi quidem quousque corpus habemus animusque nofter cum hoc malo conglutinatus eft nequaquam id quod concupivimus fatis affequemur.* [Hoc autem in vero pofitum effe dicimus.] *Sexcenta enim nobis impedimenta corpus obiicit.* H. l. fi quis illa φαμὲν δὲ τοῦτο εἶναι τὸ ἀληθές, pertinacius ut genuina defendat, nos non repugnabimus; veruntamen magna nobis eft

ſuſpicio, ne ab interprete quodam olim adiecta ſint. Nam nihil profecto afferunt, quod non e ſuperioribus facillimum erat intelligere; et incommode orationis filum interrumpunt. Similiter in ſequentibus: *καὶ τότε ὡς ἔοικεν ἡμῖν ἔσται, οὗ ἐπιθυμοῦμέν τε καί φαμεν ἐρασταὶ εἶναι, φρονήσεως*; ultimum vocabulum *φρονήσεως* interpretamentum eſſe videtur; ſatis illud quidem antiquum; utpote quod iam apud Plutarchum et Iamblichum occurrat; niſi quod hic pro genitivo nominativum *φρόνησις* ponat.

Eodem capite aliud grammatici aſſumentum nobis deprehendiſſe videmur: *Τότε γὰρ αὐτὴ καθ' αὑτὴν ἡ ψυχὴ ἔσται χωρὶς τοῦ σώματος, πρότερον δὲ οὔ· καὶ ἐν ᾧ ἂν ζῶμεν οὕτως, ὡς ἔοικεν, ἐγγυτάτω ἐσόμεθα τοῦ εἰδέναι, ἐὰν ὅτι μάλιστα μηδὲν ὁμιλῶμεν τῷ σώματι, μηδὲ κοινωνῶμεν, ὅτι μὴ πᾶσα ἀνάγκη, μηδὲ ἀναπιμπλώμεθα τῆς τούτου φύσεως, ἀλλὰ καθαρεύωμεν ἀπ' αὐτοῦ ἕως ἂν ὁ θεὸς αὐτὸς ἀπολύσῃ ἡμᾶς. Καὶ οὕτω μὲν καθαροὶ ἀπαλλαττόμενοι τῆς τοῦ σώματος ἀφροσύνης, ὡς τὸ εἰκὸς, μετὰ τοιούτων τε ἐσόμεθα, καὶ γνωσόμεθα δι' ἡμῶν αὐτῶν πᾶν τὸ εἰλικρινές· [τοῦτο δ' ἐστὶν ἴσως τὸ ἀληθές] μὴ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θέμιτον ᾖ. Tum enim demum, nec umquam antea, ſecum ipſa vivet anima, ſecreta a corpore; atque dum vivemus, ita demum quam proxime ad veram ſcientiam accedemus, ſi quam id maxime fieri poſſit, nos a corporis conſuetudine et communione, niſi ubi ſumma eius neceſſitas inciderit, abstrahamus; caveamusque ne eius indole impleamur, ſed potius nos ab ea puros illibatosque ſervemus, donec nos deus ipſe exſolverit. Et hac quidem lege, ſi puri diſceſſerimus ab illa corporis natura rationi infeſta, cum ſimilibus*, id eſt puris, *ut conſentaneum eſt, naturis vivemus, et omnia ſincera*, h. e. liquidiſſimam rerum veritatem, *ipſi per nos cognoſcemus. Purum autem ab impuro tangi prorſus nefas eſt.* In his igitur illa: *τοῦτο δ' ἔστιν ἴσως τὸ ἀληθές*, a Platonis manu profecta eſſe minime

nobis quidem videntur, quod vel ipſum illud ἴσως ſatis prodit. Gloſſator nimirum aliquis haec explicandi cauſa adiecerat.

Cap. XII. *Φρονήσεως δὲ ἄρα τὶς τῷ ὄντι ἐρῶν καὶ λαβὼν σφόδρα τὴν αὐτὴν ταύτην ἐλπίδα μηδαμοῦ ἄλλοθι ἐντεύξεσθαι αὐτῇ ἀξίως λόγου, ἢ ἐν Ἅιδου, ἀγανακτήσει τε ἀποθνήσκων, καὶ οὐκ ἄσμενος εἶσιν αὐτόσε. Οἴεσθαί γε χρὴ ἐὰν τῷ ὄντι γε ᾖ, ὦ ἑταῖρε, φιλόσοφος; σφόδρα γὰρ αὐτῷ ταῦτα δόξει μηδαμοῦ ἄλλοθι καθαρῶς ἐντεύξεσθαι [φρονήσει] ἢ ἐκεῖ. Sapientiae autem qui vere ſtudioſus fuerit, et certo ſibi perſuaſerit, nusquam alias ſe illam, quod quidem operae pretium ſit, quam in futura poſt mortem vita conſecuturum, num quaeſo moleſte feret ſibi iam moriendum eſſe; annon potius libenter illuc abibit? In illa autem opinione neceſſe eſt, amice, illum verſari, ſi quidem verus fuerit ſapientiae amator; nihil enim ei certius eſſe videbitur, quam iſta ſibi, pura quidem, nusquam niſi illic poſſe contingere.* Qui graeca cum verſione noſtra diligenter comparaverit, facile intelliget, ut ſperamus, vocabulum *φρονήσει,* quod concinnitatem verborum turbat, ſuperfluum et ab aliena manu inculcatum eſſe. Variatur nimirum verbi *ἐντυγχάνειν* conſtructio, ita tamen ut eadem ſententia maneat. Idem enim eſt dicere *ἐντυγχάνω τούτοις ἀξίως λόγου*; et *ταῦτά μοι ἐντυγχάνει ἀξίως λόγου,* vel quod ſecundo loco ſubſtituitur *καθαρῶς.*

Cap. XXV. *οὐκοῦν τοιάνδε τι, ἦ δ' ὃς ὁ Σωκράτης, δεῖ ἡμᾶς ἀνερέσθαι ἑαυτοὺς, τῷ ποίῳ τινὶ ἄρα προσήκει τοῦτο τὸ πάθος πάσχειν, τὸ διασκεδάννυσθαι, καὶ ὑπὲρ τοῦ ποίου τινὸς δεδιέναι, μὴ πάθῃ αὐτὸ, [καὶ τῷ ποίῳ τινί.]* Ultima verba quae uncinis circumſcripſimus putidam tautologiam facere videntur, eamque ob cauſam iam a Cornaro et poſt eum a Zeunio ſpuria iudicata ſunt. Facile enim ex antecedentibus a librario hue

transferri potuerunt. Fischerus autem V. C. qui nuper, ut diximus, hunc dialogum accuratissime tertium recensuit, in secunda editione sic illam ῥῆσιν ἀνοθείας suspicione vindicabat, ut diceret τῷ ποίῳ τινὶ προσήκει — τὸ διασκεδάννυσθαι, esse i. q. *cuinam*, ei quod simplex sit, vel compositum, *accidat s. accidere debeat, ut dissipetur;* deinde ὑπὲρ τοῦ ποίου τινὸς δεδιέναι vertendum esse, *de quonam*, de homine an etiam de aliis animantibus et rebus, *timendum sit;* denique καὶ τῷ ποίῳ τινὶ, referri debere ad verba ὑπὲρ τοῦ ποίου τινὸς hoc sensu, *et cui eius parti* corpori hominis an animae? Verum in hac interpretatione subtilitatem et acumen, ut facile agnoscimus, ita veritatem et cohaerentiam valde desideramus. Nam illud ποῖον, quamquam ter repetitum (si modo toties id scripserit Plato) unice referendum est ad illam quaestionem, in simplicemne naturam, an in compositam dissolutio cadat? De animantibus et ceteris rebus hic prorsus non agebatur. Nec magis hic de partibus humanae naturae i. e. de anima et corpore cogitandi locus est; sequuntur enim statim ista: καὶ μετὰ τοῦτο αὖ ἐπισκέψασθαι πότερον ψυχή ἐστι; καὶ ἐκ τούτων θαῤῥεῖν ἢ δεδιέναι, ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς. Ac Fischerus quidem ipse postea huius interpretationis quae essent incommoda sensisse videtur. In tertia enim editione hanc rationem prorsus deseruit, ac ne mentionem quidem eius amplius fecit. Nihilo secius tamen alia via ad defendendam illius assumenti αὐθεντίαν adgressus est. „Nihil, inquit, nobis neque addendum videbatur neque demendum. Nam primo, uti edidimus, ita legitur in omnibus libris etiam in Cod. Tub. et Aug.“ At hoc argumento nihil est ad defendendam orationis particulam, quae iure νοθείας suspecta sit, infirmius. Quid enim? Anne multa eiusmodi ἐμβλήματα omnibus codicibus Mstis, qui quidem ad nos pervenerunt, antiquiora sunt? Neque vero sibi ipse satis constat vir doctissimus. Cap. 19. ubi omnes

codd. etiam ille Tubingenſis et Auguſtanus oſtendunt lectionem *ὅτι βούλεται μὲν τοῦτο — ἐνδεῖ δὲ καὶ οὐ δύναται τοιοῦτον εἶναι* [*ἴσον*] *οἷον ἐκεῖνο*, recte ſine dubio, quod Mudgius iam praeceperat, illud *ἴσον* in tertia tandem editione e contextu circumſcripſit. Cur igitur idem qui illic veritati potius, quam Codd. in interpolationem conſentientibus paruit, hic e contrario praeſidium interpolationi in eodem codicum conſenſu quaerit? At, inquit, h. l. repetitum illud *καὶ τῷ ποίῳ τινὶ* commodiſſimam patitur interpretationem. Hanc igitur audiamus. Recte nimirum iam Fiſcherus verba *τῷ ποίῳ τινὶ*, et *ὑπὲρ τοῦ ποίου τινὸς* et *τῷ ποίῳ τινὶ* ad duplex illud rerum genus, quod deinceps a Socrate conſtituatur, pertinere cenſet, atque univerſum illud comma ſic vertendum: *Videre nos atque quaerere oportet, in quodnam ſcilicet rerum genus* ſimplicium et ex uno elementorum genere conſtantium, compoſitarumve et e diverſis elementorum generibus miſtarum, *cadat diſſipatio et interitus, et cuiusnam diſſipatio atque interitus timendus* ſit, *et cuinam.* Atque ſic putat acutiſſimus interpres Socratis orationem ab ineptae cuiusdam tautologiae vitio prorſus immunem eſſe. Enim vero quis ferat ita dicentem: videndum eſt *in quodnam genus cadat diſſipatio et interitus et* cuiusnam *diſſipatio atque interitus timendus ſit, et* cuinam *timenda ſit diſſipatio atque interitus.* Si quis forte medicus de aegroti cuiusdam periculo ſic pronuntiet: *aio equidem Sempronio mortem impendere; et vobis timendum eſſe ne Sempronius moriatur; et ipſi Sempronio mortem eſſe metuendam;* nonne eum omnes quovis graculo loquaciorem eſſe contenderent? Atqui ut nunc Platonis verba decurrunt, ſimillima horum ratio eſt. Quare non eſt, cur Cornari coniecturam repudiandam iudicemus, qui turpiſſimae tautologiae maculam recte haud aliter ab hoc Platonis loco abſtergi poſſe cenſuit, quam reſecandis e verborum ordine illis *καὶ τῷ ποίῳ τινὶ*, praeſertim cum quo minus temere,

ut ſaepe accidit, hic a librariis repetita eſſe, ſtatuamus, nihil ſit quod impediat.

Cap. XXXII. *Εἰς δέ γε θεῶν γένος μὴ φιλοσοφήσαντι, καὶ παντελῶς καθαρῷ ἀπιόντι οὐ θέμις ἀφικνεῖσθαι* [*ἄλλῳ, ἢ τῷ φιλομαθεῖ*]. Ultima verba prorſus ab inchoata conſtructione abhorrent, et ad ſenſum ſuperflua ſunt. Itaque vel Platonem ſupinae in ſcribendo negligentiae accuſemus neceſſe eſt; vel ſcribendum *ἀλλὰ μόνον τῷ φιλομαθεῖ* vel denique illud additamentum *ἄλλῳ ἢ τῷ φιλομαθεῖ* Grammaticorum interpretationi deberi, adeoque e textu eiiciendum eſſe ſtatuamus. Nos quidem in hanc partem proniores ſumus.

Cap. XXXIX. Socrates prudentiſſime disputat *rationis odium* (*τὴν μισολογίαν*) et *humani generis odium* iisdem ſaepe e cauſis naſci. Ut enim is, qui ſaepe alios mendaces, malos, perfidos expertus ſit, eo ſaepe deveniat, ut poſthac omnes homines oderit, nec uspiam in hominibus fidem, integritatem, veritatem reperiri putet, ſic eum qui temere multis opinionibus aſſenſus fuerit, poſtea, cum ſe erraſſe intellexerit, omnem rationis uſum odiſſe, et nihil in hominum ſcientia verum et certum exiſtimare. Cum autem in eo eſſet Socrates, ut hanc imaginem ab hominum oſoribus petitam expingeret, paululum, ut fit, a propoſito deflectens, obiter demonſtrat pauciſſimos hominum vel bonitate, vel malitia excellere, plurimos in quadam mediocritate verſari. Ut igitur ſe revocaret ad id quod de rationis odio dicendum erat, haec addit: *ἀλλὰ ταύτῃ μὲν οὐχ ὅμοιοι οἱ λόγοι τοῖς ἀνθρώποις εἰσὶν, ἀλλὰ σοῦ νῦν δὴ προάγοντος ἐγὼ ἐφεπόμην. Veruntamen eo usque rationis percepta non ſunt hominibus ſimilia* (ſcil. ut hic etiam pauciſſima veriſſima ſint) *ſed ego tantum, prouti tu modo me ducebas*, ita *ſequebar*, ut paulo longius a ſcopo ſimilitudinis aberrarem. Optimam hanc ſententiam efficit lectio cod. Aug. *ἐφεπόμην*. Vulgatam lectionem *ἐφεποίμην* ſic interpretatur Cl. Fiſcherus ed. III. *Sed ſi tamen*

rationes viderentur hactenus similes esse hominibus, ego te duce paratus essem ea de re quaerere. Verum haec a consilio Socratis remotiora esse nobis videntur, qui hac parenthesi tantum excusare longiorem excursum volebat, inductum se ut sit, Phaedonis colloquio, significans, ut quaedam in comparatione proponenda adiiceret, quae ad comparandi consilium nihil pertinebant.

Cap. XLIII. Ad sententiam pariter ac rationem Grammaticam aptius fuerit pro *οἷόν που καὶ Ὅμηρος ἐν Ὀδυσσείᾳ πεποίηκεν οὗ λέγει τὸν Ὀδυσσέα.* sic ordinem verborum constituere: *οἷόν που κ. Ὅ. ἐ. Ὀ. πεποίηκεν τὸν Ὀδυσσέα, οὗ λέγει: qualem etiam Ulyssem finxit Homerus ubi dicit:* —

Cap. XLVI. Socrates, postquam Anaxagorae sententiam cognovisset, qui Mentem [*νοῦν*] causam universitatis rerum esse ponebat, magna se fuisse exspectatione commotum dicit, opinantem scilicet, se cur ea, quae in rerum natura sint, optime sic ut essent, a Mente constituta fuerint edoctum iri. Exspectasse igitur, ut Anaxagoras, quid in quaque re optimum esset, et quomodo hanc optimi speciem in efformandis rebus secuta esset illa Mens divina, sibi monstraret. *Ἑκάστῳ οὖν αὐτὸν ἀποδιδόντα τὴν αἰτίαν, καὶ κοινῇ πᾶσι, τὸ ἑκάστῳ βέλτιστον, ᾤμην, καὶ τὸ κοινὸν πᾶσιν ἐπεκδιηγήσεσθαι ἀγαθόν. Καὶ οὐκ ἂν ἀπεδόμην πολλοῦ τὰς ἐλπίδας, ἀλλὰ πάνυ σπουδῇ λαβὼν τὰς βίβλους, ὡς τάχιστα οἷός τ' ἦν ἀνεγιγνώσκων, ἵν' ὡς τάχιστα εἰδείην τὸ βέλτιστον, καὶ τὸ χεῖρον. Ἀπὸ δὴ θαυμαστῆς, ὦ ἑταῖρε ἐλπίδος ᾠχόμην φερόμενος ἐπειδὴ προϊὼν, καὶ ἀναγιγνώσκων, ὁρῶ ἄνδρα τῷ μὲν Νῷ οὐδὲν χρώμενον οὐδέ τινας αἰτίας ἐπαιτιώμενον εἰς τὸ διακοσμεῖν τὰ πράγματα, ἀέρας δὲ καὶ αἰθέρας, καὶ ὕδατα αἰτιώμενον* etc. Si hanc lectionem sequimur, optimum est cum Fischero verba *ἀπὸ* — *φερόμενος* sic interpretari: *A magnifica igitur spe, o amice, excidebam, postquam in lectione pergens intelligo hunc philosophum Mente illa nihil amplius uti, neque causas rerum ad eam referre,*

sed

ſed potius aerem, aethera, aquas adhibere, per quae res effectas et conſtitutas diceret. Sed ſi Euſebii lectioni faveamus, apud quem pro *φερόμενος, ἐπειδὴ προϊὼν* legitur: *φερόμενος. Ἐπεὶ δὲ, προϊὼν* —, tum Stephani et Gottleberi interpretatio valebit: *A mirifica nimirum ſpe ducebar. Poſtea vero, pergens legere, intelligo. Ἐπεὶ* ſcilicet hic uſurpatur pro *ἔπειτα* ut ſaepius; adeo ut nihil neceſſe ſit, quod Gottlebero in mentem venerat, reſcribere *ἔπειτα*, vel *σπουδῇ*. Quod autem Fiſcherus explicationi ſuae praeſidium quaerit e verbis ſub ſinem eiusdem cap. ſequentibus: *Ἐγὼ μὲν οὖν τοιαύτης αἰτίας, ὅπῃ ποτὲ ἔχει μαθητὴς ὁτουοῦν ἥδιστ' ἂν γενοίμην. Ἐπειδὴ δὲ ταύτης ἐστερήθην, καὶ οὔτ' ἂν αὐτὸς εὑρεῖν οὔτε παρ' ἄλλου μαθεῖν οἷός τε ἐγενόμην τὸν δεύτερον πλοῦν ἐπὶ τὴν τῆς αἰτίας ζήτησιν ἣν πεπραγμάτευμαι, βούλει σοι ἐπίδειξιν ποιήσωμαι, ὦ Κέβης*; id veremur ne parum aut nihil firmitatis habeat. Etſi enim concedimus Platonem his verbis ad illorum quae ſupra exſcripſimus *ſententiam* reſpicere, non tamen inde effici poteſt, ut h. l. *ἐπειδὴ* ponitur, id etiam ſupra a Platone ſcriptum aut ſcribendum fuiſſe. Nam *τὸ στερεῖσθαι τῆς ἐλπίδος* in illis verbis *ἀπὸ δὴ θαυμαστῆς — αἰτίας ἐπαιτιώμενον*, quod ad ſententiam attinet, ſignificatur, ſive vulgatam lectionem, ſive eam quae eſt apud Euſebium amplectaris. Pro Gottleberi autem interpretatione hoc afferri poteſt, quod ſi *ἀπὸ δὴ θαυμαστῆς — φερόμενος* ita efferamus: *Iam a magnifica ſpe*, tanquam a vento quodam, *ablatus proficiſcebar;* tum melius intelligitur quis ſit *ὁ δεύτερος πλοῦς*, in poſtremis huius capitis verbis nominatus et metaphora in prioribus a curſu nautarum ducta in poſterioribus egregie ſervatur. Ceterum Köhleri coniectura prorſus nihil opus eſt, pro *οὐδέ τινας αἰτίας ἀέρας δὲ καὶ* — corrigentis: *ἀλλὰ ἄλλας τινὰς αἰτίας ἐπαιτιώμενον — ἀέρας τε καὶ* — cum ſenſus verborum e vulgata lectione planiſſimus efficiatur: *Poſtea autem ulterius procedens*

lectione, video hominem Mentem illam non amplius adhibere, neque conſtituendarum rerum cauſas ei aſſignare, ſed potius ad aerem, aethera, aquas tanquam ad principia rerum confugere.

Eod. cap. *ὑπὸ δόξης φερόμενα τοῦ βελτίστου*] Köhlerus vertit: *wenn ich der Vorſtellung, die man ſich gemeiniglich von dem Beſten macht, hätte folgen wollen.* Falſo. Iam Serranus preſſius reddiderat: *optimi illius opinione delata.* Pertinet enim ad *νεῦρα* et *ὀστᾶ*. Senſus eſt: *Etenim niſi ego potius duxiſſem patriae legibus obſequentem, poenam a civitate mihi imperatam ſubire, aut ſi optimum eſſe iudicaſſem e carcere effugere, dudum nervi mei et oſſa circa Megara aut in Boeotia eſſent, opinione ſcilicet optimi illuc delata.*

Ibid. *εἰ δέ τις λέγοι, ὅτι ἄνευ τοῦ τὰ τοιαῦτα ἔχειν καὶ ὀστᾶ καὶ νεῦρα, καὶ ὅσα ἄλλα ἔχω, οὐκ ἂν οἷός τ' ἦν ποιεῖν τὰ δόξαντά μοι, ἀληθῆ ἂν λέγοι, ὡς μέντοι διὰ ταῦτα ποιῶ, ἃ ποιῶ, καὶ ταύτῃ νῷ πράττω, ἀλλ' οὐ τῇ βελτίστου αἱρέσει, πολλὴ ἂν καὶ μακρὰ ῥαθυμία εἴη τοῦ λόγου.* Köhleri verſio ſenſum pervertit: *und daſs ich nur in ſo weit mit meinem Verſtande handle nicht nach der Wahl des Beſten.* Rectius fuerat: *und daſs ich eben in ſo fern* (als ich meine Glieder bewege) *mich als ein verſtändiges Weſen zeige, nicht aber in ſofern ich allemal das Beſte wähle, dies zu behaupten wäre einfältig.*

Τὸ καὶ — προςαγορεύειν] Loquitur philoſophus de his, qui *cauſam efficientem* cum *cauſa ſine qua non* confundunt, earumque nomina permiſcent. Köhlerus a veritate ſenſus prorſus aberravit, interpretando: *Gleichwohl thun die wie mich dünkt recht, die wie im Finſtern herumtappen, und bedienen ſich eines fremden Namens.* Imo Socrates hoc dicit: Quam cauſam (ſcil. cauſam *ſine qua non*) multi (tanquam qui in tenebris palpantes nomina rerum pervertunt) cauſam *efficientem* appellant. *Leute*

die im Finstern tappen, halten öfters die Dinge, die sie mit den Händen betasten, für etwas anders als sie sind, und geben ihnen also auch unrichtige Namen. So machen es auch diese Philosophen, die zweierley Arten der Ursachen mit einander verwechseln.

Ibid. *τὴν δὲ τοῦ, ὡς οἷόν τε βέλτιστα αὐτὰ τεθῆναι δύναμιν, οὕτω νῦν κεῖσθαι, ταύτην οὔτε ζητοῦσιν, οὔτε τινὰ οἴονται δαιμονίαν ἰσχὺν ἔχειν*] Constructio verborum est: *τὴν δὲ δύναμιν τοῦ οὕτω νῦν κεῖσθαι* (*αὐτὰ*) *ὡς οἷόν τε βέλτιστα αὐτὰ τεθῆναι οὔτε ζητοῦσιν* etc. *Eam vero vim quae effecerit, ut quomodo ea* (coelum et terra) *quam fieri posset optime collocarentur, ita nunc constituta sint, eam igitur neque quaerunt, neque divina quadam virtute praeditam esse arbitrantur.*

Ibid. *ἐγὼ μὲν οὖν τοιαύτης αἰτίας, ὅπῃ ποτὲ ἔχει, μαθητὴς ὁτουοῦν ἥδιστ᾽ ἂν γενοίμην.* Köhlerus interpretatur: *Gerne wär ich also bey der Untersuchung der Ursachen der Dinge eines jeden Schüler geworden.* Verius: *Diese Ursache nun*, (scil. id quod in quaque re optimum esset) *wie es auch damit beschaffen seyn möchte kennen zu lernen, möchte ich gern bey wem es auch wäre, in die Schule gehn.*

Cap. XLIX. *οὐδὲ σὺ ἄρα ἂν ἀποδέχοιο, εἴ τίς τινα φαίη ἕτερον ἑτέρου τῇ κεφαλῇ μείζω εἶναι, καὶ τὸν ἐλάττω τῷ αὐτῷ τούτῳ ἐλάττω — φοβούμενος, οἶμαι, μή τίς σοι ἐναντίος λόγος ἀπαντήσοι, ἐὰν τῇ κεφαλῇ μείζονά τινα φῇς εἶναι καὶ ἐλάττω, πρῶτον μὲν τῷ αὐτῷ τὸ μεῖζον μεῖζον εἶναι καὶ τὸ ἔλαττον ἔλαττον, ἔπειτα τῇ κεφαλῇ, σμικρᾷ οὔσῃ, τὸν μείζω μείζω εἶναι.* In his verbis *τῷ αὐτῷ* non est cum Köhlero vertendum: *eben dadurch*, sed potius: *durch eine und eben dieselbe Ursache.* Si enim quis diceret alterum altero *capite* maiorem esse, tum ei verendum esse arbitratur Socrates ne quis haec duo obiiciat; *primum* quod ineptum

ſit aliquid *una eademque re* (h. l. τῇ κεφαλῇ,) et maius et minus fieri poſſe; *deinde* quod aliquid maius fieri non poſſit per partem ipſo illo quod maius fieri debeat minorem.

Cap. L. ubi agitur de proceritate corporum Phaedonis, Simmiae et Socratis, inter quos Phaedon procerior erat Simmia et Socrate; Socrates utroque brevior, haec quae ſequuntur optime conſtituit Fiſcherus: Οὕτως ἄρα ὁ Σιμμίας ἐπωνυμίαν ἔχει σμικρός τε καὶ μέγας εἶναι, ἐν μέσῳ ὢν ἀμφοτέρων, τοῦ μὲν τῷ μεγέθει ὑπερέχειν τὴν σμικρότητα παρέχων, τῷ δὲ τὸ μέγεθος τῆς σμικρότητος παρέχων ὑπερέχον. Recte enim Fiſcherus obſervat, ſi cum edd. Ald. Baſ. legatur σμικρότητα ὑπερέχων, τοῦ μὲν referri debere ad Socratem, ad quem tamen ſequentia verba pertineant. Senſus nimirum unice verus hic eſt: *ita quidem ut alterius* (Phaedonis) *proceritate ſuperandam praebeat brevitatem ſuam; alteri vero* (Socrati) *proceritatem ſuam praebeat eius brevitate ſuperiorem.* In Köhleri verſione duo iſta membra nec ſatis accurate expreſſa, et ad ſenſum quod attinet perperam inter ſe permutata ſunt: *Die Kleinheit des einen übertrifft er durch ſeine Gröſse, und die Gröſse des andern erreicht er nicht ſeiner Kleinheit wegen.*

Ibid. Statim ſequuntur iſta: Καὶ ἅμα μειδιάσας, ἔοικα, ἔφη, καὶ ξυγγραφικῶς ἐρεῖν. ἀλλ' οὖν ἔχει γέ πως, ὡς λέγω. Hic dubium nobis non eſt, quin ξυγγραφικῶς ſignificet, *nimis diligenter*, aut ut Köhlerus, *ſehr deutlich.* Sed unde metaphora ſumta ſit, in vocabulo ξυγγραφικῶς, haud ſatis apparet. Fiſcherus quidem putat ab *hiſtoricis* petitam eſſe imaginem, ut qui ſaepe nimis diligentes ſint, ita ut etiam ea perſequantur, quae e reliquis intelligi ab ipſis lectoribus poſſint. Sed cum fuſum hoc dicendi genus non omnium hiſtoricorum ſit, *hiſtoricorum more dicere* profecto ſignificare non poteſt, *nimis diligenter, putide, fuſe dicere.*

Itaque melius eſt hanc locutionem ex rationibus *τῶν ξυγγραφομένων*, h. e. *contractus facientium*, et *ſibi certis clauſulis caventium* explicare; quaſi dicat Socrates: *Du ſiehſt, mein Lieber, ich ſpreche hier ſo genau, und ſo pünktlich, als ob ich einen Contract zu verclauſuliren, eine Quittung, oder Schuldverſchreibung auszuſtellen hätte.* In hoc enim genere ſolent omnes omnia preſſe et putide definire, omnesque ambiguitates quam poſſunt diligentiſſime vitare. Similis locus eſt in *Gorgia* (p. 451. c. ed. Steph. edit. autem Bipont. p. 13. T. IV.) ubi Socrates in accurata explicatione ſcientiae arithmeticae et logiſticae verſatus, addit: *καὶ εἰ ἐπανέροιτο περὶ τί* (*et ſi quis quaerat circa quid verſetur logiſtice*) *εἴποιμ᾽ ἂν ὥςπερ οἱ ἐν τῷ δήμῳ συγγραφόμενοι, ὅτι τὰ μὲν ἄλλα καθάπερ ἡ ἀριθμητικὴ καὶ ἡ λογιστικὴ ἔχει*; ubi Ficinus obſcurius vertit *ὥςπερ συγγραφόμενοι eorum more qui decreta conſcribunt in populo.* Veriſſime autem Cornarus his verbis expreſſit: *quemadmodum hi qui ſibi a populo cavent.* „Eſt enim, (quod idem in Eclogis ad Plat. p. 77. ed. Fiſcher. monet) *συγγράφεσθαι ſibi cavere ab aliquo in quacunque re transigenda.* Et *συγγραφόμενοι* ſunt, qui hoc faciunt. Solent autem hi, qui apud populum agunt, ſive dicunt, ſibi cavere, hoc eſt cum cautione, et ut vulgo dicunt, cum proteſtatione loqui, quomodo a ſe dicta accipi velint, ne quis poſtea aliter interpretetur."

XIII.

Lectionum Platonicarum Particula II. In Sympoſium.

In Sympoſio Platonis, cui egregius ante aliquot annos contigit interpres Wolfius philologus Halenſis, ſuperſunt hic ibi quaedam, quae aut criticam in textu conſtituendo ſollertiam, aut diligentiorem interpretandi curam poſtulent. In ingreſſu ſtatim feſtiviſſimi dialogi, ubi narrat Apollodorus, cum nuper Phalero in urbem iret, ſe a familiari quodam, qui ipſum a tergo conſpexiſſet compellatum, nondum eſt probabiliter definitum, quid in illa compellatione iocoſum ſit. Etenim Apollodorus *τῶν οὖν γνωρίμων τὶς*, inquit, *ὄπισθεν κατιδών με πόῤῥωθεν ἐκάλεσε, καὶ ΠΑΙΖΩΝ ἅμα τῇ κλήσει, ὁ Φαληρεὺς, ἔφη, οὗτος Ἀπολλόδωρος οὐ περιμενεῖς;* ioci cauſſam Sydenhamus e longinquo arceſſit, a pompa ſcilicet equeſtri nonnunquam feſtis diebus e Phalero ad urbem Athenarum ducta, in qua prioribus identidem ſubſiſtendum fuiſſet, donec ceteri eos conſequerentur. Quae quidem ratio recte diſplicuit Wolfio, qui haud paullo melius *παίζειν* ad feſtivum pronuntiandi ſonum ſpectare exiſtimavit. Verumtamen hoc feſtivitatis genus cum per ſe levius erat, quam ut memorari deberet, tum nihil ad côllocutores Apollodori, multo minus ad lectores dialogi pertinebat. Itaque iocum potius contineri putamus imitatione ſolennis formulae in iudiciis potiſſimum et concionibus adhibitae, qua nomini proprio addebatur pagi ſ. *δήμου* nomen.

Quod igitur ille non fimpliciter οὕτος οὐ περιμενεῖς, aut folo nomine Apollodorum vocaret, fed, quafi forenfi dicendi genere ufus, adderet ὁ Φαληρεὺς, hoc erat illud ni fallimur, quod Plato fpectabat his verbis καὶ παίζων ἅμα τῇ κλήσει.

Cap. VII. Phaedrus narraverat, quomodo multatus effet Orpheus, quod non fustinuiffet amoris caufa mori, ficut Alceftis, fed Eurydicen recuperaturus vivus in domum Plutoniam defcendiffet. His igitur expofitis contrarium Achillis exemplum, habitumque ei a diis honorem refert: οὐχ ὥςπερ Ἀχιλλέα τὸν τῆς Θέτιδος υἱὸν ἐτίμησαν καὶ εἰς μακάρων νήσους ἀπέπεμψαν — Deinde paucis interiectis multo magis ait a diis probari et coli, fi amatus amatorem, quam fi amator amafium praecipuo quodam amore complectatur. Iam redit ad Achillis exemplum: διὰ ταῦτα καὶ τὸν Ἀχιλλέα τῆς Ἀλκήστιδος μᾶλλον ἐτίμησαν εἰς μακάρων νήσους ἀποπέμψαντες. Recte Wolfius, qua difficultate hic locus premeretur fenfit, etfi medendi rationem haud attulit. Quid enim? Alceftis in eodem quo Achilles loco erat. Illa erat ἡ ἐρωμένη, hic ὁ ἐρώμενος, illa amatoris mariti fui, hic amatoris Patrocli caufa mortem fubierat. Non erat igitur quod maiorem Achilli quam Alceftidi honorem dii haberent. Duplex in mentem nobis venit ratio, qua fcrupulus ille tollatur. Aut enim Plato fcripfit: διὰ ταῦτα καὶ τὸν Ἀχιλλέα μᾶλλον ἐτίμησαν, et additamentum τῆς Ἀλκήστιδος gloffatori debetur, qui quorfum illud μᾶλλον pertineret, explicare vellet, idque ad Alceftin referret, quod rectius ad Orphea retuliffet; aut ut antea: διὰ ταῦτα καὶ Ἀχιλλέα ΤΟΝ ΤΗΣ ΘΕΤΙΔΟΣ μᾶλλον ἐτίμησαν, quod librariorum errore mutari potuit in τὸν Ἀχιλλέα τῆς Ἀλκήστιδος. Sed quod priori loco pofuimus multo facilius eft et blandius.

Cap. IX. Ὁ μὲν ουν τῆς πανδήμου Ἀφροδίτης (fc. Ερως) ὡς ἀληθῶς πάνδημός ἐστι, καὶ ἐξεργάζεται ὅ τι ἂν τύχῃ, καὶ οὗτός ἐστιν, ὃν οἱ φαῦλοι τῶν ἀνθρώπων ἐρῶσιν.

Ἐρῶσι δὲ οἱ τοιοῦτοι, πρῶτον μὲν οὐχ ἧττον γυναικῶν ἢ παίδων, ἔπειτα, ὧν καὶ ἐρῶσι τῶν σωμάτων μᾶλλον ἢ τῶν ψυχῶν, ἔπειτα ὡς ἂν δύνωνται, ἀνοητάτων. — Unius literae mutatione huic loco veritatem et elegantiam restituimus; corrigendum scilicet est ultimum vocabulum ac legendum: *ΑΝΟΗΤΑΤΩΣ.* Sic tribus partibus constat inter coelestis qui dicitur Amoris et vulgivagi asseclas differentia; primum *sexu*, qui ametur, deinde *parte* quae ametur, corpore an anima; postremo amandi *modo.* *Ἀνοήτως* amare est, libidinibus adeo intemperanter indulgere, ut eas etiam contra naturam expleas; notum est *τὰ ἀνόητα* apud Aristophanem de excessu vel abusu libidinis, et foeda eius turpitudine usurpari.

Paullo post sequuntur ista: *Ἔστι γὰρ* (scil. *ὁ πάνδημος Ἔρως*) *καὶ ἀπὸ τῆς θεοῦ νεωτέρας τε οὔσης πολὺ ἢ τῆς ἑτέρας, καὶ μετεχούσης ἐν τῇ γενέσει καὶ θήλεος καὶ ἄῤῥενος, ὁ δὲ τῆς οὐρανίας πρῶτον μέν, οὐ μετεχούσης θήλεος, ἀλλ' ἄῤῥενος μόνον· [καί ἐστιν οὗτος ὁ τῶν παίδων ἔρως] ἔπειτα πρεσβυτέρας ὕβρεως ἀμοίρου.* In his quae uncinis inclusimus, manifesta nobis visi sumus glossatoris vestigia deprehendere; nam nec afferunt quidquam quod ad rem faciat, et incommode concinnitatem orationis interrumpunt. Similiter proximis qui sequuntur versibus, ubi dicitur, veros amatores non pueros venari, sed adolescentes, qui iam ad maturitatem quandam rationis pervenerint, a grammatico quodam forte ad marginem scripta fuisse suspicamur: *τοῦτο δὲ πλησιάζει τῷ γενειάσκειν.* Cur enim Pausanias putide explicaret, quod nemo ut sibi explicaretur, postulabat?

Cap. X. *Πονηρὸς δ' ἐστὶ ἐκεῖνος ὁ ἐραστὴς ὁ πάνδημος, ὁ τοῦ σώματος μᾶλλον ἐρῶν, ἢ τῆς ψυχῆς, καὶ γὰρ οὐδὲ μόνιμός ἐστιν — — — ὁ δὲ τοῦ ἤθους χρηστοῦ ὄντος ἐραστὴς διὰ βίου μένει ἅτε μονίμῳ συντακείς. Τούτους δὲ βούλεται ὁ ἡμέτερος νόμος εὖ καὶ καλῶς βασανίζειν καὶ τοῖς μὲν χαρίσασθαι, τοὺς δὲ διαφεύγειν. [Διὰ ταῦτα οὖν*

τοῖς μὲν διώκειν παρακελεύεται, τοῖς δὲ φεύγειν, ἀγωνοθετῶν καὶ βασανίζων ποτέρων ποτέ ἐστιν ὁ ἐρῶν, καὶ ποτέρων ὁ ἐρώμενος.] Quae fignis parenthefeos circumfcripfimus nihil habent praeter inanem eiusdem fententiae quae proxime antecedentibus ineft repetitionem, ac fine dubio fcholiaftae debentur. Scripferat autem gloffator, ut arbitramur, *τοὺς μὲν — τοὺς δέ.* Sed a Platonis manu haec non effe hoc unum maxime arguit, quod additur *καὶ ποτέρων ὁ ἐρώμενος.* Non enim de eo, qui amandus effet, ab amatore explorando agebatur, fed de cautionibus, quae effent *τοῖς παιδικοῖς* obfervandae, ne temere cuivis amatori manum iniicerent.

Ibid. *Ἔστι γὰρ ἡμῖν νόμος, ὥςπερ ἐπὶ τοῖς ἐρασταῖς ἦν, δουλεύειν ἐθέλοντα ἥν τινα δουλείαν παιδικοῖς, μὴ κολακείαν εἶναι μηδὲ ἐπονείδιστον· οὕτω δὴ καὶ ἄλλη μία μόνη δουλεία ἑκούσιος λείπεται οὐκ ἐπονείδιστος.* Hisce verbis ineft *ἀνακολουθία* quaedam Platoni haud infrequens; plenius enim, et ftrictiore verborum iunctura fic dicendum erat: *ἔστι παρ' ἡμῖν νόμος ὥςπερ — — οὕτω δὴ καὶ ἄλλος ᾧ τοῖς παιδικοῖς μία μόνη* etc. Pro *ἄλλη* autem, quod hic redundare videtur, multo aptius effet *τούτοις*; ad praecedens *παιδικοῖς* referendum, nifi quis malit *ἄλλος ᾧ τούτοις.*

Cap. XI. In verbis *ὁ μὲν δυνάμενος εἰς φρόνησιν καὶ τὴν ἄλλην ἀρετὴν ξυμβάλλεσθαι, ὁ δὲ δεόμενος* [*εἰς*] *παίδευσιν καὶ τὴν ἄλλην σοφίαν κτᾶσθαι,* alterum *εἰς* temere a librariis repetitum, et fenfus pariter ac grammaticae conftructionis caufa delendum eft.

Cap. XII. *Καὶ ἐν μέν γε αὐτῇ τῇ συστάσει ἁρμονίας τε καὶ ῥυθμοῦ οὐδὲν χαλεπὸν τὰ ἐρωτικὰ διαγιγνώσκειν·* [*οὐδὲ ὁ διπλοῦς ἔρως ἐνταῦθα πώς ἐστιν*] *ἀλλ' ἐπειδὰν κ. τ. λ.* Hic in textum irrepfit fcholiaftae interpretamentum, fatis inficetum, *οὐδὲ — — ἐστιν.* Cum enim bonus ille interpres declarare vellet, cur in ipfis rationibus muficis h. e. in harmonia et rhythmo nullo negotio discerni poffent,

quae essent *ἐρωτικά*, h. e. quae essent consona et congruentia, incidit in opinionem prorsus ridiculam, respicere hic Eryximachum ad illam de duplici Amore doctrinam, putavitque hanc ob causam in musicis *τὰ ἐρωτικὰ* facilius discerni posse, quod in his duplex ille Amor, coelestis nempe et vulgivagus haud inesset.

Cap. XIII. Docet Eryximachus magnam utriusque Amoris vim in anni quoque tempestatibus cerni, ita ut, ubi moderatus Amor (*κόσμιος Ἔρως*) regnet, salubritas anni ac fertilitas consequatur, altero autem (*τῷ μετὰ τῆς ὕβρεως Ἔρωτι*) praevalente, pestes exoriantur frugumque calamitates. *Οἵ τε γὰρ λοιμοὶ φιλοῦσι γίγνεσθαι ἐκ τῶν τοιούτων καὶ ἄλλ᾽* ΑΝΟΜΟΙΑ *πολλὰ νοσήματα καὶ τοῖς θηρίοις καὶ τοῖς φυτοῖς.* Hoc loco dubium nobis non est quin facile quemvis attentius legentem offendat vocabulum ΑΝΟΜΟΙΑ. Quid enim? Cur Eryximachus dixerit *pestes et alii multi dissimiles morbi?* Nonne sensus postulabat ut diceret: *pestes et alii multi eius generis morbi?* Marsilius Ficinus hoc vocabulum in versione haud expressit, hoc modo interpretatus: *Pestes si quidem ex his oriri consueverunt, aliique morbi permulti.* Itaque certum nobis est Platonem scripsisse, *ἀλλ᾽ ὅμοια πολλὰ νοσήματα.* Statim sequuntur ista: *καὶ γὰρ πάχναι καὶ χάλαζαι καὶ ἐρυσίβαι ἐκ πλεονεξίας καὶ ἀκοσμίας περὶ ἄλληλα τῶν τοιούτων γίγνεται ἐρωτικῶν, ὧν ἐπιστήμη περὶ ἄστρων τε φορᾶς καὶ ἐνιαυτῶν ὥρας ἀστρονομία καλεῖται.* In his iterum glossatoris *ἔμβλημα* deprehendisse nobis videmur. Cur enim Plato h. l. astronomiae definitionem adderet? Praeterea doctrinam de effectibus anni tempestatum, de grandine, pruina, glacie, etc. a Platone ad astronomiam relatam esse, veremur ut idoneis aliorum locorum exemplis probari possit. In Gorgia diserte dicitur astronomiam versari circa astrorum motum et solis et lunae, et quam singulorum motus celeritatem habeat docere (*περὶ τὴν τῶν ἄστρων φορὰν, καὶ ἡλίου καὶ σελήνης, πῶς πρὸς ἄλληλα*

τάχους ἔχει.) Nulla hic de anni tempeftatibus, nulla de earum utilitatibus aut noxis mentio iniicitur. Denique ipfa verborum collocatio gloffatoris veftigia prodit. Cum enim dicitur *ὧν ἐπιστήμη*, articulus *ὧν* vix ad aliud referri poteft, quam ad id quod in antecedentibus fubiectum erat, *πάχναι, καὶ χάλαζαι, καὶ ἐρυσίβαι*; quod fi concedatur, quomodo Aftronomia dicatur *fcientia pruinae, grandinis etc. de coeli motu et anni tempeftatibus?* Ficinus quidem fic vertit: *horumque et coeli motus et anni temporum fcientia Aftronomia vocata eft*, quafi fcriptum effet *ὧν ἐπιστήμη, καὶ ἡ περὶ ἀστρῶν τε φορὰς καὶ ἐνιαύτων ὥρας.* At in textu graeco nec ita fcriptum legimus, neque cur ita refcribendum fit, exputari poteft. Erunt autem fortaffe, qui illud *ὧν* cum *ἐρωτικῶν* quod proxime praecedit copulandum putent; quod fi fequamur, Aftronomiam dixerit Eryximachus fcientiam *τῶν ἐρωτικῶν περὶ ἄστρων φορὰν* (vel *φορὰς*) *καὶ ἐνιαύτων ὥρας.* Quod quidem haud paullo mollius ac probabilius effe non negamus, modo fi nobis detur praepofitionem *περὶ* tum potius cum accufativo, quam ut nunc eft cum genitivo conftruendam; neque tamen omnis *νοθείας* in hisce verbis fufpicio tollitur. Semper enim relinquitur dubitationi locus, an Plato doctrinam de his, quae anni tempeftatibus in orbe terrarum efficiantur, in aftronomiae partibus numeraverit. Quid? quod in his, quae proxime fequuntur: *ἔτι τοίνυν καὶ αἱ θυσίαι ἅπασαι, καὶ οἷς μαντικὴ ἐπιστατεῖ* (*ταῦτα δ' ἐστὶν ἡ περὶ θεοὺς τε καὶ ἀνθρώπους, πρὸς ἀλλήλους κοινωνία*) *οὐ περὶ ἄλλο τι ἐστὶν ἢ περὶ Ἔρωτος φυλακήν τε καὶ ἴασιν*, fere fimilis eft ambigendi caufa, an genuina fint, verba *ταῦτα — κοινωνία.* Quae fi quis defendat, ut a Platone fcripta, fane acrius cum eo haud pugnabimus; nobis tamen parum eleganter hic pofita videntur, propterea quod h. l. *μαντικῆς* definitionem nemo exfpectabat, et quod inutiliter hic antecapiuntur, quae poftea demum declaranda

fibi fumferat Eryximachus, cum dicit: *πᾶσα γὰρ — καὶ περὶ θεούς· ἃ δὴ προςτέτακται τῇ μαντικῇ ἐπισκοπεῖν τοὺς Ἔρωτας καὶ ἰατρεύειν. Καί ἐστιν αὖ ἡ μαντικὴ φιλίας θεῶν καὶ ἀνθρώπων δημιουργὸς, τῷ ἐπίστασθαι τὰ κατὰ ἀνθρώπους ἐρωτικὰ, ὅσα τείνει πρὸς θέμιν καὶ ἀσέβειαν.* Haec igitur expofitio, absque illa parenthefi facile elegantiam ac fuavitatem tuetur, praemiffis autem iftis et praeter neceffitatem intrufis: *ταῦτα δ᾽ ἐστὶν ἡ περὶ θεούς τε καὶ ἀνθρώπους πρὸς ἀλλήλους κοινωνία* multum eorum quae fequuntur venuftati decedit.

Cap. XIX. In Agathonis oratione, quae tota in Amoris laudibus occupatur, neminem Sympofii lectorem fugit, quam is ambitiofe cuncta dicendi ornamenta confectetur, et quanto ftudio in extrema potiffimum oratione verborum concinnitatem affectaverit. Sic nimirum perorat. *Οὗτος* (fcil. *ὁ Ἔρως*) *ἡμᾶς ἀλλοτριότητος μὲν κενοῖ, οἰκειότητος δὲ πληροῖ, καὶ τοιάςδε ξυνόδους μετ᾽ ἀλλήλων πάσας τιθεὶς συνιέναι, ἐν ἑορταῖς, ἐν χοροῖς, ἐν θυσίαις γιγνόμενος ἡγεμών· πραότητα μὲν πορίζων, ἀγριότητα δ᾽ ἐξορίζων, φιλόδωρος εὐμενείας, ἄδωρος δυςμενείας, ἵλεως, ἀγαθὸς, θεατὸς σοφοῖς, ἀγαστὸς θεοῖς, ζηλωτὸς ἀμοίροις, κτητὸς εὐμοίροις· τρυφῆς, ἁβρότητος, χλιδῆς, χαρίτων, ἱμέρου, πόθου πατήρ· ἐπιμελὴς ἀγαθῶν, ἀμελὴς κακῶν· ἐν πόνῳ, ἐν φόβῳ, ἐν πόθῳ, ἐν λόγῳ κυβερνήτης, ἐπιβάτης, παραστάτης τε καὶ σωτὴρ ἄριστος.* Facile intelligitur, quam artificiofe verba inter fe, tanquam lapilli in emblemate vermiculato, compofita fint, quam lepide Agathon paria paribus retulerit, et ut fimiliter caderent elaboraverit. In extremo autem eorum quae defcripfimus incifo, quamquam numerorum concinnitas aeque ac in prioribus fervatur, fententiarum tamen inter fe relatarum oppofitionem turbatam effe nullo negotio perfpicitur. Primum enim inter *πόνῳ* et *λόγῳ* prorfus nulla eft relatio, quae inter *φόβῳ* et *πόθῳ* fatis clara inter-

cedit; deinde quorfum omnino hic ἐν λόγῳ pertineat, aut quam vim habeat intelligi vix poteſt; denique quatuor illi nominativi κυβερνήτης, ἐπιβάτης, παραστάτης τε καὶ σωτὴρ, quomodo ad quatuor dativos ἐν πόνῳ, ἐν φόβῳ, ἐν πόθῳ, ἐν λόγῳ referantur, ut ſingula ſingulis ad ſententiam reſpondeant, haud apparet. Itaque cum vix credibile ſit Agathonis operam in concinnitate ſententiarum affectanda poſitam extrema in parte claudicaſſe, librariorum culpa nonnulla hic turbata eſſe arbitramur. Ut paucis defungamur, ita nobis videtur Plato ſcripſiſſe ἐν φόβῳ, ἐν πόθῳ, ἐν πόνῳ, ἐν ΜΟΓΩι, κυβερνήτης, ἐπιβάτης, παραστάτης, καὶ σωτὴρ ἄριστος. Iam primum totam imaginem e re nautica petitam eſſe exiſtimamus. Nautis enim ſaepe *timor* naufragii, *deſiderium* terrae, *labor* in difficultate navigandi, *aerumna* nauſeantibus, fame periclitantibus, cum tempeſtate conflictantibus accidere ſolet. In timore igitur illo quid *gubernatore*, (κυβερνήτῃ) in *deſiderio*, quid *ſocio itineris et comite*, (ἐπιβάτῃ) in *labore* quid auxiliatore (παραστάτῃ) in aerumna, quid ſoſpitatore (σωτῆρι) optabilius? Haec igitur officia unum Amorem omnia praeſtare amantibus docet. Deinde hac unius literae mutatione, uniusque vocabuli transpoſitione hoc efficitur, ut ſingula ſingulis ad amuſſim reſpondeant. Ut enim ἐν φόβῳ ad malorum, ſic ἐν πόθῳ ad bonorum exſpectationem refertur, ut πόνος moleſtiam in agendo, ſic μόγος moleſtiam in patiendo deſignat, tandem κυβερνήτης ad φόβον, ἐπιβάτης ad πόθον (quis enim flagrantis deſiderii ſenſum melius lenire poſſit, quam ſocius itineris, quicum colloquendo horas tardius euntes fallere poſſis,) παραστάτης ad πόνον (ſimilitudine a remigantibus ducta) denique σωτὴρ ad μόγον aptiſſime refertur.

XIV.

Lectionum Platonicarum Particula III.
In Philebum.

In Platonis dialogo, qui inſcribitur Philebus ſ. de voluptate, Protarchus defendendam ſusceperat Philebi theſin, qui *bonum* h. e. felicitatis cauſam *voluptatem* eſſe pronuntiaverat, cum Socrates contra idem *ſapientiae* tribuendum eſſe cenſuiſſet. Quaerit igitur a Protarcho Socrates, utrum ſi tertium aliquod inveniatur et voluptate et ſapientia ſuperius, illud quidem ſummum bonum appellandum ſit; ita tamen, ut ſi huic ſapientia magis cognata ſit quam voluptas, ſapientia quoque voluptate propius ad finem bonorum accedat. Quod cum ille conceſſiſſet, exoritur disputatio, qua, num voluptatibus, cum inter ſe ſint maxime diverſae, nihilo tamen ſecius omnibus boni nomen aſſignari poſſit, quaeritur. Ubi cum Protarchus ſine cauſa idonea omnes voluptates inter ſe ſimiles eſſe pronuntiaſſet, Socrates cum eo paciſcitur, ut et voluptatis et ſapientiae partes inter ſe diſſimiles ac diverſas eſſe ab utroque affirmetur. In hac parte ſermonis turbatio facta eſt a librariis intermiſſa ſemel interlocutoris Protarchi notatione. Socrates nempe docuerat haud decere disputantem abſurditate quadam admiſſa vincere velle; Si enim, inquit, uterque noſtrum, tu inter voluptatis, ego inter ſapientiae partes nullum prorſus intercedere discrimen contenderemus, hoc profecto abſurdum eſſet, omnisque noſtra disputatio, tanquam fabula, in nihilum abiret, *αὐτοὶ δὲ σωζοίμεθα ἐπί τινος ἀλογίας,* h. e.

non ut Ficinus vertit, *nos autem ruditate quadam detineremur*, ſed potius: *nos autem ſententiam quidem tueremur et hactenus incolumes, haud refutati, disc ederemus, ſed ita tamen, ut id quod abſurdum eſſet ac rationi prorſus repugnaret, admitteremus.* Verba igitur quae proxime ſequuntur: Ἀλλ' οὐ μὴν τοῦτο δεῖ γενέσθαι, πλὴν τοῦ σωθῆναι. Τό γε μήν μοι ἴσον τοῦ σοῦ τε καὶ ἐμοῦ λόγου ἀρέσκει, πόλλαι μὲν ἡδοναὶ καὶ ἀνόμοιοι γιγνέσθων, πολλαὶ δὲ ἐπιστῆμαι καὶ διάφοροι, multo melius et concinnius Protarcho, quam, ut vulgo fit, Socrati aſſignantur. Protarchus ſcilicet *vincere* (σωθῆναι) quidem ait ſibi placere, attamen hoc minime cum conditione abſurditatis cuiusdam admiſſae, (ἐπὶ τινὸς ἀλογίας) fieri debere. Accedit igitur ad Socratis placitum et pariter ἡδονὰς atque ἐπιστήμας inter ſe diverſas eſſe concedit. Tum Socrates pergit hisce verbis τὴν τοίνυν διαφορότητα, et quae ſequuntur.

Cap. V. ubi disputatur, qua ratione una eademque res partim Ἕν, partim πόλλα dicenda ſit, h. e. qui fiat, ut ſub uno genere plures inter ſe diverſae ſpecies contineantur, negat Socrates hic de diverſitate partium, quae totum aliquod conſtituant, agi, eiusmodi enim exempla puerilia et facilia eſſe, quae nemo hic afferri velit, cum omnes concedant, haec eſſe παιδαριώδη καὶ ῥάδια καὶ σφόδρα τοῖς λόγοις ἐμπόδια. H. l. inter καὶ et σφόδρα negandi particula οὐ excidiſſe videtur. Sententia enim poſtulat, ut dicatur eiusmodi exempla eſſe puerilia et facilia, et *quae neminem magnopere in disputando offendere poſſint*, οὐ σφόδρα — ἐμπόδια.

Cap. VI. ubi de proprio rationis humanae negotio agitur, quo rebus ſingularibus obſervatis eae ſtatim ad certa genera certasque ſpecies revocantur, generibus autem notatis continuo ad diverſas eius partes discernendas proceditur, Socrates ita pronuntiat: Θεῶν μὲν εἰς

ἀνθρώπους δόσις, ὥς γε καταφαίνεται ἐμοὶ ποθὲν ἐκ θεῶν ἐῤῥίφη διά τινος Προμηθέως ἅμα φανοτάτῳ τινὶ πυρί. Quomodo autem iſta facultas rationis humanae deorum immortalium *dono* tributa eadem dici quoque uno orationis tenore poteſt, diis a Prometheo quodam *ſurrepta* eſſe? Legendum igitur arbitramur: *Θεῶν μὲν εἰς ἀνθρώπους δόσις, ὥς γε καταφαίνεται ἐμοὶ, ΕΙ ΜΗ ποθὲν ἐκ θεῶν ἐῤῥίφη* etc. h. e. *Sane deorum aliquod, ut mihi quidem videtur donum hominibus datum, niſi forte iis a Prometheo neſcio quo, una cum igne puriſſimo ac ſplendidiſſimo ereptum fuerit.* Eadem ratione cap. 6. ubi literarum inventio tangitur, praeclariſſimum hocce omnium inventum ſive a deo, ſive ab homine quodam quem Aegyptii *Theuth* perhibeant, profectum eſſe dicitur *εἴτε τις θεὸς εἴτε καὶ θεῖος ἄνθρωπος* etc. Paullo poſt in verbis: *ὡς ἐξ ἑνὸς μὲν καὶ πολλῶν, [ὄντων] τῶν ἀεὶ λεγομένων εἶναι, πέρας δὲ καὶ ἀπειρίαν ἐν ἑαυτοῖς ξύμφυτον ἐχόντων. δεῖν οὖν ἡμᾶς τούτων οὕτω διακεκοσμημένων αἰεὶ μίαν ἰδέαν περὶ παντὸς ἑκάστοτε θεμένους ζητεῖν*; vocabulum *ὄντων* quod uncinis incluſimus ſpurium eſſe videtur ex repetitione ſyllabae antecedentis et conſequentis ortum; punctum vero poſt *ἐχόντων* tollendum, ac pro *δεῖν* legendum eſt *δεῖ*, quod etiam Ficinus in codice ſuo legiſſe videtur.

Deinde pro *τῶν ἓν ἐκείνων ἕκαστον πάλιν ὡσαύτως* reponendum eſt *τὸ ἓν ἐκείνων ἕ. π. ὡς.* ſicut mox ſequitur *τὸ ἓν ἕκαστον τῶν πάντων.* Tum, interiectis fere duodecim lineis, ubi Socrates eos reprehendit, qui in philoſophando nimis feſtinent in generibus conſtituendis, his autem conſtitutis formas iſtis ſubiectas ordine distribuere negligant: *Οἱ δὲ νῦν τῶν ἀνθρώπων σοφοὶ ἓν μὲν ὅπως ἂν τύχωσι, καὶ π ο λ λ ὰ θᾶττον καὶ β ρ α δ ύ τ ε ρ ο ν ποιοῦσι τοῦ δέοντος, μετὰ δὲ τὸ ἓν ἄπειρα εὐθύς.* Hic primum quomodo iidem philoſophi *θᾶττον καὶ βραδύτερον iuſto celerius ac tardius* verſari dicantur in generibus rerum conſtituendis, haud

haud intelligitur; itaque pro βραδύτερον Plato fcripfiffe videtur βραχύτερον *iufto celerius ac brevius verfantur in generum conftitutione.* Neque πόλλα hic genuinum effe videtur; propterea quod *fingularia* f. ut in fcholis dicitur, individua, quae Plato τὰ πόλλα, aut ἄπειρα appellare folet, proximo demum commate, his fcil. verbis μετὰ δὲ τὸ ἓν ἄπειρα εὐθὺς, generibus a Platone vocabulo τοῦ ἑνὸς infignitis opponuntur. Itaque veram et antiquam lectionem effe fufpicamur πόλλῳ; quo quidem in textum affumto verba fic procedunt: οἱ δὲ νῦν τῶν ἀνθρώπων σοφοὶ ἓν μὲν ὅπως ἂν τύχωσι, καὶ πολλῷ θᾶττον καὶ βραχύτερον ποιοῦσι τοῦ δέοντος; h. e. *hodierni autem philofophi genera rerum temere et multo citius breviusque, quam par eft, conftituunt, generibus autem conftitutis ftatim ad fingularia f. individua convertuntur.*

Cap. IX. Φῂς δ', ὡς ἔοικε, σὺ, [τὸ προςρηθησόμενον ὀρθῶς,] ἄμεινον ἡδονῆς γε ἀγαθὸν εἶναι, νοῦν, ἐπιστήμην, σύνεσιν, τέχνην καὶ πάντα αὖ τὰ τούτων ξυγγενῆ, [κτᾶσθαι δεῖ ἀλλ' οὐχὶ ἐκεῖνα]. Verba uncinis circumfcripta τὸ προςρηθησόμενον ὀρθῶς et κτᾶσθαι δεῖ ἀλλ' οὐχὶ ἐκεῖνα ex interpretis cuiusdam notulis forte ad marginem fcriptis in textum irrepfiffe videntur. Sane et conftructionem turbant, et fenfum prorfus pervertunt. Ficinus vertit: *Dicis autem tu ut videtur* (*quod adiiciendum puto recte*), *praeftantius voluptate bonum effe, mentem, fcientiam intelligentiam, et reliqua huiuscemodi et quod haec capeffere potius quam illa debeamus.* At quis non videt verbis *quod adiiciendum puto recte* nec graeca recte expreffa, et ipsa quoque fenfu deftituta effe?

Cap. IX. extremo Protarchus, qui Socratem fe dimiffurum negat, priusquam omnia, quae promififfet, explicaverit, *confidera igitur*, inquit, *utrum voluptatis et fcientiae diverfas formas explicare, an totum hoc negotium omittere velis, fiquidem alio quodam modo poffis ac velis,*

(*εἴπῃ καθ' ἕτερόν τινα τρόπον οἷός τ' εἶ καὶ βούλει*) *declarare res eas de quibus disceptamus.* Tum Socrates respondet: *Δεινὸν μὲν τοίνυν ἔτι προςδοκᾶν οὐδὲν δεῖ τὸν ἐμέ, ἐπειδὴ τοῦθ' οὕτως εἶπες. Τὸ γὰρ ΕΙ ΒΟΥΛΕΙ ῥηθὲν, λύει πάντα φόβον ἑκάστων πέρι.* Primum articuli *τὸν* loco legendum arbitramur *τὸ κατ'*, ut nimirum *τὸ κατ' ἐμὲ* significet, *quantum ad me attinet.* Porro vocabulum *ἑκάστων* commodam h. l. interpretationem vix admittit. Socrates potius respicere videtur ad verba Protarchi, *εἴπῃ — οἷός τ' εἶ, καὶ βούλει. Profecto*, inquit, *iam quod ad me attinet, nihil metuendum est, quandoquidem hoc ita locutus es. Nam quod addidisti SI VELIS, id me omni metu liberat ne forte non possim praestare quod cupis.* Hic nimirum sensus nullo negotio eliceretur, si scriptum esset *λύει πάντα φόβον τοῦ οἷόν τ' εἶναι πέρι.*

Cap. X. *Ὅρα δὴ τοῦ φρονεῖν, καὶ νοεῖν καὶ λογίζεσθαι τὰ δέοντα καὶ ὅσα τούτων ἀδελφὰ μῶν μηδὲ ὁρᾶν τι.* Hic in verbo *ὁρᾶν*, quod genuinum esse vix potest, latere videtur alius cuiusdam verbi infinitivus, quod notet *curare*, aut *appetere;* contextus enim postulat, ut Socrates dicat: *tu igitur* (scil. si omnibus voluptatibus affluceres) *rationem, et intellectum et providentiam et quae his sunt affinia prorsus nihil curares?*

Cap. XI. *οὐδὲ γὰρ ὁ σὸς νοῦς, ὦ Σώκρατες, ἔστι τἀγαθὸν, ἀλλ' ἕξει που ταῦτα τὰ ἐγκλήματα.* Rescribendum est *ταὐτὰ ταῦτα ἐγκλήματα; Neque enim intellectus ille tuus*, h. e. cuius tu causam agis, *summum bonum est, sed in eum eaedem illae reprehensiones cadunt quae in voluptatem quam tu defendis.*

Cap. XII. Cum Socrates tria *τῶν ὄντων εἴδη* enumerasset, 1. *materiam* (*τὸ ἄπειρον*) 2. *formam* (*πέρας*) 3. *rem ipsam materia et forma comprehensam* (*τὸ τρίτον ἐξ ἀμφοῖν τούτοιν ξυμμισγόμενον*) quartum *εἶδος* adiiciendum esse

ducebat, nempe *caufam* quae ex materia et forma res ipfas conflaffet (τῆς συμμίξεως τούτων πρὸς ἄλληλα αἰτίαν). Hic iocofe quaerit Protarchus, *numquid et quinto infuper indigebis discretionem* (διάκρισιν fcil. συμμίξει oppofitam) *efficiente?* Refpondet Socrates, *Fortaffe quidem, non tamen, ut opinor, hoc tempore.* Ἐὰν δέ τι δέῃ, συγγνώσῃ πού μοι σὺ μεταδιώκοντι πέμπτον. *Sollte es aber nöthig feyn, fo wirft du mir verzeihen, wenn ich das fünfte noch nachhole.* Mirandum eft, editores nondum expunxiffe ineptum illud βίον quod poft πέμπτον affuitur. Scilicet hoc debetur fcioli cuiusdam interpretationi, qui cum fupplere deberet εἶδος, prorfus abfurde adfcripferat βίον, quoniam antea de vita, in qua fapientia cum voluptate coniuncta effe, fermonem fuiffe meminerat, quam Plato τὸν κοινὸν βίον, f. μικτὸν appellat.

Cap. XVI. οὐ γάρ που δοκοῦμέν γε, ὦ Πρώταρχε τὰ τέτταρα ἐκεῖνα, πέρας, καὶ ἄπειρον, καὶ κοινὸν, καὶ τὸ τῆς αἰτίας γένος ἐν ἅπασι τέταρτον ἐνὸν τοῦτο, ἐν μὲν τοῖς παρ' ἡμῖν ψυχήν τε παρέχον, καὶ σῶμα σκιὰν ἐμποιοῦν, καὶ πταίσαντος σώματος ἰατρικὴν καὶ ἐν ἄλλοις ἄλλα συντιθὲν καὶ ἀκούμενον πᾶσαν καὶ παντοίαν σοφίαν ἐπικαλεῖσθαι. Socrates h. l. in eo eft, ut demonftret haud confentaneum effe, cum id quod nobis mentem et corpus tribuerit, ratio ac fapientia fit, non eandem quoque fapientiam univerfitati rerum praeficere. Iam Stephanus intellexerat in verbis σῶμα σκιὰν latere vocem σωμασκίαν. Quid enim hic fignificet σῶμα σκιὰν ἐμποιοῦν? quod quidem Ficinus ita vertit, ut nihil fit obfcurius. Vertit enim: *animam corpusque praebet dum imprimit umbram.* Fifcherus vero, improbata Stephani coniectura σῶμα h. l. propterea dici exiftimat σκιὰν ἐμποιοῦν, quod fit compofitum. Enimvero de compofita corporis natura hic non agitur; ne dicamus ad *compofitionem* fignificandam fatis ineptam effe phrafin σκιὰν ἐμποιοῦν. Itaque nobis amplectenda quidem videtur

Stephani coniectura, fed hac lege, ut alio quodam modo textus depravationi fuccurramus. Nimirum ita conftituendus eft: ἐν μὲν τοῖς παρ' ἡμῖν ψυχήν τε παρέχον ΚΑΙ ΣΩΜΑ, καὶ σωμασκίαν ἐμποιοῦν, καὶ πταίσαντος σώματος ἰατρικήν. Primum hic *anima* et *corpus* deinceps ponuntur: deinde cum corpus vel fanitate praeditum fit, vel morbo afficiatur, ad ftatum fanitatis pertinet σωμασκία, quae pars eft diaetetices, eaque opponitur τῇ ἰατρικῇ, quae fanandis corporis morbis occupatur.

Eod. cap. Νῦν δήπου, ὦ ἑταῖρε, οὗ μὲν γένους ἐστὶ καὶ τίνα ποτὲ δύναμιν κέκτηται, σχεδὸν ἐπιεικῶς ἡμῖν ταννῦν δεδήλωται. Hic pro νῦν δήπου, dubium effe non poteft quin legendum fit ΝΟΥΣ δήπου. *Iam intellectus, o amice, cuius quidem generis fit, et quam vim habeat, fatis nobis videmur declaraffe.* Id primum e fequentibus intelligitur καὶ μὴν ἡδονῆς γε ὡσαύτως πάλαι τὸ γένος ἐφάνη. Deinde fi νῦν δήπου fervatur, tota haec fermonis particula fubiecti notatione caret, quod ex antecedentibus repetere, longinquum effet. Denique νῦν hic omnino redundat, cum in claufula periodi ponatur τὰ νῦν δεδήλωται.

Cap. XIX. Τὸ δὲ ἐν ἑνὶ πάθει τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα κοινῇ γιγνόμενον κοινῇ καὶ κινεῖσθαι, ταύτην ἂν τὴν κίνησιν ὀνομάζων αἴσθησιν οὐκ ἀπὸ τρόπου φθέγγοι' ἄν. Stephanus ante τὴν ψυχὴν inferi iubebat particulam περὶ vel potius κατὰ quod etiam Fifchero placet. At hac praepofitione addita fenfus prorfus perverteretur. Quaerit enim Socrates annon recte hoc dicatur αἴσθησις cum *anima et corpus communiter affecta communiter quoque moveantur.* Tota igitur ῥῆσις pendet ab articulo τὸ, nec praepofitionis κατὰ ante ψυχὴν infertae quae vis aut ftructura fit, intelligitur.

Eod. cap. Ἵνα μὴ τὴν ψυχῆς ἡδονὴν χωρὶς σώματος ὅτι μάλιστα καὶ ἐναργέστατα λάβοιμεν) Legendum eft ΙΝΑ ΠΗΙ τὴν ψυχὴν etc. Negandi enim particula Socratis

confilio prorfus contraria eft. Etenim in eo occupatus erat, ut ostenderet quid in voluptatis fenfu proprie ad animam pertineret; feiunctis fcil. quae hunc fenfum comitantur corporis affectionibus.

Cap. XXVI. *ΣΩ. Πότερον οὖν χαίρειν οἴονται τότε, ὅταν μὴ λυπῶνται; ΠΡ. φασὶ γοῦν. ΣΩ. οὐκοῦν οἴονται τότε χαίρειν, οὐ γὰρ ἂν ἔλεγόν που.* Manifeftum eft, pro peiori *οἴονται* refcribendum effe *λέγουσι*; huic refpondet *φασὶ*, et *ἔλεγον*. Socrates quaerit: *nonne igitur tum fe gaudere dicunt homines, cum triftitia non afficiuntur? PR. Aiunt fcilicet. SOCR. Nonne igitur tum quoque putant fe gaudere? nifi enim putarent, fane non dicerent.*

Cap. XXVIII. *Τὸ δὴ λεγόμενον πικρῷ γλυκὺ μεμιγμένον μετὰ δυςαπαλλακτίας παρὸν, ἀγανάκτησιν καὶ ὕστερον ξύστασιν ἀγρίαν ποιεῖ.* Quamquam ferri et explicari poteft *ξύστασιν*, haud fcimus tamen an fcripferit Plato *σύντασιν*, cum paullo poft dicatur *συντείνει τε καὶ ἐνίοτε πηδᾶν ποιεῖ.*

Cap. XXXI. *Ἀλλ', ὅπερ εἶπον, ΜΑΡΤΥΣΙ καταχρῶμαι, πρὸς τὸ τινὰς ἡδονὰς, εἶναι δοκούσας, οὔσας δ'. οὐδαμῶς)* Legendum eft *ΜΑΝΤΕΣΙ καταχρῶμαι.* Nam illud *ὅ περ εἶπον* refertur ad cap. 27. ubi Socrates dixerat, *ἀλλ' ὥςπερ μάντεσι, προςχρῆσθαί τισι, μαντευομένοις οὐ τέχνῃ* etc.

Cum in disputatione, qua voluptasne an fapientia maius et praeftantius bonum effet, quaerebatur, Philebus in Platonis dialogo, qui eius nomine infcribitur, caufam voluptatis Protarcho defendendam tradidiffet, quaefivit Socrates utrum voluptates, quamvis inter fe diverfae omnes tamen bonas effe dicendas putaret. Quod cum ille ad extenuandam voluptatis dignitatem, fpectare intelligeret, ne-

gare coepit voluptatem a voluptate differre, quamquam concedebat a diverſis rebus multumque inter ſe discrepantibus, immo etiam oppoſitis voluptates oriri poſſe. Mox vero victus argumentis in Socratis concedit ſententiam, ita ut et *voluptatis*, quam Protarchus defendebat, et *ſcientiae*, quam Socrates amplexus erat, plures eſſe ſpecies, hasque inter ſe diverſas inter utrumque conveniret.

Tum Socrates cogitatione ducitur ad univerſam de *genere* et *ſpecie*, ſive de *uno* et *multis* quaeſtionem, quam quidem obſcuram ac difficilem, itemque ambiguam et controverſam eſſe pronuntiat. *ὅταν δέ τις*, inquit, (cap. 5.) *ἕνα ἄνθρωπον ἐπιχειρῇ τίθεσθαι καὶ βοῦν ἕνα, καὶ τὸ καλὸν ἕν, καὶ τἀγαθὸν ἕν, περὶ τούτων τῶν ἑνάδων καὶ τῶν τοιούτων ἡ πολλὴ σπουδὴ, μετὰ διαιρέσεως ἀμφισβήτησις γίγνεται.* Hoc loco librariorum incuria excidit particula *καὶ*, legendumque eſt ſine dubio *καὶ μετὰ διαιρέσεως* etc. Significat enim Socrates de hac *unitate* generis ad *pluralitatem* ſpecierum comparata magnam inter philoſophos quaeſtionem *et vero etiam* disceptationem atque controverſiam agitari. Nec particulam copulativam in codice ſuo Ficinus non reperiſſe videtur; vertit enim: Tunc *ſane in iis eiusmodique unitatibus anxium ſtudium*, *AC ETIAM diviſio ambigua fit.*

Quaerenti autem Protarcho, quaenam illa disceptatio ſit, reſpondet Socrates: *πρῶτον μὲν, εἴ τινας δεῖ τοιαύτας εἶναι μονάδας ὑπολαμβάνειν, ἀληθῶς οὔσας. Εἶτα πῶς αὖ ταύτας, μίαν ἑκάστην, οὖσαν ἀεὶ τὴν αὐτὴν, καὶ μήτε γένεσιν μήτε ὄλεθρον προσδεχομένην, ὅμως εἶναι βεβαιότητα μίαν ταύτην μετὰ δὲ τοῦτ', ἐν τοῖς γιγνομένοις αὖ καὶ ἀπείροις εἴτε διεσπασμένην καὶ πολλὰ γεγονυῖαν θετέον, εἴθ' ὅλην αὐτὴν αὑτῆς χωρίς.* Hunc locum Ficinus tam perplexa oratione reddidit, ut quid ſibi Socrates velit ex eius quidem verſione vix intelligi poſſit. *Primo quidem*, *utrum admittendum ſit eiuscemodi quasdam unitates vere eſſe. Deinde*,

quomodo quamlibet earum unam ſemper eandemque eſſe putandum nec generationem nec interitum ſuscipientem, ſuaque in unitate firmiſſimam. Poſtremo, numquid in rebus genitis et infinitis quaeque ponenda ſit, ſive disperſa, multaque ex una iam facta, ſive tota ipſa ab ſe ipſa ſeorſim, quod maxime omnium impoſſibile videatur unum idemque ſimul in uno multisque fieri. Iam primum in eo erravit Ficinus, quod hic de triplici quaeſtione agi putavit; (tres enim ille numeralibus adverbiis *primo*, *deinde*, *poſtremo* diſtinxit) cum Socrates non niſi de duabus loquatur. Altera enim quaeſtio erat, utrum *ἑνάδες* illae h. e. *genera rerum vere ſint*, h. e. utrum extra mentem tanquam exemplaria rerum ponenda ſint, an potius mentis tantum notionibus (*νοήμασι*) comprehendantur, qua de re multis verbis in Parmenide disputatur. Altera vero, utrum has generum unitates, quae ſingulae ſemper eaedem ſint, ac neque gigni neque interire poſſint, tamen etiam in *multis* h. e. in infinitis illis rebus, quas hodie *individua* appellare ſolent philoſophi, ineſſe pronuntiandum ſit, ita ut *vel* illud unum genus per multas infinitasque res ſingulares distrahatur, *vel* in multis totum ſit, adeoque quaſi ſaepius extra ſe ipſum ponatur. Ut cum de pulchritudine quaeratur, primum ambigi poteſt, utrum ea mente tantum concipiatur, an extra mentem quoque tanquam rerum, quae cernuntur pulchrarum, exemplar exiſtat; deinde utrum una (illa pulchritudo *ἑνὰς τοῦ κάλλους, εἶδος τοῦ κάλλους*) in ſingulis tota ſit, an vero per ſingula dispeſcatur ac distribuatur, ut ſingula pulchra nonniſi partem quandam unius illius pulchritudinis ſuscipiant. Itaque inter *μίαν ταύτην* et *μετὰ δὲ τοῦτο,* non ut vulgo ſit, puncto, ſed commate tandum diſtinguenda eſt oratio. Ceterum horum verborum ſententia illuſtratur maxime loco Parmenidis (Vol. X. edit. Bipont. pag. 80.) *οὐκοῦν ἤτοι ὅλου τοῦ εἴδους ἢ μέρους ἕκαστον τὸ μεταλαμβάνον μεταλαμβάνει;* et quae ibi ſequuntur.

Paullo poſt cap. 6. *φαμέν που ταὐτὸν Ἓν καὶ ΠΟΛΛᾺ ὑπὸ λόγων γιγνόμενα περιτρέχειν πάντῃ καθ᾽ ἕκαστον τῶν λεγομένων αἰεὶ καὶ πάλαι καὶ νῦν* prorſus obſcure redditur in Ficini verſione: *Unum ac multa rationibus idem facta, omnem ubique orationem et quondam et nunc pervagari.* Lucidius hoc modo interpretari licebat. *Et iſtud quidem humanae rationis negotium generis unitatem in partes tribuendi, ſpeciesque plures ad unum genus revocandi quam latiſſime ad omnem disputationem et nunc quidem patet, et olim patuit.*

Cap. XII. Poſtquam Socrates docuerat quatuor eſſe *εἴδη* ſeu ſpecies primarias, quibus rerum natura contineatur, *τὸ ἄπειρον, infinitum* ſ. *rudem indigeſtamque materiam, τὸ πέρας* h. e. *formam, quae illam finiat ac terminet, τὸ ἐξ ἀμφοῖν τούτοιν ξυμμισγόμενον, res ipſas ex materia et forma compoſitas,* denique *τὴν τῆς συμμίξεως αἰτίαν, cauſam quae rudem illam materiam certae formae adſtrinxerit, adeoque res quae ſenſibus noſtris patent effecerit,* primum eo aggreditur ut primo generi *τοῦ ἀπείρου* multas ſubeſſe ſpecies evincat. Hic primum a calore et frigore petit exemplum. *Θερμοτέρου καὶ ψυχροτέρου πέρι πρῶτον ὅρα πέρας εἴποτέ τι νοήσαις ἄν, ἢ τὸ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον ἐν αὐτοῖς οὐκοῦν τοῖς γένεσιν ἕως περ ἂν ἐνοικεῖτον, τέλος οὐκ ἂν ἐπιτρεψαίτην γίγνεσθαι. γενομένης γὰρ τελευτῆς, καὶ αὐτὼ τετελευτήκατον.* Hic Ficinum aliosque Platonis interpretes latuit vera comparativorum, quibus hic philoſophus utitur (*θερμότερον, ψυχρότερον, μᾶλλον ἧττον* etc.) poteſtas. Itaque nemo ex Ficini verſione vel coniectando aſſequatur, quid Plato ſignificare voluerit. Ita enim ille: *Primum autem circa calidius frigidiusque conſidera, utrum terminum aliquem in eis invenias; an potius magis ac minus, dum iis generibus inſunt, finem reiiciant. Fine numque adhibito, ipſa etiam finirentur.* Nimirum *θερμότερον* h. l. non ſignificat *maiorem caloris gradum, ſed calorem infinite creſcen-*

tem, ψυχρότερον haud eſt *frigidius*, quaſi cum alio minus frigido comparatum, ſed potius *infinitas frigoris*, τὸ μᾶλλον et τὸ ἧττον non ſunt *plus minusve*, ſed potius *id quod in infinitum augetur et minuitur.* Iam igitur Socrates hoc ſignificat: in infinitate caloris et frigoris finem cogitari nullum poſſe, et quousque in rerum generibus perpetuitas inſit augmenti vel imminutionis, fieri non poſſe, ut iis finis quidam f. terminus tribuatur. Quod perfecto ut veriſſimum, ſic intellectu facillimum eſt. Ita cum arithmetici pronuntiant $\sqrt{3}$ eſſe numerum irrationalem, nihil aliud ſignificant, quam radicem huius numeri, ex unitate et infinita ſerie fractionum conſtare, cui nullus unquam finitus numerus examuſſim reſpondeat. Inde omnis, qui ſequitur, locus facilem habet interpretationem. In quo notanda eſt pravitas interpunctionis circa verba ὃ γὰρ ἐλέχθη νῦν δὴ etc. Non enim comma, ut ſit, poſt ἐλέχθη ſed poſt νῦν δὴ ponendum eſt: *Quod enim*, inquit, *paullo ante dictum eſt ſi infinita intenſionis vel relaxationis perpetuitate, haud tolleretur certus quantitatis gradus* (τὸ πόσον) *aut ſi illa definitam quantitatem in ſedem ſuam reciperet, ipſa ſede ſua excedere cogeretur.*

Eod. cap. Socrates docet, omnia quae perpetuo augeantur, minuantur, intendantur, relaxentur, ad *genus infiniti* referenda eſſe; idque fieri convenienter iis quae ſupra dixerit, κατὰ τὸν ἔμπροσθεν λόγον, ὃν ἔφαμεν, ὅσα διέσπασται καὶ διέσχισται συναγαγόντας χρῆναι κατὰ δύναμιν μίαν ἐπισημαίνεσθαί τινα φύσιν, εἰ μέμνησαι. *Secundum id quod ſupra diximus, quantum fieri poſſit colligendas eſſe disperſas ac diſſipatas rerum ſpecies et unius cuiusdam naturae communi nota inſigniendas, ſi meminiſti.* H. l. nihil opus eſt corrigere φύσιν, ἦ μέμνησαι; quod Fiſchero placebat. Etſi enim Ficinus quoque vertit, *Meminiſtine?* tamen hic aptius et rotundius eſt εἰ μέμνησαι.

Cap. XIII. Socrates in eo verſatur, ut ex infiniti finisque coniunctione rerum naturas ortas eſſe declaret. Sic ex horum iuſta communione (*ὀρθῇ κοινωνίᾳ*) primum ſanitatem corporum, deinde artem muſicam, tum annorum tempeſtates, tum reliquam corporum praeſtantiam v. c. pulchritudinem ac robur, denique varias animorum virtutes exſiſtere. Iam addit iſta: *ὕβριν γάρ που καὶ ξύμπασαν πάντων πονηρίαν αὕτη κατιδοῦσα ἡ θεὸς, ὦ καλὲ Φίληβε, πέρας οὐδὲν οὔτε ἩΔΟΝΩ͂Ν οὔτε πλησμονῶν ἐνὸν ἐν αὐτοῖς, νόμον καὶ τάξιν πέρας ἔχοντ' ἔθετο, καὶ σὺ μὲν ἀποκναῖν ἔφης αὐτὴν, ἐγὼ δὲ τοὐναντίον ἀποσῶσαι λέγω.* Hic primum inter verba *ὕβριν γάρ* etc. et ea quae antecedunt intercidiſſe quaedam librariorum culpa videntur. Nam verba *αὕτη κατιδοῦσα ἡ θεὸς* non poſſunt ad illam *τοῦ ἀπείρου* et *πέρατος κοινωνίαν* referri, hanc enim deam appellare ridiculum fuiſſet. Praeterea ſatis e conſequentibus intelligitur hanc *deam* h. l. nullam aliam eſſe, quam *voluptatem*, cuius partes Philebus defendendas ſusceperat. Hanc iam cap. 2. Philebus teſtem invocarat: *μαρτύρομαι νῦν αὐτὴν τὴν θεόν.* Et cap. 3. Socrates dixerat: *Πειρατέον ἀπ' αὐτῆς θεοῦ ἣν ὅδε Ἀφροδίτην μὲν λέγεσθαι φησὶ τὸ δ' ἀληθέστατον αὐτῆς ὄνομα ἡδονὴν εἶναι.* Itaque poſt verba: *καὶ ἐν ψυχαῖς αὖ πάμπολλα ἕτερα καὶ πάγκαλα* ſuſpicamur aliquot periodos excidiſſe, quibus Socrates ea, quae dixerat, ad voluptatem ſcil. moderatam et legitimam, quam in Sympoſio *Ἀφροδίτης οὐρανίας* nomine inſignire conſtat, transferebat. Iam vero ſequebantur iſta: *ὕβριν γάρ που* etc. Sed in hisce verbis pro *οὔτε ἡδονῶν οὔτε πλησμονῶν* legendum eſt: *οὔτε κενώσεων, οὔτε πλησμονῶν.* Nam nec ulla eſt oppoſitio inter *ἡδονὴν* et *πλησμονὴν*, et ſaepius apud Platonem opponuntur *κενώσεις* et *πλησμοναί*. Ita v. c. in Sympoſio c. 12 dicuntur *τὰ τοῦ σώματος ἐρωτικὰ πρὸς πλησμονὴν καὶ κένωσιν.* cf. etiam Phileb. cap. 20. Forſan autem quaerat quispiam, quorſum pertineant iſta verba *καὶ σὺ μὲν ἀπυκναῖν ἔφης αὐτὴν,*

ἐγὼ δὲ τοὐναντίον ἀποσῶσαι λέγω, cum in dialogo nostro nihil tale a Philebo dictum inveniatur. Sed Socrates respicere potest ad ea, quae Philebus antea dixerat, quam scripta dialogi pars inciperet, h. e. antequam Partes suas Protarcho demandasset. Nam quae cap. 11. a Protarcho dicuntur, *ἀλλὰ μὴν, ὦ Σώκρατες, ἐμοίγε δοκεῖ νῦν μὲν ἡδονὴ σοὶ πεπτωκέναι καθαπερεὶ πληγεῖσα ὑπὸ τῶν νῦν λόγων* haud satis commode ad sententiam huc trahi posse videatur; neque vero a Philebo, sed a Protarcho dicuntur. Perperam vero istam *ῥῆσιν*: *καὶ σὺ μὲν ἀποκνᾶν — ἀποσῶσαι λέγω* his verbis expressit Ficinus: *eamque tu sic infici ac perdi, ego contra servari dico.* Vertere debebat: *Et tu quidem me deae tuae, voluptati, detrahere dicebas; ego contra me eam servasse dico.*

Eodem cap. paucis interiectis, quibus Socrates repetit tria ista de quibus hactenus dixerat, *τὸ ἄπειρον* scilicet, *τὸ πέρας*, et *τὸ ἐξ ἀμφοῖν μεμιγμένον*, aut potius Protarchum interrogat, an illa meminerit, hoc igitur negante se tertium genus recte meminisse, Socrates ita respondet: *Τὸ γὰρ πλῆθός σε, ὦ θαυμάσιε, ἐξέπληξε τῆς τοῦ τρίτου γενέσεως.* Hic fortasse *τῆς γενέσεως* e glossemate in textum irrepsit. Nempe *tertium illud* quod ex *ἀπείρου καὶ πέρατος* coniunctione, oritur, idem est, quod Plato nonnunquam *γένεσιν* dicit.

In sequentibus *καὶ μὴν τόγε πέρας οὔτε πολλὰ εἶχεν, οὔτ' ἐδυσκολαίνομεν, ὡς οὐκ ἦν ἓν φύσει*, difficile dictu est, quomodo Socrates affirmare potuerit *τὸ πέρας οὔτε πολλὰ εἶχεν*. Atqui supra cap. 12. extremo plures enumerabantur species, quae sub notione *τοῦ πέρατος* continentur. Itaque coniicimus ante *πολλὰ* particulam *ὡς* excidisse. Qua quidem restituta nihil superest incommodi. *καὶ μὴν τόγε πέρας οὔτε ὡς πολλὰ εἶχεν, οὔτ' ἐδυσκολαίνομεν ὡς οὐκ ἦν ἓν φύσει. Atqui nos de fine neque quod multas sibi subiectas haberet species, concedere gravabamur, neque quod unum*

eſſet natura. Et haec prorſus conſentanea ſunt antecedentibus: *καίτοι πολλά γε καὶ τὸ ἄπειρον παρέσχετο γένη· ὅμως δ' ἐπισφραγισθέντα τῷ τοῦ μᾶλλον καὶ ἐναντίου γένει, ἓν ἐφάνη.*

Cap. XIV. extremo, cum Socrates rediiſſet ad duplex illud vitae genus, alterum voluptatis, alterum rationis et ſcientiae plenum, *τὸν τῆς ἡδονῆς, καὶ τὸν τῆς φρονήσεως βίον,* dixiſſetque neutram harum optimam, ſed potius utrique praeferendam eſſe eam, in qua et voluptas et ratio inſit, *τὸν μικτὸν βίον ἡδονῆς τε καὶ φρονήσεως*, quaeſiviſſetque annon facile ſit intelligere, quodnam ad genus referenda ſit mixta haec e voluptate et ratione vita, idque a Protarcho conceſſum eſſet, tum igitur hoc modo pergit Socrates: *καὶ μέρος γ' αὐτὸν φήσομεν εἶναι τοῦ τρίτου, οἶμαι, γένους. Οὐ γὰρ ὁ δυοῖν τινοῖν ἐστὶ μικτὸς ἐκεῖνος, ἀλλ' ὁ ξυμπάντων ἀπείρων ὑπὸ τοῦ πέρατος δεδεμένων. ὥστε ὀρθῶς ὁ νικηφόρος οὗτος βίος, μέρος ἐκείνου γίγνοιτ' ἄν.* In his vero verbis latent quaedam librariorum corruptelae, quae verum dictorum ſenſum prorſus pervertunt. Nempe legendum eſt: *οὐ γὰρ δυοῖν τινοῖν ἐστὶ μικτὸν ἐκεῖνο, ἀλλὰ ξυμπάντων ἀπείρων ὑπὸ τοῦ πέρατος δεδεμένων.* Socrates enim rationem reddit cur *ὁ μικτὸς βίος* qui ſcilicet erat e voluptate et ſapientia mixtus ad tertium genus, referendus ſit. Scilicet quia *τὸ τρίτον γένος* univerſe ex omnibus *ἀπείροις* quae *τὸ πέρας* inter ſe coniuncta et quaſi colligata ſunt, conſiat neceſſe eſt ut ſub univerſo hoc genere illa quoque ſpecies *τοῦ μικτοῦ βίου* contineatur. Vulgaris lectio non modo totam Platonis concluſionem ineptam et praepoſteram facit, verum etiam philoſophum aperte ſibi repugnantem inducit. Nam ille *νικηφόρος βίος* non niſi ex duabus partibus, *τῇ ἡδονῇ* ſcilicet, ac *τῇ φρονήσει* erat compoſitus; qui igitur fieri poſſit, ut h. l. Plato dicat: *οὐ γὰρ ὁ δυοῖν τινοῖν ἐστὶ μικτὸς ἐκεῖνος* —

Cap. XV. quaerit a Philebo Socrates quodnam ad genus referenda ſit vita voluptatis plena (*βίος ἡδὺς καὶ ἄμικτος ὤν*). Facile conſentit Philebus eam non poſſe ad *τὸ πέρας* referri, ſed potius in genere *τοῦ ἀπείρου* cenſendam eſſe. Socrates igitur aſſumens iſta *Ὥςτ' ἄλλο τι*, inquit, *νῶϊν σκεπτέον, ἢ τὴν τοῦ ἀπείρου φύσιν, ὡς παρέχεταί τι μέρος ταῖς ἡδοναῖς ἀγαθοῦ. τούτων δή σοι τῶν ἀπεράντων γεγονὸς ἔστω.* Enimvero cur Socrates, qui in eo ipſo erat, ut demonſtraret vitam voluptatis ex genere *τοῦ ἀπείρου* eſſe, cur igitur idem inferret, aliam quam infiniti naturam quaerendam eſſe, e qua pars quaedam boni in voluptates derivari poſſit. Itaque nihil clarius eſt, quam inſerta negandi particula ſic legendum eſſe: *ὥςτ' ΟΥΚ ἄλλο τι νῶϊν σκεπτέον* etc. Pro *ὡς παρέχεται* legendum *ὃ παρέχεται*, quod etiam Ficinus legiſſe videtur, qui vertit: *quod voluptatibus partem aliquam boni praebeat.* Denique pro *τούτων δή σοι τῶν ἀπεράντων γεγονὸς ἔστω*, quae verba ſane non habent unde pendeant, ita fere legendum eſt: *Καὶ τούτων δή σοι τῶν ἀπεράντων γένους ὁ σὸς βίος ἔστω.* Hoc enim et ſententia poſtulat, et a Ficino lectum eſſe videtur, qui ſic interpretatur: *Enimvero ex illis in determinatis vita illa tua ſit.*

In disputatione de voluptatibus ac doloribus mixtis Plato Phileb. c. 28. Socratem inducit ita pronuntiantem, dupliciter voluptatem ac dolorem in animo miſceri poſſe, nimirum vel ita ut ſingulorum, h. e. voluptatis ac doloris partes inter ſe aequales ſint, vel ut alterum horum ab altero, magnitudine ſuperetur, atque adeo in quodam ſenſu plus inſit voluptatis quam doloris, aut contra plus doloris quam voluptatis. Horum igitur exemplum aliquod allaturus ita pergit philoſophus: *λέγε δὴ, τὰς μὲν, ὅταν πλείους λυπαὶ τῶν ἡδονῶν γίγνωνται, τὰς τῆς ψώρας λεγόμενας, νῦν δὴ ταύτας εἶναι καὶ τὰς τῶν γαργαλισμῶν. ὁπόταν ἔντος τὸ ζέον ᾖ, καὶ τὸ φλεγμαῖνον, τῇ τρίψει δὲ καὶ τῇ κινήσει μὴ ἐφίκνηταί τις, ΤΟ δ' ἐπιπολῆς μόνον*

διαχέῃ· τότε φέροντες εἰς πῦρ ἌΤΤΑ, καὶ εἰς τοὐναντίον ἀπορίαις μεταβάλλοντες ἐνίοτε ἀμηχάνους ἡδονάς· τότε δὲ τοὐναντίον τοῖς ἔντος πρὸς τὰς τῶν ἔξω λύπας ἩΔΟΝΑΙΣ συγκερασθείσας, εἰς ὁπότερ᾽ ἂν ῥέψῃ, παρέσχοντο, τῷ τὰ συγκεκριμένα βίᾳ διαχεῖν, ἢ τὰ διακεκριμένα συγχεῖν καὶ ὁμοῦ λύπας ἡδοναῖς παρατίθεναι. In hac fermonis parte poſt verba *τότε φέροντες εἰς πῦρ* pronomen *ἌΤΤΑ* non habet unde pendeat, aut quo referatur. Legendum igitur eſt paullo ante *τὰ δ᾽ ἐπιπολῆς*, pro *τὸ δ᾽ ἐπιπολῆς*. Agitur nimirum de pruritu ſcabioſorum, qui dum intus ardorem quendam et inflammationem ſentiunt, partes in ſuperficie corporis poſitas, h. e. cutem tantisper fricare et ſcabere ſolent, donec illa quoque inflammetur. Has igitur partes dicuntur *εἰς πῦρ φέρειν, καὶ εἰς τοὐναντίον μεταβάλλειν*; cum enim antea in ſuperficie corporis eundem qui eos intus affligebat, ardorem haud ſenſiſſent faciunt ſcilicet fricando, ut has quoque partes accendant, idque *ἀπορίαις*, h. e. inopia alius remedii, quamvis eos haud fugiat, quo vehementius fricuerint eo acriori cutem prurigine verminaturam. Poſtea in verbis *ἡδοναῖς συγκερασθείσας* corrigendum eſt *ἩΔΟΝΑΣ*; aliter nec ſenſus nec verborum ſeries ac iunctura conſtat. Nempe *ἐνίοτε* et *τότε δὲ* inter ſe opponuntur; et verbum *παρέσχοντο* pariter ad *ἀμηχάνους ἡδονὰς* atque *ἡδονὰς συγκερασθείσας* refertur. Nimirum ut ſcabioſi magnam capiunt ex titillatione voluptatem, ingrato ſcilicet eius, qui in internis partibus ſaevit, ardoris ſenſui oppoſitam; ita ſi quis in externis partibus dolor inſideat, eum ſic ſaepe mollire ſtudent homines, ut internis partibus (*τοῖς ἔντος*) voluptatem quandam adhibeant.

Cap. XXIX. docuerat Socrates in vitiis, ut in invidia, haud nihil intereſſe, utrum qui iis laborent, potentes an impotentes ſint: *καὶ ὅσοι μὲν αὐτῶν εἰσὶ μετ᾽ ἀσθενείας τοιοῦτοι καὶ ἀδυνατοὶ καταγελώμενοι τιμωρεῖσθαι, γελοίους*

τούτους φάσκων εἶναι, τἀληθῆ φθέγξῃ· τοὺς δὲ δυνατοὺς τιμωρεῖσθαι φοβεροὺς καὶ ΙΣΧΥΡΟΥΣ καὶ ἐχθροὺς προσαγορεύων, ὀρθότατον τοῦτο σαυτῷ λόγον ἀποδώσεις. Ἄγνοια γὰρ ἡ μὲν τῶν ἰσχυρῶν ἐχθρά τε καὶ αἰσχρά· βλαβερὰ γὰρ καὶ τοῖς πέλας αὐτή τε καὶ ὅσαι εἰκόνες ταύτης εἰσίν· ἡ δ' ἀσθενὴς ἡμῖν τὴν τῶν γελοίων εἴληχε φύσιν. Hoc loco pro *ΙΣΧΥΡΟΥΣ* legendum esse *ΑΙΣΧΡΟΥΣ* facile ex contextu verborum, ipsoque sententiae argumento intelligitur. Impotentium nempe hominum vitia, qui si forte rideantur, ulcisci derisores non possunt, ridicula merito appellantur, at potentes homines qui ulcisci dicacitatem possunt, (h. e. *δυνατοὺς τιμωρεῖσθαι*) *terribiles* potius *turpes*, et inimicos, quam ridiculos esse censendum. Quemadmodum igitur stultitia et ignorantia potentum paullo post *ἐχθρα, καὶ αἴσχρα, καὶ βλαβερὰ* dicitur, sic eo quod antecedit commate eadem illa tria praedicata coniungenda sunt cum subiecto *τῶν δυνατῶν*. Itaque, ut diximus, legendum est: *τοὺς δὲ δυνατοὺς τιμωρεῖσθαι φοβεροὺς καὶ ΑΙΣΧΡΟΥΣ καὶ ἐχθροὺς προσαγορεύων* etc.

Cap. XXXI. Finita de mixtis voluptatibus disputatione Socrates ad puras velim permixtas procedit, earumque exempla primum e sensibus visu, auditu, olfactu petit. *Τὸ δὲ περὶ τὰς ὀσμὰς ἧττον μὲν θεῖον γένος ἡδονῶν, τὸ δὲ μὴ συμμεμῖχθαι ἐν αὐτοῖς ἀναγκαίας λυπάς, καὶ ὅπῃ τοῦτο καὶ ἐν ὅτῳ τυγχάνει γεγονὸς ἡμῶν, τοῦτ' ΕΚΕΙΝΗΣ τίθημι ἀντίστροφον ἅπαν. Ἀλλ' εἰ κατανοεῖς, ταῦτα εἴδη δύο ΛΕΓΟΜΕΝΩΝ ἡδονῶν.* Ferri potest et explicari *ἐκείνης* et *λεγομένων*. Attamen concinnius est *ΕΚΕΙΝΑΙΣ* ut referatur ad *μιχθείσας ἡδονάς*, c. 31. et *ἘΛΕΓΟΜΕΝ*; quod quidem et Ficinus in codice suo legisse videtur qui vertit *collegimus*. Rectius vertendum erat: *Enimvero, si meministi, haec duo genera diximus* s. *enarravimus voluptatum.*

Eod. cap. *Τί δέ; μαθημάτων ΠΛΗΡΩΘΕΙΣΩΝ, ἐὰν ὕστερον ἀποβολαὶ διὰ τῆς λήθης γίγνωνται, καθορᾷς τινὰς ἐν αὐταῖς ἀλγηδόνας;* H. l. πληρωθεισῶν caret nomine vel fubiecto, quocum copulari poffit. Legendum fine dubio *ΠΛΗΡΩΘΕΙΣΙΝ: Quid? iis qui animum fcientia impleverunt, fi deinde eius fcientiae propter oblivionem deminutio acciderit, hanc deminutionem cum quodam doloris fenfu fieri vides?*

Cap. XXXII. *Οὐκοῦν ὅτε μετρίως ἤδη διακεκρίμεθα χωρὶς τάς τε καθαρὰς ἡδονὰς, καὶ τὰς σχέδον ἀκαθάρτους ὀρθῶς ἂν λεχθείσας προσθῶμεν τῷ λόγῳ, ταῖς μὲν σφόδραις ἡδοναῖς ἀμετρίαν, ταῖς δὲ μὴ τοὐναντίον ἐμμετρίαν· καὶ τὸ μέγα καὶ τὸ σφόδρον αὖ καὶ πολλάκις καὶ ὀλιγάκις γιγνόμενας τοιαύτας τῆς τοῦ ἀπείρου τέ γ᾽ ἐκείνου καὶ ἧττον καὶ μᾶλλον διά τε σώματος καὶ ψυχῆς φερομένου προσθῶμεν αὐταῖς εἶναι γένους τὰς δὲ μὴ, τῶν ἐμμετρίων.* Ficinus ita vertit: *Poftquam igitur voluptates puras ab his quae recte propemodum fic dicuntur, impuris fecrevimus, addenda eft iam vehementibus voluptatibus immoderatio, remiffioribus moderatio. Easque etiam, quae intenfius, remiffius, magnum, parvum, raro, crebro fuscipiunt, ad infiniti genus, quod per animam corpusque fecundum magis minusve discurrit referre decet, quae vero ifta non capiunt ad commenfurati genus potius referendae.* Legiffe igitur videtur: *καὶ τὰς τὸ σφόδρον αὖ καὶ ἠρέμα, καὶ τὸ μέγα καὶ μικρὸν, καὶ τὸ πολλάκις καὶ ὀλιγάκις δεχόμενας τοιαύτας τοῦ ἀπείρου* etc. Quod multo ad fenfum plenius et aptius effe, nemo qui verborum perpetuitatem cognoverit, inficias ibit. Certe inter *τοιαύτας* et *τοῦ ἀπείρου* delendum eft *ΤΗΣ*, id quod iam Stephanus monuit.

Eod. cap. paucis verbis interiectis: *Τί ποτε χρὴ φᾶναι πρὸς ἀλήθειαν εἶναι τὸ καθαρόν τε καὶ εἰλικρινὲς, ἢ τὸ σφόδρα τε καὶ τὸ πολὺ καὶ τὸ μέγα ΚΑΙ ΤΟ ἹΚΑΝΟΝ.* Hoc loco fenfus molefte turbatus eft a librario quo-

quodam, qui male ex antecedentibus repetierat *KAI TO* ante *ἹKANON.* Hoc deleto *ἱκανὸν* referendum eſt ad *πρὸς ἀλήθειαν εἶναι*; atque ſic interpretandum: *Utrum igitur dicamus ad veritatem, purumne illud ac ſincerum, an potius id quod vehemens, et multum, et magnum eſt ſufficere* ſ. *quam proxime accedere?*

Eod. cap. *Σμικρὸν ἄρα καθαρὸν λευκὸν, μεμιγμένου πολλοῦ λευκοῦ λευκότερον ἅμα καὶ κάλλιον καὶ ἀληθέστερον ἐὰν φῶμεν γένεσθαι παντάπασιν ἐροῦμεν ὀρθῶς.* Ficinus vertit: *Si ergo quod parvum purumque album eſt, admixto multo albo, albius ſimul et pulchrius et verius eſſe dicamus, recte penitus aſſeremus?* quaſi Plato dixerit, album colorem ſi multum albi coloris admiſceretur, candidiorem, et pulchriorem futurum. Enimvero *μεμιγμένον* non eſt *admixtum*, ſed *mixtum*, *impurum;* et *μεμιγμένου πολλοῦ λευκοῦ* non ſunt, ut Ficinus accepit, genitivi conſequentiae, ſed potius reguntur a comparativo *λευκότερον.* Significat igitur Socrates exiguam quandam coloris albi particulam modo puri ac ſinceri, candidiorem puriorem et veriorem eſſe, quam multitudinem quidem ſed permixtae albedinis.

Cap. XXXIV. *Τεκτονικὴν δέ γε, οἶμαι, πλειστοῖς μέτροις τε καὶ ὀργάνοις χρωμένην, ΤΑ πολλὴν ἀκρίβειαν αὐτῇ πορίζοντα τεχνικώτερα τῶν πολλῶν ἐπιστημῶν παρέχεται.* Pro *ΤΑ* reſcribendum eſt *ΤΑΥΤΑ.* Nempe ipſa illa inſtrumenta ut amuſſis, regula, circinus, perpendiculum efficiunt, ut multa inſit in architectura ſubtilitas eaque ad veram artis formam omnibus aliis diſciplinis propius accedat.

Cap. XXXV. *Τί οὖν; ἆρ᾽ οὐκ ἐν μὲν τοῖς ἔμπροσθεν ἐπ᾽ ἄλλης ἄλλην τέχνην οὖσαν ἈΝΕΥΡΙΣΚΕΙ σαφεστέραν οὖσαν καὶ ἀσαφεστέραν ἄλλην ἄλλης.* Verborum ſententia neceſſario requirit imperfectum *ἈΝΕΥΡΙΣΚΕ.* Sic igitur ſcribendum. Nec Ficinus aliter in codice quem

fecutus eft, legiffe videtur; hoc modo interpretatus: *Quid autem? Nonne in fuperioribus aliam artem in alia effe repertum eft, clarioremque aliam et obfcuriorem aliam?*

Cap. XXXVIII. *Ἆρ' οὖν οὗτος ἱκανῶς ἐπιστήμης ἕξει, κύκλου μὲν καὶ σφαίρας αὐτῆς τῆς θείας τὸν λόγον ἔχων, τὴν δὲ ἀνθρωπίνην ταύτην σφαῖραν καὶ τοὺς κύκλους τούτους ἀγνοῶν, καὶ χρώμενος ἐν οἰκοδομίᾳ καὶ τοῖς ἄλλοις ὁμοίως [κανόσι καὶ τοῖς κύκλοις].* In his valde veremur ne ultima verba uncinis inclufa a grammatico quodam adiecta fint. Nam primum de *κανόσι* antea dictum erat nihil; *σφαίρας καὶ κύκλου* tantum iniecta erat mentio. Deinde fenfum pervertit illud additamentum. Quaerit enim Socrates, an quis vulgarium circulorum et fphaerarum ignarus, *in architectura ceterisque eiusmodi negotiis* recte verfari poffit, etiamfi nihil nifi fublimem illam et reconditam, quae a geometris exponitur, circuli et fphaerae doctrinam teneat.

Eod. cap. *Πῶς φῄς; ἦ τοῦ ψεύδους κανόνος ἅμα καὶ τοῦ κύκλου τὴν οὐ βέβαιον οὐδὲ καθαρὰν τέχνην ἐμβλητέον ΚΟΙΝΗΙ καὶ συγκρατέον;* Pro *κοινῇ* legendum effe videtur *ΕΚΕΙΝΗι*, fcilicet illi, de qua antea dixerat *κύκλου καὶ σφαίρας τῆς θείας τέχνῃ.* Quaerit enim Socrates annon Philebus putet vulgares etiam geometriae practicae notiones, et inftrumenta illa quibus utuntur agrimenfores, architecti etc., quamvis in his fumma illa geometriae purae, quae *θεία* dicitur, fubtilitas et *ἀκρίβεια* ineffe non poffit, tamen cum ea coniungenda eique annectenda effe.

Hactenus ea quae in Platonis Philebo ad veritatem contextus reftituendam obfervavimus. Superfunt multa, in quibus verus philofophi fenfus tenebris offunditur, quaeque novam interpretationis lucem defiderant. Verum id nunc non agimus.

Appendicis tamen loco, quoniam in Sympofio Platonis initium fecimus harum lectionum, breviter de feftiva illa Socratici fermonis parte, qua more fuo Alcibiadem, fuaviter ludit, disputabimus. Sympof. c. XXXIV. Sunt autem verba, quae fequuntur:

Ὦ φίλε Ἀλκιβιάδη, κινδυνεύεις τῷ ὄντι οὐ φαῦλος εἶναι, εἴπερ ἀληθῆ τυγχάνει ὄντα, ἃ λέγεις περὶ ἐμοῦ καί τις ἔστ᾽ ἐν ἐμοὶ δύναμις, δι᾽ ἧς ἂν σὺ γένοιο ἀμείνων, ἀμήχανόν τι κάλλος ΟΡΩΙΗΣ ἈΝ ἐν ἐμοὶ καὶ τῆς παρά σοι εὐμορφίας πολὺ διαφέρον, εἰ δὴ καθορῶν αὐτὸ κοινώσασθαί τέ μοι ἐπιχείρεις, καὶ ἀλλάξασθαι κάλλος ἀντὶ κάλλους, οὐκ ὀλίγῳ μου πλεονεκτεῖν διανοῇ ἀλλ᾽ ἀντὶ δόξης ἀλήθειαν καλῶν κτήσασθαι ἐπιχείρεις, καὶ τῷ ὄντι χρυσέα χαλκείων διαμείβεσθαι νοεῖς. Facile locum attentius confideranti patet, fententiarum ordinem et confecutionem hic laborare. Hoc primum oritur ex optativo *ὁρῴης ἂν*, qui fi fcriptus a Platone effet, hunc fenfum lectoribus offerret; *Si qua eft in me vis, per quam tu melior poffis fieri et infinitam in me pulchritudinem confpicias* etc. Quomodo autem dici poteft, per vim ac virtutem, quae Socratis animo infit Alcibiadem meliorem fieri, et miram in Socrate pulchritudinem confpicere? Imo iam ante quam factus effet melior, illam animi Socratis pulchritudinem confpiciebat. Deinde inter illam *ῥῆσιν: Εἰ δὴ καθορῶν — ἀντὶ κάλλους,* et fequentem *οὐκ ὀλίγῳ μου* eft hiatus quidam, quo inducti funt nonnulli, ut in his verbis *οὐκ ὀλίγῳ μου* etc. apodofin verborum *εἰ δὴ καθορῶν* etc. quaererent, quod fieri per antecedentia non poteft. Ex his igitur tricis commode nos expediemus, fi primum pro *ὁρῴης ἂν*, legamus indicativum *ὁρᾷς*; deinde ante *ἀμήχανον*, particulam *καὶ* inferamus, quae faepe apud Platonem librariorum culpa excidit, denique inter *ὀλίγῳ* et *μου* interiiciamus *ΔΕ.* Quo facto et ftructuram fententiarum habebimus facilem et fenfum verborum planiffimum. Socrates enim, *o Alcibiades,*

inquit, *haud male mihi ſapere videris, ſiquidem vera ſunt, quae de me pronuntias, et ſi eſt in me virtus quaedam, per quam ipſe melior effici poſſis, tuque infinitam quandam pulchritudinem in me animadvertis, et formoſitate tua multum ſuperiorem, ſi igitur cum iſta perſpexeris, mecum communicare cupis, et pulchritudinem tuam cum mea commutare, atque adeo haud exiguum ex me lucrum capere poſtulas, ſed potius pro mera ſpecie veritatem bonorum acquirere cupis, ac revera aurum pro aere recipere cogitas.*

XV.

Obſervationes in Theocrit. Idyll. XV.

In Theocriti Adoniazuſis mulieres duae plebeiae altera Gorgo Dioclis, altera Praxinoë, Dinonis uxor, confabulantur, quarum mariti Syracuſis Alexandriam negotiorum cauſa conceſſerant, ibique domicilium ceperant. Qui cum initio vicini eſſent inter ſe, ita ut ſaepius mulierculae convenire et colloqui poſſent, poſtea Dinon ſeu habitationis ſeu viciniae pertaeſus, in extremum aliquem Alexandriae vicum a Dioclis domo longe remotum migravit, ibique in poſterum habitare decrevit. Cum igitur Alexandriae feſtum Adonidis celebraretur, Gorgo, propter Dinonis ſeceſſum crebro ad amicam commeatu intercluſa, poſt longum tempus ad Praxinoën venit, ad Adonia ſecum ſpectanda eam abductura. Quaerit igitur a ianua:

Ἔνδοῖ Πραξινόα;

Eſtne intus Praxinoë? Reſpondet ei, ſi vulgarem ſcripturam ſequimur Eunoë Praxinoës ancilla:

Γοργὼ φίλα, ὡς χρόνῳ; ἔνδοῖ.

Hem cariſſima Gorgo, quam ſero, quam longum poſt tempus ad nos venis, intus eſt.

Verum iam Valckenaerius docte obſervaverat, Eunoën in hoc Idyllio mutam perſonam, *κωφὸν πρόςωπον*, eſſe videri, idque reſponſum ipſi potius dominae, quam ancillae tribuendum eſſe. Quem cur ſecuti non ſint illi

qui poſtea Theocritum ediderunt, haud ſane apparet. Etenim ſaepius fieri ſolebat, ut quaerenti ab ianua, an herus domi eſſet, non ianitor, ſed ipſe dominus reſponderet. Notum eſt illud Naſicae, (Cic. de Orat. II. c. 68.) qui cum ad poetam Ennium veniſſet, eique ab oſtio quaerenti Ennium ancilla dixiſſet, domi non eſſe, Naſica ſenſit illam domini iuſſu dixiſſe, et illum intus eſſe. Paucis poſt diebus, cum ad Naſicam veniſſet Ennius, et eum a ianua quaereret, exclamat Naſica, ſe domi non eſſe. Tum Ennius: *Quid? ego non cognoſco vocem*, inquit, *tuam?* Hic Naſica: *Homo es impudens, ego cum te quaererem, ancillae tuae credidi, te domi non eſſe, tu mihi non credis ipſi?* Ut igitur ibi quaerenti Ennio Naſica ipſe reſpondebat, ſic h. l. Praxinoë Gorgus vocem agnoſcens non expectat, donec ancilla ab oſtio ſervans reſpondeat, ſed continuo ipſa: *Cariſſima Gorgo*, inquit, *hui quam longo poſt tempore tandem venis? Intus* ſcil. *eſt* Praxinoë. Nam poſt ἐνδοῖ non εἰμὶ, ſed ἐστὶ ſupplendum eſt. Tertia perſona, quamquam de ſe ipſa loquens utitur Praxinoë, ſicut Naſica exclamans ſe domi non eſſe, certe non ita reſpondit: *Non ſum domi!* ſed potius, *non eſt domi!* alias enim ioci venuſtas maximam certe partem periiſſet. Accedit quod niſi iſta

Γοργοῖ φίλα, ὡς χρόνῳ; ἐνδοῖ

Praxinoae tribuamus, ea, quae deinde ſequuntur, quae a Praxinoa dici nullum dubium eſt, abruptius faciant principium, quam ut in prima advenientis amicae ſalutatione probari poſſit. Contra ſi mutato perſonae nomine ſic ſermo proceſſerit

ΠΡΑΞΙΝΟΗ. Γοργοῖ φίλα, ὡς χρόνῳ; ἐνδοῖ,
Θαῦμ' ὅτι καὶ νῦν ἦλθες. etc.

magnam habet allocutio ſuavitatem. Quaerenti enim Gorgoi: *Eſtne Praxinoë intus?* reſpondet illa: *Hem cariſſima Gorgo, quam ſera nobis advenis! Intus eſt* quam quae-

ris; *Mirum ſane te nunc etiam veniſſe; mirum te non diutius etiam a nobis deſiderari voluiſſe.* Iamque Praxinoë orationem ad Eunoën convertit; ſellam amicae afferri iubet, cum pulvinari,

ὅρα δίφρον, Εὐνόα, αὐτᾷ
Ἔμβαλε καὶ ποτίκρανον.

Ancilla ſedula ſellam miniſtrat, pulvinar diligenter componit; quam his verbis alloquitur Gorgo:

Ἔχει κάλλιστα.

Scilicet ut ſatis eam egiſſe, nihilque amplius poſtulari ſignificet. Noſtri etiam homines famulorum ſ. famularum operas probaturi ſic dicere ſolent: *Es iſt ſchon gut ſo.* In antiquioribus quibusdam editionibus haec quoque verba Eunoae ancillae tribuebantur, quo nihil fieri poterat ineptius. — In iis quae ſequuntur:

ΠΡΑΞΙΝΟΗ. Καθίζευ.
ΓΟΡΓΩ. Ὢ τᾶς ἀδάματω ψυχᾶς, μόλις ὔμμιν ἐσώθην
Πραξινόα, πόλλω μὲν ὄχλω, πόλλων δὲ τεθρίππων·
Παντᾷ κρηπῖδες, παντᾷ χλαμυδηφόροι ἄνδρες
Ἁ δ' ὁδὸς ἄτρυτος, τὺ δ' ἑκάστερω ἄμμιν ἀποικεῖς.

ubi Gorgo facete admodum viae moleſtiam, amicamque nimis remotum a ſuis aedibus domicilium cepiſſe queritur, cur Valckenario et Brunckio non parendum ſit ἑκάστερω ἄμμιν reſcribentibus pro vulg. ἑκαστότερω ἐμ', idonea quidem cauſa vix afferetur. Nam de induſtria poetam ſoloeciſmum mulierculae tribuiſſe, non eſt veriſimile.

Reſpondet Praxinoë:

Ταῦθ' ὁ πάραρος τῆνος ἐπ' ἔσχατα γᾶς ἔλαβεν ἐνθὼν,
Ἴλεον, οὐκ οἴκησιν·

Hic ἐπ' ἔσχατα γᾶς ἐνθὼν omnes eo trahunt quod Syracuſis Alexandriam, in Aegyptum maritus commigraverit. Multo

autem venuſtius eſt, *ἐπ᾽ ἔσχατα γᾶς ἐνθὼν* de remotiſſima platea vel urbis vico, ubi nunc longe a Gorgûs aedibus cum muliere habitabat Dinon, intelligere. Sic enim et hodie in magnis urbibus, ſi quis ex media urbe ſeceſſerit, et haud procul a porta domicilium ceperit, per iocum dicere ſolent: *O der iſt ans Ende der Welt gezogen.* Quod enim addit, domicilium quod ceperit maritus, *ἰλεὸν οὐκ οἴκησιν*, latibulum potius quam domum eſſe, id eum haud procul a pomoerio, ubi deterius fere in magnis praeſertim urbibus habitare ſolent homines, domicilium cepiſſe confirmat. *Ὅπως μὴ γείτονες ὦμες*, ſic videtur capiendum, *ne* amplius *vicinae eſſemus.* Nimirum hoc velle videtur Praxinoë: *ſtultus ille maritus meus hic in extremo urbis angulo, quaeſivit ubi habitaret; miſerum ferarum latibulum potius quam domum dixeris; offendebatur ſcilicet homo vicinia noſtra, tuam mihi conſuetudinem, quotidiana tecum colloquia mihi invidebat; ideo longe ab aedibus, ubi tu cum marito habitas, huc ſeceſſit.* Non primum enim, ex quo Alexandriae vivebant, Gorgo Praxinoen inviſebat; ſed inde ab eo tempore, quo domicilium mutaverat, nunc primum ad eum venire Gorgonem poëta fingit. In ſequentibus *ποτ᾽ ἔριν, φθονερὸν κακὸν, αἰὲν ἐμεῖο*, alteram lectionem quod Valckenaerius fecit, praeferre editores debebant: *αἰὲν ὅμοιος.* q. d. Germanice: *Ja da iſt nun der Querkopf (mein Mann) hier her ans Ende der Welt, in dies elende Loch, (denn ein Quartier kann ichs nicht nennen) gezogen; das that er blos um mich aus deiner Nachbarſchaft wegzubringen, der widerwärtige neidiſche Kerl: er bleibt ſich immer gleich.* His igitur a Praxinoë pronuntiatis, Gorgo amicam, ne filiolo praeſente, marito maledicat, monet:

Μὴ λέγε τὸν τεὸν ἄνδρα, φίλα, Δίνωνα τοιαῦτα
Τῶ μικκῶ παρεόντος· ὅρη, γύναι, ὡς ποθορῇ τύ.

in quibus parum commode mariti nomen *Δίνωνα* inculcat Gorgo. Num enim verendum erat, ne non, quid ſibi

vellet, intelligeret Praxinoë, ſi tantum τὸν τεὸν ἄνδρα dixiſſet? Annon potius inſipidum erat, hoc loco diſerte patris nomen pronuntiare, ubi ipſa, ne puerulus probris a matre in patrem coniectis offenderetur, cavere vellet? Itaque aut ab ipſo poëta hic peccatum eſſe, aut in *Δίνωνα* vitium librarii latere ſtatuendum. Fortaſſe ſubſtantivum aut adiectivum aliquod h. l. ſcripſerat Theocritus, quod *convitia*, aut *probra* notaret. Certe ſi Germanice auctor ſcripſiſſet: *Sage nicht, meine Liebe, ſolche Anzüglichkeiten gegen deinen Mann, da der Kleine hier dabei iſt; ſieh nur wie er dich anſieht, was er für groſse Augen macht;* multo melius et venuſtius dicta eſſent, quam ſic: *Sage nicht meine Liebe gegen deinen Mann, den Dinon, dergleichen* etc. Sic et matris dictum ſtatim ad parvulum filium converſum rectius procederet:

Θάρσει Ζωπυρίων, γλυκερὸν τέκος, οὐ λέγω ἀπφῦν.

Et ſi vel maxime iſtam admonitionem in aurem Praxinoae, ne puer audire poſſet, inſuſurraſſe Gorgonem dicamus, tamen neſcio quo modo miſere languet et friget mariti nomen, quo facile carere poteramus, h. l. intruſum. Cum deinde Gorgo haec infert:

Αἰσθάνεται τὸ βρέφος ναὶ τὰν πότναν· καλὸς ἀπφῦς.

recte Valckenaerius iuramentum per Cererem *ναὶ τὰν πότναν*, quod alii cum ſequentibus *καλὸς ἀπφῦς* coniunxerunt, ad priora retraxit, coli ſigno poſt *πότναν* poſito: Si Germanice locuta fuiſſet Gorgo, dixiſſet:

(zur Praxinoë) *So wahr ich lebe der Junge merkts!* —
(zum kleinen Zopyrion) *Es iſt ein guter Papa!*

Primum enim mirabunda iurat puerum iam ita ſagacem eſſe, ut matrem ſentiat in patrem invehi; deinde puerum conſolatura, dicis cauſa addit: *Καλὸς ἀπφῦς.*

Iam pergit Praxinoë.

Ἀπφῦς μὰν τῆνος πρώαν (λέγομες δὲ πρώαν θὴν
Πάντα) νίτρον καὶ φῦκος ἀπὸ σκανᾶς ἀγοράσδων
Ἦνθε φέρων ἅλας ἄμμιν, ἀνὴρ τρισκαιδεκάπηχυς.

Quid fibi vellent ifta *παρενθέτως* dicta: *λέγομες δὲ πρώαν θὴν πάντα* nemo interpretum ita explicavit, ut attento lectori fatis faceret. Vere autem hanc vim habere videtur, ut Praxinoë, quae maritum abfentem perftringere pergit, verita ne filiolus de patre fe loqui fentiat, his verbis perfuadere ei cupiat, fe non de rebus paucis ante diebus actis, fed de iis quae olim accidiffent fabulam narrare. Itaque ad Zopyrionem converfa haec interiicit: *Noli putare, mi fili, haec ad patrem pertinere, dudum de iis quae olim gefta funt loquimur.* Veruntamen, fi haec fallendi pueri caufa dixerit Praxinoë, non vides, quomodo eadem fatis inepte novam narrationem fic incipiat *ἈΠΦΥ͂Σ μὰν τῆνος . . .*? Hoccine erat occulte aut tecte loqui? Paulo ante dixerat: *οὐ λέγω ἀπφῦν!* Nihilo fecius tamen hic diferte patrem nominat. An verendum erat, ne Gorgo tam plumbeum haberet ingenium, ut nifi *ἀπφῦς* addidiffet, illa, quo de homine ageretur, nefciret? Ridiculum. Nam eadem cum paulo ante marito non nominato diceret, *ταῦθ' ὁ πάραρος τῆνος* —, Gorgo ftatim maritum eius hoc praeconio celebrari intellexerat. Itaque hos quidem verficulos ita conftituendos effe arbitramur:

Ἀλλὰ πρώαν μὰν τῆνος ἔβα (λέγομες τὰ πρώαν θὴν
Πάντα) νίτρον καὶ φῦκος ἀπὸ σκανᾶς ἀγοραξῶν
Κῆνθε φέρων ἅλας ἄμμιν, ἀνὴρ τρισκαιδεκάπηχυς.

Vel fi forte magis placeat, hunc in modum:

Πρώαν μὰν τῆνος (λέγομες δὲ τὰ πάντα πρώαν θὴν)
Νίτρον ἔβα καὶ φῦκος ἀπὸ σκανᾶς ἀγοραξῶν
Κῆνθε φέρων ἅλας ἄμμιν ἀνὴρ τρισκαιδεκάπηχυς.

qua in emendatione *ἔβα* infertum Reiskio, *ἀγοραξῶν* pro *ἀγοράσδων* Valckenaerio, denique *κῆνθε* veteribus editio-

nibus debetur. Iam h. l. ita conſtituto ſenſus exit optimus, et loco pariter ac perſonae mulierculae loquentis aptiſſimus: *Olim quidem iſte (dudum de iis tantum dicimus, quae olim geſta ſunt, mi fili!) abiit nitrum et fucum, e taberna emturus, rediitque ſales nobis apportans, homo tredecim cubitorum.* Quod ſales apportaverit, ita capiendum, hominem ſimplicem et imperitum, qui quae ad malam rem muliebrem pertinerent, parum calleret, decipi ſe a venditore paſſum eſſe, et pro nitro et fuco, inſcium et imprudentem ſales ab eo acceptos domum abstuliſſe. Id non ſolum ex eo patet, quod ei mulier proceram corporis ſtaturam exprobrat, ut cuius ſcil. in tanto corpore ne mica quidem ſalis eſſet; ſed etiam e Gorgûs reſponſo intelligitur, quae ſimilem mariti ſui lapſum narrat. Queritur enim eum ſeptem drachmis quinque vellera emiſſe, caninis ſimilia, *γραιᾶν ἀποτίλματα πηρᾶν*, quaſi a vetuſtis ac detritis peris avulſa. (*die Felle waren ſo zerriſſen und ſchäbicht, als ob ſie von alten Torniſtern abgezogen wären.*) Pellibus perae, ut nunc etiam fieri ſolet, inducebantur; quae ſi multo uſu detritae fuiſſent, pilique hic ibi abſceſſiſſent, ſatis idoneae erant, quibuscum pelles ovinae viliores, et parum villoſae compararentur. Itaque fruſtra locum bene ſanum tentarunt viri docti.

V. 21 ſqq. Gorgo Praxinoën invitat, ut ſecum ad Ptolemaei regis aulam eat, Adonidis ſolennia ſpectatura. *Audio*, inquit, *magnifico apparatu reginam feſtum celebraturam.* Reponit Praxinoë:

ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα.
Ὧν εἶδές χ᾽ ὧν εἶπας, ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι.

Ultimum verſum, omni paene ſenſu carentem, optime ſic emendavit Brunckius, partim codicibus partim coniectura uſus:

Ὅσσ᾽ ἂν ἴδοις εἴπαις κεν ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι.

Certe melius quid vix alius quisquam repererit, quamquam hoc moleſtum eſt, quod cum Gorgo tantum ſe *audire* magnum fore apparatum dixiſſet, ſic tamen reſpondet Praxinoë, quaſi illa iam oculis aliquid viderit.

V. 38. ubi Gorgo veſtem Praxinoës laudaverat, verius et concinnius eſt ſic ordinare perſonas:

ΓΟΡΓΩ. Ἀλλὰ κατὰ γνώμαν ἀπέβα τοι;
ΠΡΑΞΙΝΟΗ. Ναί.
ΓΟΡΓΩ. Καλὸν εἶπες.

ut, quoniam Praxinoë queſta erat, ſibi nimis magno conſtitiſſe veſtem, in eaque acu pingenda ſe vitam paene inſumſiſſe, quaerat Gorgo: *At num tibi ex animi ſententia proceſſit? (Nun aber iſt es doch nach deinem Sinne ausgefallen?)* Praxinoëque id affirmante, Gorgo regerat: *Pulcre narras! (Nun das iſt ja recht ſchön!)* Vulgata ratio non uno incommodo laborat, nec viri docti ſe commode ſatis expedierunt.

XVI.

Loci Lucianei de hiſtoria conſcribenda c. 45. explicatio.

In libello multorum quidem laudibus celebrato, nequaquam tamen ab hiſtoriae ſcriptoribus pro eo ac iuſtum erat, cognito ad uſumque translato, quem Lucianus de hiſtoriae conſcribendae via ac ratione conſcripſit, illuſtris locus eſt Cap. XLV. quo in explicando nondum ita verſati ſunt interpretes, ut eum omnino expedirent. Lucianus in eo eſt, ut de elocutione hiſtorica praecipiat, doceatque quomodo ſententias interdum paullo elatiores modeſte ſubſequi et comitari debeat. Tum aliis, quae deſcribere nihil opus eſt, praemiſſis, iſta ſubiungit: *καὶ ἡ μὲν γνώμη κοινωνείτω, καὶ προςαπτέσθω τι καὶ ποιητικῆς, παρ᾽ ὅσον μεγαλήγορος, καὶ διηρμένη καὶ ἐκείνη, καὶ μάλισθ᾽ ὁπόταν παρατάξεσι, καὶ μάχαις καὶ ναυμαχίαις συμπλέκηται. Δεήσει γὰρ τότε ποιητικοῦ τινος ἀνέμου ἐπουριάσοντος τὰ ἀκάτια, καὶ συνδιοίσοντος ὑψηλὴν, καὶ ἐπ᾽ ἄκρων τῶν κυμάτων τὴν ναῦν. Ἡ λέξις δὲ ὅμως ἐπὶ γῆς βεβηκέτω, τῷ μὲν κάλλει καὶ τῷ μεγέθει τῶν λεγομένων συνεπαιρομένη, καὶ ὡς ἔνι μάλιστα ὁμοιουμένη, μὴ ξενίζουσα δὲ μηδ᾽ ὑπὲρ τὸν καιρὸν ἐνθουσιῶσα, κίνδυνος γὰρ αὐτῇ τότε μέγιστος παρακινῆσαι, καὶ κατενεχθῆναι ἐς τὸν τῆς ποιητικῆς κορύβαντα, ὥςτε μάλιστα πειστέον τηνικαῦτα τῷ χαλινῷ καὶ σωφρονητέον, εἰδότας ὡς ἱπποτυφία τις, καὶ ἐν λόγοις πάθος οὐ μικρὸν γίγνεται. Ἄμεινον οὖν Ἐφ᾽*

ἽΠΠΟΥ ὀχουμένῃ τότε τῇ γνώμῃ τὴν ἑρμήνειαν πεζῇ συμπαραθεῖν, ἐχομένην τοῦ ἐφιππίου, ὡς μὴ ἀπολείποιτο τῆς φορᾶς.

Hic igitur locus in editione Reitziana a Io. Matth. Gesnero ſic eſt latinis verbis expreſſus: *Ac mens quidem hiſtorici participet aliquid, adſciſcatque ſibi, poetices, quatenus magnificis ipſa quoque verbis utitur atque elata eſt, et maxime cum aciebus et pugnis et navalibus proeliis implicatur. Opus enim tum erit poetico quodam ſpiritu, qui ſecundo flatu vela impleat, celſamque per ſummos fluctus navim perferat. Dictio tamen humi incedat, quae cum pulchritudine dicendorum et magnitudine attollatur, et quantum eius licet exaequetur, interim in peregrinitatem non exeat, neque ultra quam opportunum eſt, fanatico quodam ſpiritu efferatur. Tum enim maximum periculum eſt ne extra numeros moveatur, et in poeticum furorem incidat. Itaque tum inprimis exaudiendae ſunt habenae et ſobrietati ſtudendum, cogitantes eſſe ut equorum, ita etiam orationis morbum non parvum nimiam ferociam. Optimum igitur tum fuerit uti mentem velut equo vectam, pedeſtri curſu comitetur elocutio, prehenſo ephippio, ne ab impetu equi deſtituatur.*

Γνώμη rectius latine redditur *ſententiae;* ſicut enim *σχήματα διανοίας καὶ λέξεως figurae ſententiarum et verborum* inter ſe opponuntur, ita h. l. *γνώμη τῇ λέξει* h. e. ſententiae ſcriptoris hiſtorici, eius dictioni vel elocutioni opponuntur. Itaque quoniam primis illius loci, quem tractamus, verſiculis agitur de ſententiis hiſtoricorum, quae nonnunquam propius ad poetarum ſententias accedant, *μεγαλήγορος* non debebat verti: *magnificis ipſa quoque verbis utitur*, ſed potius ad ipſam rerum quae narrantur magnitudinem, imaginumque ac narrationis vim et ſplendorem pertinet. Ut autem hoc loco *γνώμη* et *λέξις*, ſic paullo ante *νοῦς* et *λέξις*, eodem ſenſu opponebatur cap. 43. *καὶ ὁ μὲν νοῦς σύστοιχος ἔστω καὶ πυκνὸς, ἡ λέξις δὲ σαφὴς, καὶ πολιτική,*

οἷα ἐπισημότατα δηλοῦν τὸ ὑποκείμενον. Sed iam accedimus ad id, in quo ſumma huius loci difficultas vertitur. Cum enim Lucianus hiſtoricorum ſententias poetico interdum ſpiritu elatas, cum navigio comparet, cuius vela vento fecundo impleantur, elocutionem autem dicat ἐπὶ γῆς βαίνειν debere, primum eſt hoc loco quaerendum, quomodo iſtae imagines inter ſe coëant, atque a diſcrepantiae quadam ſpecie vindicari poſſint. Deinde ſubdifficile eſt, quo pacto Lucianus elocutionem hiſtoricam, quam terreſtri itinere ſententiam, quaſi navigio vectam, comitari finxerat, rurſus deſerta priori translatione *habenae obedire* iubeat (πειστέον τῷ χαλινῷ). Denique quod maxime lectorem elegantiae praeſertim Lucianeae in oratione translata aſſuetum offendit, hoc eſt, quod ultimis verbis, hiſtoricorum γνώμη, quae ſupra navigio vehi dicebatur, nunc equo imponitur, (ἐφ' ἵππου ὀχουμένη τότε τῇ γνώμῃ) quo fit ut allegoria bene coepta, prorſus pervertatur, atque imaginum confuſione ac perturbatione obſcuretur. Accedit quod elocutio, quae antea videbatur equi ferocientis imagine deſignari, nunc ſatis ridicule cum homine comparetur, pedeſtri curſu equum illum comitante, *prehenſo* quidem *ephippio*, quo nihil ad inhibendum currentis equi impetum fingi poſſit ineptius.

Iam audiamus unum e noviſſimis Gallorum interpretibus, *Maſſievium* ſcilicet, qui Lucianum ſex tomis gallice verſum edidit Pariſiis, a. 1787. Eius igitur verſio ſic decurrit (Tom. VI. p. 68.).

Il eſt permis à l'Hiſtorien de ſ' élever iusqu'au ton de la Poeſie, et d'emprunter la magnificence et l'appareil de ſes expreſſions, lorsqu'il parle des armées, ou qu'il decrit des batailles de terre et de mer. Il a beſoin alors d' un ſouffle poetique, qui enfle les voiles de ſon vaiſſeau et le faſſe voguer heureuſement au milieu des flots amoncelés. Son ſtyle cependant doit ordinairement marcher terre à terre, et ne

s' élever qu' avec la grandeur et la beauté du sujet, l'égalant autant qu'il est possible, sans jamais s'en ecarter ni tomber dans un enthousiasme, qui l'emporte au delà des bornes, ce seroit s' exposer à perdre le vrai ton de la chose, et à donner dans la fureur poetique. C'est alors plus que jamais que l' Historien à besoin de frein et de précaution, et qu'il doit se souvenir que trop d'ardeur et de feu est un aussi grand defaut, dans un Ecrivain que dans un Coursier. Ainsi il doit se regarder, comme un Cavalier monte sur un cheval fougueux, et son style doit en quelque sorte marcher à pied à ses côtés, et tenir la bride, de peur qu'il ne soit renversé.

Hactenus *Massievii* versio. Quae quamquam nonnullis incommodis ei cum Gesneri versione communibus laborat, haud pauca tamen nova accesserunt, quae eam a vero Luciani sensu multo longius abstraxerunt. Verba ἡ λέξις δὲ ὅμως ἐπὶ γῆς βεβηκέτω vertuntur: *son style cependant doit* ORDINAIREMENT *marcher terre à terre.* Illud *ordinairement* cuius nulla sunt in graeco textu vestigia, totam verborum sententiam prorsus deformat. Non enim de eo loquitur Lucianus, *quod plerumque fieri soleat* in elocutione historica sed quid tum fieri debeat, ubi sententiae sint poetico quasi sqiritu elatiores. Prorsus autem hallucinatus est Gallus noster cum verba ἐχομένην τοῦ ἐφιππίου reddit *tenir la bride*, ubi habenas cum sella, χαλινὸν cum ἐφιππίῳ confundit. Neque vero ὡς μὴ ἀπολείποιτο τῆς φορᾶς ullo modo significare possunt, *de peur qu'il ne soit renversé.* Pressius quam vellemus Massievii vestigia secutus est *Wielandus* noster V. C. cui Luciani operum versionem elegantissimam acceptam cum plausu fert Germania. Sed eius quoque ipsa verba ponamus (P. IV. pag. 130).

Es giebt so gar Fälle wo er (der Geschichtschreiber) sich bis zum poetischen Schwung erheben und einer gewissen Pracht im Ausdrucke bedienen darf, besonders wo es um

Be-

Beſchreibung von groſsen Bataillen, Seeſchlachten und dergleichen zu thun iſt. Denn da hat er eines gewiſſen poetiſchen Windes vonnöthen, der ſeine Segel ſchwelle, und ſein Schiff glücklich über die Spitzen der Wogen wegtrage. Gewöhnlich aber *muſs ſeine Diction auf der Erde einhergehen, ſich immer nur mit der Schönheit und Gröſse der Gegenſtände erheben, und in gleicher Höhe mit ihnen zu erhalten trachten, ohne weder ſcheu zu werden, noch in einen unzeitigen Enthuſiaſmus zu gerathen; Denn ſonſt iſt er in gröſster Gefahr* aus der Menſur zu kommen, *und von einer poetiſchen Korybantenwuth über Stock und Stein fortgeriſſen zu werden. Hier iſt es wo der Geſchichtſchreiber mehr als jemals dem Zaum gehorchen, ſich der Mäſsigung befleiſsen, und ja nicht vergeſſen muſs, daſs* zu viel Feuer und brauſender Muth *an einem Schriftſteller keine kleinere Untugend iſt, als an einem Roſſe. Das beſte iſt in einem ſolchem Falle, wo ſeine Imagination wie auf einem allzumuthigen Pferde dahertrabt, daſs der Styl gleichſam zu Fuſse nebenher laufe, und* den Zügel *halte, damit der Reiter nicht unverſehens* aus dem Bügel geworfen werde.

Felicius autem veriusque Luciani mentem expreſſit, evitatis potiſſimum Maſſievii erroribus, doctiſſimus *Belin de Ballu* in verſione, quae a. 1788. hoc indice prodiit: *Oeuvres de Lucien traduites de Grec, d'après une copie verifiée et revue ſur ſix Manuſcrits de la Bibliothèque du Roi.* Avec des notes *hiſtoriques et littéraires et des Remarques critiques ſur le texte de cet Auteur* ſex Voll. 8. Nimirum ille hisce verbis Luciani mentem expreſſit (Tom. II. p. 408.)

Que la penſée de l'hiſtorien participe quelque fois de la poeſie, et ſ'approprie ce que celle-ci a de magnifique et d'élevé, ſur-tout lorsqu'il ſe trouve engagé à peindre des armées rangées en bataille à décrire des combats ſur terre et

fur mer. Il faut alors qu'un petit vent poetique enfle les voiles de fon navire et le tienne élevé fur le fommet de flots, mais fa diction ne doit point quitter la terre, elle doit à la verité, f'élever à la beauté et à la grandeur de fon fujet, f'y affimiler autant qu'il lui eft permis; mais que ce foit fans f'éloigner de fon caractère, fans fe livrer mal-apropos à l'enthoufiafme; elle courroit alors le plus grand danger de tomber dans une fureur poétique: pour l'éviter il faut alors obéir au frein que le goût impofe: ou il vaudra mieux que la penfée foit, (pour ainfi dire) montée fur un cheval, et que l'expreffion marche à côté d' elle à pied, fe tenant à la felle, de peur que, dans la rapidité de la courfe, elle ne foit laiffée bien loin en arrière."

Solus etiam *Belin de Ballu* inconcinnitatem metaphorarum in poftremis Luciani verbis odoratus eft, ideoque hanc fufpicionis quamvis obfcurae nec fane fatis explicatae notationem textu fubiecit: „*Plus cette métaphore eft fingulière plus je dois la traduire avec exactitude, ce n'eft pas le traducteur, mais l'auteur qui eft refponfable des penfées qu'il emploie: le premier ne l'eft que de l'expreffion; d'ailleurs ceci fait je crois, allufion à ce vers de Pindare: παρὰ Λύδιον ἅρμα πεζὸς ἰχνεύων, cité par Plutarque au commencement de la vie de Nicias.*"

Verum enimvero hic Pindari verficulus nihil facit ad illam, qua locus hic Lucianeus premitur difficultatem fublevandam. Attentius enim nobis Luciani mentem ac manum intuentibus apparuit, imaginem quam h. l. adhibuit ductam effe ab illo genere navigiorum, quae non folum velis fed etiam remulco trahebantur, (ῥυμουλκεῖν appellat Polybius) ita ut funis a malo fufpenfus ab equo in littore currente, cui rector quoque infideret, duceretur. Notum eft hoc genus navigiorum etiamnum in fluminibus v. c. Rheno et Danubio ufurpari, quae vel a folis hominibus vel ab equis trahantur, iisque

multis locis ſingularem haud procul a littore ſemitam deſtinatam eſſe, quam *den Leinpfad* appellare ſolent. Itaque Lucianus τὴν γνώμην h. e. *ſententiam* hiſtorici comparat cum navigio, cuius vela interdum poetico quodam ſpiritu tanquam vento impleantur, ut concitatiore, quam plerumque ſoleat, curſu feratur. Hunc tamen eius curſum et *adiuvare* et regere ac moderari debet *elocutio*, quam propterea Lucianus comparat cum equo navem illam in littore trahente. Itaque λέξιν dicit ἐπὶ γῆς incedere debere, ita quidem ut rerum ac ſententiarum pulchritudine ac magnitudine allevetur, (quemadmodum equi remulco naviculam trahentis curſus interdum celeriore lembi vento impulſi motu concitatur) ut ei quam maxime adaequetur, ὡς μάλιστα ὁμοιουμένη (ſicut equi in littore currentis via aequaliter fere diſtat a navigii curſu), ut caveat ne extra tramitem vagetur, μὴ ξενίζουσα, neve ultra modum efferatur, (prorſus ut equus ille navem trahens aberrare non debet ab illa ſemita, nec iuſto ferocius efferri, aut concitatiore quam opus eſt, curſu pergere, quam ob cauſam a ſeſſore habenis regitur). Itaque ſignificat Lucianus hiſtoriae, quamvis in uberiore et quaſi poetico narrationis filo, non licere poeticis etiam verbis aut rhythmis uti, ita ut *peregrinum* affectet genus dicendi, aut quaſi dithyrambicam vim et audaciam imitetur. Quod ſi faciat, periculum eſſe ne de via aberret (παρακινῆσαι) et in ipſum poeſeos furorem incidat, ab hiſtoriae veritate et modeſtia alieniſſimum; quemadmodum equus aut iuſto ferocior, aut adeo conſternatus et attonitus non ſolum de via deflectere et per invia quoque currere, (hoc eſt ξενίζειν) ſed etiam interdum in ipſum fluvium praecipitem ſe dare ſolet. Quare tum maxime, ſicut equus loris regitur, ita hiſtorici dictio artis habenis temperanda eſt. Ut enim in equis ἱπποτυφία h. e. furor ille, noſtris hominibus *der wilde Koller*, ſive *der Sonnenſchuſs* dictus, morbus graviſſimus et periculoſiſſimus eſt, ita quoque in hiſtorico dicendi

genere non parvum est malum, si quis contemtis ac spretis mediocritatis ac sobrietatis, quae narrationem decet, legibus, addat se in poetica spatia, atque immenso ore, velut bacchico quodam furore correptus ruat. Hactenus igitur omnia bene sibi constant. Ecce autem repente illa historicorum γνώμη hactenus cum navigio comparata, *equo imponitur* (ἐφ᾽ ἵππου ὀχουμένη τότε τῇ γνώμῃ). Quo si perpetuitatem metaphorae spectes, ineptius nihil cogitari potest; si claritatem, nihil quod magis luminibus officiat. Sed illud τότε satis aperte nos monet, lectionem Luciani a librarii manu depravatam esse. Quid multa? Pro ἐφ᾽ ἵππου legendum censemus *ἘΦ᾽ ἹΣΤΙΟΥ*, et pro ἐχομένην τοῦ ἐφιππίου, corrigimus ἐχομένην τοῦ *ἘΦΟΛΚΙΟΥ*, qua quidem duplici medela Luciani verbis et concinnitas allegoriae et perspicuitas misere turbata plane restituitur. Iam igitur sensus est: Optimum igitur est, ut cum sententia scriptoris historici tamquam velo secundis ventis inflato vehatur, dictio terrestri cursu eam comitetur, annexa scilicet navigio, ne umquam ab eius cursu et motu destituatur et recedat. Ἔχεσθαι saepius notat, cum aliquo *nexum et copulatum* esse, ei *adhaerere;* itaque ἔχεσθαι ἐφολκίου bene dicitur equus, remulco naviculam trahens, praesertim si se ita ad cursum navigii accommodet, ut magis ducat naviculam intento fune, quam ut ipse a nave trahatur. Ultimis scilicet verbis ὡς μὴ ἀπολείποιτο τῆς φορᾶς praecipit Lucianus, ut scriptor caveat, ne scribendi genus multo tenuius et gracilius sit, quam sententiae gravitas et magnitudo postulet, in quo saepius peccare videmus historicos, rerum quidem peritos, sed parum eloquentia valeat, ita ut non possint facta dictis exaequare.

Iam ut, quantum lucis opera nostra Luciani loco accesserit, plenius intelligatur, versionem addemus Germanicam, quam si cum superiorum interpretum versionibus comparaverint lectores, ipsi, quae Luciano magis conveniat, iudicabunt.

In Abſicht der Gedanken muſs freilich die Phantaſie des Geſchichtſchreibers bisweilen in gewiſſer Maſse die Nachbarin und Verwandte der Dichtkunſt werden, inſofern auch ſie eines erhabnen Schwunges und lebhafter Bewegungen fähig iſt, zumal wenn ſie Schlachten, Gefechte, und Seetreffen darſtellen ſoll. Denn alsdenn muſs ein poetiſcher Geiſt gleich einem günſtigen Winde in ihre Segel blaſen, und ihr Fahrzeug hoch über die Wellen hinübertragen. Der Ausdruck aber muſs gleichwohl zu Lande nebenhergehen, und ob er zwar von der Schönheit und Gröſse der Gedanken mit emporgehoben werden, und ihnen ſo viel möglich ſich gleichhalten muſs, ſo darf er doch nicht von dem ihm eigenthümlichen Pfade abſchweifen, oder in eine unzeitige Begeiſterung verfallen. Denn in dieſem Falle läuft er die gröſste Gefahr ſich ganz zu verirren, oder ſich in die Wogen poetiſcher Schwärmerey zu ſtürzen. Daher muſs er hier vorzüglich dem Zügel gehorſam und ſittſam bleiben; und muſs bedenken, daſs der Sonnenſchuſs auch in der Proſa eine gefährliche Krankheit iſt. Viel beſſer iſt es alſo, daſs indeſs, wie geſagt, die Phantaſie des Geſchichtſchreibers mit aufgeſpanntem Segel dahinführt, der Vortrag am Ufer nebenherlaufe, jedoch ſtets mit dem Fahrzeuge ſtraff genug verbunden, um auch nicht hinter ſeiner ihm voreilenden Bewegung zurücke zu bleiben.

Quod reliquum eſt, vulgaris lectio *ἐφ' ἵππου* ne tum quidem defendi poteſt, ſi quis Lucianum vel negligentia ſcribendi, vel quocunque errore ab inchoata translatione discesſiſſe coniiciat. Etenim cum dicat *ἐφ' ἵππου ὀχουμένῃ τότε τῇ γνώμῃ*, ſatis prodit adiectum *τότε*, ſe ad illam, qua coeperat uti, imaginem reſpexiſſe. Nam quod latinus interpres fecit, qui *τότε* cum *ἄμεινον* coniunxit vertitque: *Optimum igitur TUM fuerit*, id per ordinem et collocationem verborum nullo modo fieri poteſt. *Ὀχεῖσθαι* aeque de iis qui nave ac de his qui

equo vehuntur dici, neminem fugit. *Πέζῃ συμπαραθεῖν* prorsus idem est atque id quod ante dictum erat *ἐπὶ γῆς βεβηκέναι.* Non enim semper *πέζῃ* de *pedestri* sed multis locis de *terrestri itinere* ponitur. Iam *ἐχομένην τοῦ ἐφιππίου* posset quidem significare *firmiter ephippio inhaerentem* (*fest sich an den Sattel haltend* und *anschliessend*) incommode tamen h. l. diceretur, propterea quod fieri vix potest, ut quis equum citatum pedestri cursu aequet. Quare multo concinnius est *ἐφολκίου,* quo quidem in illius locum substituto sic omnibus numeris absolvitur, allegoria ut nihil amplius sive ad constantiam ac perpetuitatem, sive ad claritatem et elegantiam desiderari posse videatur.

XVII.

Specimen emendationum librorum incerti auctoris Rhetoricorum ad Herennium ex comparatione cum libris Ciceronis de Inventione ſubnatarum.

Quod Petrus Burmannus Secundus in praeſatione ad incerti auctoris Rhetoricorum ad Herennium, et Ciceronis de inventione libros (Lugd. Batav. anno ſuperioris ſeculi LXI editos) monuit, ex diligenti utriusque auctoris comparatione ſingulorumque capitum collatione, in quibus eadem traduntur praecepta, plurima ex ſcripturae varietate indagari poſſe a Criticis ad lectiones veras in alterutro ſcriptore ſtabiliendas vel falſas reiiciendas, id quum ab editoribus operum Ciceronianorum, qui poſtea ſecuti ſunt, neglectum eſſe videamus, exemplis aliquot locorum confirmabimus, in quibus lectio librorum ad Herennium comparatis de Inventione libris rectius conſtitui poteſt.

Auct. ad Herenn. I. 6. ubi de altero genere exordii, quod *inſinuationem* appellabant, loquitur: *Tria ſunt tempora*, inquit, *quibus principio uti non poſſumus aut cum turpem cauſam habemus, hoc eſt cum ipſa res animum auditoris a nobis alienat; aut cum animus auditoris perſuaſus videtur eſſe ab iis, qui ante contra dixerunt: aut cum defeſſus eſt eos audiendo qui ante dixerunt.* Cicero Inv. I. 17. de eadem re loquens his utitur verbis: *Inſinuatione igitur*

utendum est, cum admirabile genus causae est, hoc est, ut ante diximus, cum animus auditoris infestus est. Id autem tribus ex causis fit maxime; si aut inest in ipsa causa quaedam turpitudo, aut si ab iis, qui ante dixerunt, iam quiddam auditori persuasum videtur, aut eo tempore locus dicendi datur, cum iam illi, quos audire oportet, defessi sunt audiendo. Ex huius loci comparatione intelligitur concinnius apud A. ad Herenn. sic legendum esse: *aut cum animus auditoris persuasus videtur esse ab iis qui contra dixerunt;* ne bis deinceps ponatur ANTE, quae praepositio in priore membro eo facilius abesse potest, quod qui contra dixerunt, eosdem etiam ante dixisse nemo dubitare potest.

Paulo post quae A. ad Herenn. sic enuntiavit: *Idem si negabimus nos de adversariis aut de aliqua re eorum dicturos, et tamen occulte dicemus interiectione verborum;* ea latius Cic. de Inv. I. 17. sic eloquitur: *et negare* (oportet) *te quidquam de adversariis esse dicturum, neque hoc neque illud.* Ex quo colligitur in priore loco EORUM non esse delendum, quamvis id in multis codd. absit.

Pergit A. ad Herenn. his quae sequuntur: *Si persuasus auditor fuerit, id est, si oratio adversariorum auditoribus fidem fecerit* (neque enim non facile scire poterimus, quoniam non sumus nescii, quibus rebus fides fieri soleat) *ergo si fidem factam putabimus, his non rebus insinuabimus ad causam.* Recte negavit Gronovius ferendam esse istam a singulari ad pluralem in eadem re transitionem: „si persuasus AUDITOR fuerit, i. e. si oratio adversariorum AUDITORIBUS fidem fecerit." Sed compara quaeso locum similem apud Cic. de Inventione I. 17. *Sive oratio adversariorum* fidem videbitur auditoribus *fecisse quod ei, qui intelligit, quibus rebus fides fiat, facile erit cognitu* etc. Ex quo perspicitur in illo A. ad Herenn. loco expungenda esse verba: *Si persuasus fuerit auditor id est;* quae orta sunt e glossemate lectoris

vel enarratoris, qui ſignificare vellet hoc partitionis membrum eſſe idem quod antea verbis *aut cum animus auditoris perſuaſus videtur eſſe* fuerat enuntiatum.

A. ad Herenn. I. 7. ubi quomodo duo genera exordiorum, inſinuatio et principium inter ſe differant exponit, his verbis utitur: *Principium huiusmodi debet eſſe ut ſtatim apertis rationibus, quibus praeſcripſimus aut benevolum, aut attentum, aut docilem faciamus auditorem. At inſinuatio eiusmodi debet eſſe, ut occulte per diſſimulationem eadem illa conficiamus.* Iam in omnibus edd. aſſuuntur verba: *ut ad eandem commoditatem in docendi opere pervenire poſſimus*, quae cum ſuopte indicio ſatis gloſſatoris manum produnt, tum ſimili loco in Inv. I. 15. prorſus *νοθείας* convincuntur: *Principium eſt oratio perſpicue et protinus perficiens auditorem benevolum aut docilem aut attentum. Inſinuatio eſt oratio quadam diſſimulatione et circuitione obſcure ſubiens auditoris animum.*

Continuo pergit A. ad Herenn. *Verum hae tres utilitates tametſi in tota oratione ſunt comparandae, h. e. ut auditores ſeſe perpetuo nobis attentos, dociles, benevolos praebeant, tamen id per exordium cauſae maxime comparandum eſt. [Nunc ne quando vitioſo exordio utamur, quae vitia vitanda ſint docebo.] In exordienda cauſa ſervandum eſt ut lenis ſit ſermo, et uſitata verborum conſuetudo, ut non apparata oratio eſſe videatur. Vitioſum exordium eſt etc.* Hic quis non videat verba uncis incluſa temere et inepte hic inferciri? Nam nondum de vitiis exordii, ſed de virtutibus dicere aggreditur auctor. Itaque aut transponenda erunt haec verba, et inter *eſſe videatur*, ac *vitioſum exordium* collocanda, aut quod magis nobis placet, prorſus eiicienda. Quod ipſum confirmatur loco gemello de Inv. I. 18. *Exordium ſententiarum et gravitatis plurimum debet habere et omnia, quae pertinent ad dignitatem, in ſe continere, propterea quod id optime faciendum eſt,*

quod oratorem auditori maxime commendat; ſplendoris et feſtivitatis, et concinnitudinis minimum, propterea quod ex his ſuſpicio quaedam apparationis et artificioſae diligentiae naſcitur, quae maxime orationi fidem, oratori adimit auctoritatem. Vitia vero haec ſunt certiſſima exordiorum quae ſummopere vitare oportebit etc.

Eodem capite auctor Rhetor. ad Herennium inter vitioſa exordia memorat *illud quo leviter commutato adverſarius poterit uti ex contrario.* Verba *leviter commutato* perperam Erneſti aliena et inſiticia putavit. Sane quidem abſunt ab ed. Aldina. Sed recte abeſſe non poſſe intelligitur ex Cic. Inv. I. 8. ubi *Commutabile exordium* dicitur id, *quod ab adverſario poteſt leviter mutatum ex contraria parte dici.* Neque vero, ſi haec verba h. l. omitterentur, exordium commutabile internoſci poſſet ab eo quod commune dicitur.

In ſequentibus autem verbis: *Hinc vitioſum eſt, quod nimis apparate verbis compoſitum aut nimis longum eſt, et quod non ex ipſa cauſa natum videtur* [*quod ſeparatum videtur, in quo etiam translatum includitur,*] *ut proprie cohaereat cum narratione;* primum Michaeli Bruto concedimus verba uncis incluſa ſpuria eſſe, et ab aliena manu adiecta, praeſertim cum a pluribus Mſſ. abſint. Apud Cic. de Inv. I. 18. idem exordiorum vitium ſic definitur: *Separatum quod non ex ipſa cauſa ductum eſt, nec, ſicut aliquod membrum annexum orationi;* unde colligere poſſis Auctorem ad Herenn. ſcripſiſſe, *et quod non ex ipſa cauſa natum videtur nec proprie cohaeret cum oratione;* etſi *narratione* defendi poteſt ſic, ut pars orationis proxime exordium ſequens pro tota oratione poſita eſſe videatur.

Auct. ad Herenn. I. 9. *Et ne bis aut ſaepius idem dicamus cavendum eſt, etiam ne quod ſemel ſupra diximus deinceps dicamus hoc modo:*

Athenis Megaram vesperi advenit Simo,
Ubi advenit Megaram insidias fecit virgini,
Insidias postquam fecit, vim in loco attulit.

Vocabulum *supra* abest a multis codd. et prorsus auctoris sententiam pervertit. Neque vero *semel* huic loco satis aptum esse videtur. Conferendus est locus Cic. de Inv. I. 20. ubi inter alia haec leguntur: Brevis narratio erit — *si semel unumquodque dicetur; et si non ab eo in quo proxime desitum erit deinceps incipiatur.* Ex quibus intelligitur auctorem Rhet. ad Herennium illo loco sic scripsisse *etiam ne quid, simul diximus, deinceps dicamus;* ut SIMUL pro *simulatque*, positum sit. *Deinceps* autem h. l. non significat ut Gesnerus in Thes. L. L. interpretatur *iterum*, sed, quem significatum idem aliis locis firmavit, *proxime, nullo intervallo interiecto;* quem h. l. unice aptum esse et exemplum ab auctore allatum, et Ciceronis locus modo memoratus satis demonstrat.

Lib. I. c. 12. *Ex ambiguo controversia nascitur, quum res in unam sententiam scripta duas aut plures sententias significat.* Quaeso quomodo dici possit *res significare sententias?* In Aldina legitur: *quum scriptum duas aut plures sententias significat* plane omissis verbis *re in unam sententiam scripta*, quae tamen sine dubio genuina sunt. Itaque sic legendum est: *quum re in unam sententiam scripta, scriptum duas aut plures sententias significat.* Quam emendationem plane confirmant verba Ciceronis Inv. II. 40. *Ex ambiguo autem nascitur controversia, quum quid senserit scriptor obscurum est, quod scriptum duas pluresve res significat.*

L. II. c. 5. *Argumentum est per quod reus coarguitur certioribus argumentis et magis firma suspicione.* Recte negaverunt Gronovius et Ernestii ferendum esse vocabulum *argumentis;* quum ineptum sit definiti vocabulum in definitione ponere. E loco simili Cic. de Inv. I. c. 29.

Argumentatio videtur eſſe inventum ex aliquo genere rem aliquam aut probabiliter ostendens, aut neceſſarie demonſtrans; Gronovius ſuſpicabatur legendum eſſe *inventis.* Nobis tamen magis placet *indiciis* aut *rationibus*, ut h. l. rationes ſic opponantur ſuſpicionibus, quomodo apud Ciceronem ea quae neceſſarie demonſtrantur iis, quae probabiliter ostenduntur.

Omnino in his libris Rhetoricorum ad Herennium haud paucae ſunt vel interpolationes vel transpoſitiones nondum ab editoribus obſervatae.

Utriusque depravationis exemplum habetur lib. II. cap. 19. 20. „*Ergo abſolutiſſima eſt argumentatio ea, quae ex quinque partibus conſtat, ſed ea non ſemper neceſſe eſt uti. Tum enim complexione ſuperſedendum eſt, ſi res brevis eſt, ut facile memoria comprehendatur; tum exornatio praetermittenda eſt, ſi parum locuples ad amplificandum et exornandum res videtur eſſe. Sin et brevis erit argumentatio, et res tenuis aut humilis, tum et exornatione et complexione ſuperſedendum eſt.* [In omni argumentatione de duabus partibus poſtremis, haec quam expoſui ratio eſt habenda.] *Ergo ampliſſima eſt argumentatio quinquepartita, breviſſima eſt tripartita, mediocris ſublata aut exornatione aut complexione, quadripartita.* Quae in hoc loco uncis circumſcripſimus futiliſſimum praebent aſſumentum, a neſcio quo maleferiato gloſſatore profectum.

Sequitur locus, et interpolatione et transpoſitione corruptus. Eum hic primum ponemus, ut in edd. legitur, deinde eum eiecto emblemate, et ordine reſtituto ſanatum dabimus. „Duo genera ſunt vitioſarum argumentationum, unum quod ab adverſario reprehendi poteſt, idque pertinet ad cauſam: alterum quod tametſi nugatorium eſt, tamen non indiget reprehenſionis. Quae ſint quae reprehenſione confutari conveniat; quae tacite contemni atque vitari ſine reprehenſione, niſi exempla ſubiecero intelligere dilucide non poteris. [Haec cognitio

vitiosarum argumentationum duplicem utilitatem afferet. Nam et vitare in argumentatione vitium admonebit, et ab aliis non vitatum commode reprehendere docebit.] Quoniam igitur ostendimus perfectam et plenam argumentationem ex quinque partibus constare, in unaquaque parte argumentationis, quae vitia vitanda sint, consideremus; ut et ipsi ab his vitiis recedere, et adversariorum argumentationes hac praeceptione in omnibus partibus tentare et ab aliqua parte labefactare possimus."

Hic delenda primum sunt verba uncis inclusa, quae nihil habent nisi ineptam sententiae: *Quoniam — possimus* repetitionem; et haec ipsa quae ultimo loco ponuntur primo loco ponenda sunt; hoc modo: *Quoniam igitur ostendimus perfectam — et ab aliqua parte labefactare possimus. Duo genera sunt — non indiget reprehensionis. Quae sint — intelligere dilucide non poteris. Expositio vitiosa est* etc. Sic et cum antecedentibus et consequentibus oratio auctoris aptius cohaeret.

XVIII.

In Ciceronis de oratore libros animadversionum Particula I.

Post nupera eruditorum hominum studia, in libros Cic. de oratore collata, in quibus Harlesii, Wetzelii et Fr. Car. Wolffii (qui versionem horum librorum elegantem et luculentam edidit) operam honoris causa nominamus, quamquam vix fieri posse videtur, ut novis curis ad lectionem rectius constituendam vel sensum accuratius definiendum locus sit, superesse tamen hic ibi quaedam vel nondum satis explanata, vel crisi diligentiore aut a librariorum corruptelis, aut ab emendatorum correctionibus vindicanda, exemplis aliquot demonstrabimus.

Initio statim libri I. *Nam qui locus quietis et tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maximae moles molestiarum, et turbulentissimae tempestates exstiterunt;* Wolffius vocabulum *moles* librarii errori deberi putat, qui temere litteras sequentis vocabuli *molestiarum* bis exaraverit; eiusque sententiae auctorem laudat Cel. Vossium, scholae Eutinensis Rectorem. At primum dubitamus, an recte dicantur *molestiarum tempestates.* Quin *moles molestiarum* apte dicantur nullum dubium est. *Tempestates*, de curis, periculis, omninoque de turbulenta rerum conditione; *molestiae* autem de gravi laborum et aerumnarum onere usurpantur. Denique *moles* molestiarum *quieti*, tempestates autem *tranquillitati* opponuntur. Itaque *moles* minime est eiiciendum.

Cap. II. *Vis enim, ut mihi saepe dixisti, quoniam quae pueris aut adolescentulis nobis ex commentariolis nostris inchoata ac rudia exciderunt, vix hac aetate digna, et hoc usu, quem ex causis, quas diximus, tot tantisque consecuti sumus, aliquid iisdem de rebus politius a nobis perfectiusque proferri.* Legendum videtur: *vix hac sint aetate digna*, ne suppresso verbo substantivo vis apodoseos obscuretur.

Cap. III. — *in qua difficile est enumerare quot viri, quanta scientia, quantaque in suis studiis varietate et copia fuerint, qui non una aliqua in re separatim elaborarint, sed omnia, quaecunque possent vel scientiae pervestigatione, vel differenti ratione comprehenderint.* Hic latinitas postulat, ut rescribamus: *scientia et pervestigatione.* Cum enim *scientia* non complexum aliquem rerum quae sciri possunt, sed ipsum sciendi actum, seu rerum notitiam, quatenus inest in homine docto significet, scientiae pervestigatio nihil aliud denotare posset, quam propriae scientiae explorationem, de qua hic non agitur. Tria potius sunt quae hic de philosophis pronuntiantur, eos omnia quaecunque possent vel scisse, vel pervestigasse, vel etiam doctrina et scriptis illustrasse. Hoc autem sic enuntiatur, eos omnia quaecunque possent, vel scientia et pervestigatione, vel differendi ratione comprehendisse. Similiter postea in verbis: *Quis musicis, quis huic studio litterarum quod profitentur ii, qui grammatici vocantur, penitus se dedidit, quin omnem istarum artium pene infinitam vim et materiam scientiae cogitatione comprehenderit,* legendum est *scientia et cogitatione.* Neque vero, quod Frid. Car. Wolffio placuisse video, rescribendum est *scientia* et *cognitione.* Nam *cogitatio* melius respondet eidem notioni, quam antea *pervestigationis* vocabulo expresserat auctor.

Cap. X. *Agerent enim tecum lege primum Pythagorei omnes atque Democritici ceterique in suo genere*

physici vindicarent. Carolus Langius ad Cic. Lael. c. XX. ex antiquo libro laudavit lectionem: *ceterique suo iure vindicarent.* Et Pearcius quoque edidit: *iure suo.* Ernestii autem *in suo genere* sic explicandum putabat: *in sua quique secta.* Sed *suo iure* melius respondet ceteris translationibus ex iure petitis, ut *interdicto contendere, lege agere.* Quare istam lectionem quam Heusingerus quoque probavit ad Cic. Off. I, 1. 4. veram et genuinam esse arbitramur.

Cap. XI. Cum olim sic legeretur: *Audivi enim summos homines, cum quaestor ex Macedonia venissem Athenas, florente Academia, ut temporibus illis ferebatur, quod eam Carneades et Clitomachus, et Aeschines obtinebant. Erat etiam Metrodorus, qui cum illis una ipsum illum Carneadem diligentius audierat hominem omnium in dicendo, ut ferebant acerrimum et copiosissimum;* Ernestius Pearcium secutus utroque loco Carneadis nomen expunxit, et Charmadam substituit. Quod etsi rectissime factum est priore loco, nam Charmadam et Clitomachum et Aeschinem aequales fuisse, eademque aetate Academiam obtinuisse notum est; altero tamen loco Carneadis nomen servari debebat, quod nuper demum recte monuit in notis ad versionem suam Wolffius. Nam Charmadas et Clitomachus et Aeschines una cum Metrodoro Carneadem audiverant; non autem illorum praeceptor Charmadas erat, sed condiscipulus. Neque movere quemquam debet, quod cum antea nondum esset mentio Carneadis facta, tamen *ipsum illum Carneadem* scribitur. Pronomen enim *ille* pertinet ad celebritatem Carneadis; et *ipsum* adiicitur, ut significetur illos non tantum fama accepisse de Carneade, sed *ipsum* illum disserentem audivisse. Quod autem Carneades appellatur in dicendo acerrimus et copiosissimus, horum alterum ad eius subtilitatem et acumen in disputando, alterum ad ubertatem orationis refertur. Sic de Finib. B. et M.

Lib.

Lib. III. c. 12. eidem Carneadi tribuitur *egregia quaedam exercitatio in dialecticis summaque eloquentia.*

Lib. II. cap. 2. *Etenim ceterae fere artes seipsae per se tuentur singulae; bene dicere autem, quod est scienter et perite, et ornate dicere, non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis septa teneatur.* Hoc loco nos offendit adverbium *perite*, quod cum *scienter* compositum inanem tautologiam inducit a Ciceronis more abhorrentem. Itaque legendum censemus: quod est scienter, et PARTITE, et *ornate* dicere. Constat in describendis eloquentiae partibus veteres frequenter memorasse, inventionem, dispositionem, elocutionem. Iam inventionis est scienter, dispositionis partite, elocutionis ornate dicere. Idem lib. I. c. 15. hoc modo enunciatur: *Prudenter, et composite, et ornate dicere;* et lib. II. c. 19. *invenire quid dicas, inventa disponere, deinde ornare verbis.* Wolffio in mentem venit vocabulum *perite* cum *proprie* permutare; at hoc est ab huius loci mente et consilio alienissimum.

Cap. XIX. *Dividunt enim totam rem in duas partes; in causae controversiam et in quaestionis. Causam appellant rem positam in disceptatione rerum atque controversia; quaestionem autem rem positam in infinita dubitatione.* Ernesti opinabatur post vocabulum disceptatione expungendum esse *rerum.* Imo potius adiiciendum aliquid est, ne definito latior sit definitio. Quaestionibus, quae infinitae sunt, h. e. in quibus de rebus universis, quae non sunt certis personis, locis, temporibus definitae opponuntur *causae*, quae res tractant certis personis, locis, temporibus adstrictas. Itaque legendum est: *in disceptatione* c e r t a r u m *rerum atque controversia* ita quidem ut disceptatio ad genus deliberativum, controversia ad genus iudiciale referatur. Quod ita esse ex locis similibus, ubi de eadem re agitur, facile confirmatur. E. c. lib. II.

12

c. XV. *Oratori plerique duo genera ad dicendum dederunt, unum de certa definitaque causa, quales sunt, quae in litibus, quae in deliberationibus versantur; alterum infinitam generis sine tempore et sine persona, quaestionem.* Similiter lib. III. c. 28. *Dicunt igitur — omnem civilem orationem in horum alterutro genere versari, aut definitae controversiae certis temporibus ac reis; hoc modo: Placeatne Carthaginiensibus captivos nostros redditis suis recuperari? aut infinite de universo genere quaerentis: Quid omnino de captivo statuendum ac sentiendum sit.* Comparandus etiam est locus Topic. cap. 21. *Quaestionum duo sunt genera, alterum infinitum, alterum definitum. Definitum est, quod ὑπόθεσιν Graeci* nos *causam, infinitum* quod *θέσιν* illi *appellant nos propositum possumus nominare. Causa certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotiis, cernitur etc.* Quod h. l. Cicero per distributionem latius explicat, id illo loco, quem tractamus, brevius complexus est: *rem positam in disceptatione certarum rerum et controversia.*

Sed in nobilissimo quod lib. II. c. 9. exstat, historiae praeconio: *Historia vero testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis, qua voce alia nisi oratoris, immortalitati commendatur?* in illo igitur, cum diu non magis, quam alii, de lectionis veritate dubitassemus, nuper orta nobis est suspicio, in verbis: *vita memoriae* mendum latere. Primum enim illa compositio nobis displicere coepit: *vita memoriae, magistra vitae;* ubi vocabulum *vita* bis deinceps sic poni, ut primo loco *metaphorice*, deinde *proprie* intelligendum sit, inanem quendam verborum lusum habet, a Ciceronis ingenio et elegantia in hoc praesertim libro, valde alienum. Quod ut magis intelligatur, fingamus scriptorem aliquem, germanica lingua utentem complura quae sint *hiemi* attributa, sic enumerare, ut Cicero hic virtutes historiae pro-

prias recenset, interque alia frigentis per hiemem litterarum commercii mentionem facere. Num igitur idoneis elegantiae arbitris probaretur ita scribens: *Der Winter — das Eis des Briefwechsels, der Vater des Eises?* Nempe omnibus displiceat frigida et puerilis inepti acuminis affectatio. Nonne autem in idem vitium incidisset Cicero si sic scripsisset: *Historia — vita memoriae, magistra vitae.* Eodem scilicet modo satis inficete *vitae* vocabulum bis deinceps sic posuisset, ut sensum vocabuli metaphoricum statim sensus proprius exciperet. Accedit autem, quod illa locutio *vita memoriae* ne commodam quidem admittit explicationem. Nam si quis forte sit, qui *memoriam* h. l. non *μνήμην*, sed potius ipsos rerum eventus, qui memoriae mandantur, h. l. intelligi velit, ut Cicero ipse lib. I. c. 2. *veteris cuiusdam memoriae recordationem* pro *rei olim gestae recordatione* dixit, tamen ut hoc urgeamus, haud esse similem in utroque loco loquendi rationem, ista explicatione nihil proficeretur. Cum enim Cicero historiam *testem temporum* et *nuntiam vetustatis* appellasset, frigida sane tautologia usus esset, si vocabulis *vita memoriae*, nihil aliud quam conservationem rerum gestarum significare voluisset. Restat igitur, ut, si vera sit lectio: *vita memoriae*, eam de vi historiae ad facultatem memoriae alendam et firmandam intelligamus. At enim historiae conscribendae ars tantum abest, ut quasi anima quaedam et vita memoriae dici possit, ut potius de ea valeat, quod apud Platonem in Phaedro Thamus omnino de litterarum inventione pronuntiavit, esse eam potius *ὑπομνήσεως* quam *μνήμης φάρμακον.* Itaque Ciceronem scripsisse arbitramur: *Historia vero testis temporum, lux veritatis*, VIA *memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis.* Historia certe recte dici potest *via memoriae*, utpote sine qua memoria rerum gestarum incerta esset, et fluctuaret. Illa vero efficitur, ut res gestas suis quasque temporibus alligemus, quid ante, quid post evenerit in-

telligamus, omninoque eventorum feriem et concatenationem videamus. Et quemadmodum Quintilianus Inft. orat. IV. 5. 3. *maximum* effe *memoriae auxilium* affirmat VIA *dicendi non decedere*, fic hiftoria dici poteft *via memoriae*, quatenus ea perficitur, ut ne rerum geftarum multitudine obruamur, quas nifi fcriptam haberemus hiftoriam, nunquam poffemus memoriae fic mandare, ut temporum et ordinis rerum geftarum confufionem effugeremus.

Lib. III. c. 25. *Ornatur igitur oratio genere primum, et quafi colore quodam et fucco fuo.* Male Wakefieldus ad Lucret. I. 645. pro *fucco* reponendum cenfet *fuco. Succus* translatum eft a corpore fucculento, et ponitur in laude; *fucus* femper eft adventicius, et fere cum vitii nota coniungitur, ut in ipfa huius capitis claufula.

XIX.

In Ciceronis de oratore libros animadversionum Particula II.

Lib. I. c. 33. Craſſus, poſtquam, quid praecepta doctorum hominum, qui artes ſcripſiſſent, ad bene dicendum valerent, ſuo ipſius exemplo, ostenderat, artificiumque conceſſerat habere quaedam, quaſi ad commonendum oratorem, quo quidque referat, et quo intuens ab eo quodcunque ſibi propoſuerit minus aberret, haec addit verba, quae ſequuntur: *Verum ego hanc vim intelligo eſſe in praeceptis omnibus non ut ea ſecuti oratores, eloquentiae laudem ſint adepti, ſed quae ſua ſponte homines eloquentes facerent, ea quosdam obſervaſſe* atque id egiſſe, *ſic eſſe non eloquentiam ex artificio, ſed artificium ex eloquentia natum.* — Acute vidit Erneſti, verba *atque id egiſſe*, h. l. aliena eſſe, et corrupta; quae ſic emendanda eſſe putavit, ut legatur: *ad artemque redegiſſe*, coniectura ſane ingenioſa valdeque probabili. Propius tamen a veſtigiis ſcripturae abfuerit, ſi pro *atque id egiſſe* Ciceronem ſcripſiſſe ſtatuamus: *atque digeſſiſſe;* quo ex verbo transpoſitione quadam litterarum *id egiſſe* librarius aliquis confecerit. Et ſaepius Cicero, cum de arte quadam ex iis rebus quarum ars nondum ſit, efficienda loquitur, utitur vocabulo *digerere;* e. c. l. 41. de iure civili: *poſteaquam eſt editum, expoſitis a Cn. Flavio primum actionibus nulli fuerunt, qui iſta artificioſe* digeſta *generatim componerent.* et cap. 42. *Si enim aut mihi facere licuerit quod iam diu cogito, aut alius quispiam aut me impedito*

occuparit aut mortuo effecerit ut primum omne ius civile in genera digerat *quae perpauca sunt; deinde — — perfectam* artem *iuris civilis habebitis* etc.

Lib. I. c. 36. ubi Craffus turpem effe oratoribus iuris civilis ignorantiam demonftraturus *Potes igitur,* inquit, *oratores putare eos, quos multas horas* exfpectavit, *cum in campum properaret*, et *ridens et ftomachans Scaevola, cum Hypfaeus*, et quae fequuntur; ibi Erneftium offendit verbum *exfpectavit*, eumque in hanc fufpicionem duxit, ut pro eo *toleravit*, aut fimile quid fubftituendum putaret. At nihil hic correctione opus effe videtur. *Exfpectare* enim non folum de iis dicitur, qui aliquem venturum aut aliquid acturum opperiuntur; fed etiam de iis, qui alicui aliquid agenti aut dicenti operam dant, in eoque tempus confumunt. Illud nos dicimus *erwarten*, hoc autem *abwarten* feu *auswarten.* Significat igitur Craffus Scaevolam, quamvis in campum properaffet, tamen ridiculos iftos oratores, iuris civilis infcientia peccantes, et ridentem et ftomachantem multas horas exfpectaffe, curiofum fcilicet et cognofcendi cupidum, quo tandem illi ftultitiae effent progreffuri.

Lib. I. c. 41. *Nihil eft enim quod ad artem redigi poffit, nifi* ille *prius qui* illa *tenet, quorum artem inftituere vult, habeat* illam *fcientiam, ut ex iis rebus, quarum ars nondum fit, artem efficere poffit.* Neminem arbitramur fore, qui aures habeat elegantiae Ciceronis in delectu verborum adfuetas, quin ei crebra repetitio pronominis *ille* moleftia videatur, et fcriptoris non dicamus diligentis, fed non nimis negligentis ftilo indigna. Id autem incommodum facile tollitur, fi hunc in modum corrigatur vitiofa certe, fi quae alia unquam, fcriptura: *Nihil eft enim quod ad artem redigi poffit nifi prius, qui illa tenet, quorum artem inftituere vult, habeat* aliam *fcientiam, ut ex iis rebus* etc. Haec *alia* fcientia, eft ea quae dicitur logica,

quorum praeceptis utique eum imbutum eſſe oportet, qui res quasdam, quarum ars nondum ſit, certa quadam ratione ac via tractare velit. Confirmatur autem iſta emendatio, comparatione eorum, quae cap. 42. ut iſta breviter et obſcurius dicta, planiora fierent, adiecta ſunt. *Omnia fere, quae ſunt concluſa nunc artibus disperſa et diſſipata quondam fuerunt; ut in muſicis numeri et voces et modi; in geometria lineamenta, formae, intervalla, magnitudines; in aſtrologia coeli converſio, ortus, obitus, motusque ſiderum; in grammaticis poetarum pertractatio, hiſtoriarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam ſonus; in hac denique ipſa ratione dicendi, excogitare, disponere, ornare, meminiſſe, agere, ignota quondam omnibus, et diffuſa late videbantur. Adhibita eſt igitur ars quaedam extrinſecus* ex alio genere quodam, *quod ſibi totum philoſophi aſſumunt, quae rem diſſolutam divulſamque conglutinaret, et ratione quadam conſtringeret.* Ut igitur logica hic dicitur *ars ex* alio *genere adhibita*, ſic ibi recte legetur: *habeat* aliam *ſcientiam*, pro vulgato *habeat illam.*

Lib. I. c. 51. Neque vero iſtis tragoediis tuis, quibus uti philoſophi maxime ſolent, Craſſe, perturbor, quod iſta dixiſti, neminem poſſe eorum mentes, qui audirent, aut inflammare dicendo, aut inflammatos reſtinguere, — — niſi qui rerum omnium naturam, mores hominum atque rationes penitus perſpexerit, — — *nobis tamen qui in hoc populo foroque verſamur, ſatis eſt ea* de moribus hominum, *et ſcire et dicere, quae non abhorrent ab hominum moribus.* Spurium videtur illud *de moribus hominum* et a gloſſatoris manu profectum. Nam et per ſe intelligitur, et faſtidium movet auribus, cum ſtatim ſequatur: ab hominum moribus. Denique h. l. non tantum hoc praecipitur, ut orator ea dicat de moribus hominum, quae a vulgari conſuetudine non abhorreant, ſed etiam ut quae forte de natura rerum dicenda ſint, ea ſic dicat, ut non abhorreat ab hominum moribus et communi vitae conſuetudine.

Lib. I. c. 61. quod Craſſus dixerat unumquemque oratorum in ſuo genere quaſi quendam eſſe Roſcium debere, id Antonius veritus, ne maiorem vim ad deterrendum habuerit, quam ad cohortandum, negat quae prava ſint tam faſtidioſe in oratoribus quam in hiſtrionibus ſpectari. *Itaque*, inquit, *nos raucos ſaepe attentiſſime audiri video, tenet enim res ipſa atque cauſa, at Aeſopum ſi paullum irrauſerit; explodi. A quibus enim nihil praeter voluptatem* aurium *quaeritur, in iis offenditur, ſimul atque imminuitur aliquid de voluptate.* Hoc loco *aurium* intruſum videtur eſſe, et ab homine naſutulo, eodem tamen male ſapiente adiectum. Quomodo enim Antonius dicere potuerit, ab hiſtrionibus nullam aliam, quam aurium voluptatem quaeri? Nonne eſt etiam voluptas oculorum e geſtibus? ſenſus interioris ex actionis veritate? Si vero deleatur *aurium*, locus erit communis et late patens: a quibus enim nihil praeter voluptatem quaeritur, in iis offenditur ſimul atque imminuitur aliquid de voluptate.

Lib. II. c. 21. Antonius *Volo enim ſe efferat*, inquit, *in adoleſcente foecunditas; nam* facilius *ſicut in vitibus* revocantur *ea, quae ſe nimium profuderunt, quam ſi nihil valet materies nova ſarmenta cultura excitantur, ita volo eſſe in adoleſcente unde aliquid amputem.* — Corrigendum eſt, ut et vis comparationis magis appareat, et translationis conſtantia ſervetur: *nam ſicut in vitibus* facilius reſecantur *ea quae ſe nimium profuderunt — ita volo eſſe in adoleſcente unde aliquid amputem.* Cum enim proprie dicitur in vitium cultura, *reſecare*, tum hoc verbum aperte reſpondet ei quod ultimo loco adhibitum eſt *amputare.* Adverbium vero *facilius*, niſi poſtponatur, ſequentia *ita volo eſſe etc.* ſoluta potius, quam vincta cum antecedentibus eſſe videantur.

Lib. II. c. 22. *Nihil eſt facilius, quam amictum imitari alicuius aut ſtatum, aut motum. Si vero etiam* vitioſe *aliquid eſt, id ſumere et in eo vitioſum eſſe, non magnum eſt,*

ut ille, qui nunc etiam amissa voce furit in republica Furius, nervos in dicendo C. Fimbriae quos tamen habuit ille, *non assequitur, oris pravitatem et verborum latitudinem imitatur.* Iam Ernesti monuit, et facile admonitus quisque sentiet, in illa ῥήσει: *Si vero etiam* vitiose *aliquid est* depravatum esse vocabulum *vitiose*, propterea quod statim sequitur, *et in eo* vitiosum *esse.* Sic autem emendandum est: *Si vero etiam* insigne *aliquid est*, id *sumere* et *in eo vitiosum esse.* Nam proxime dixerat Antonius: *non ut multos imitatores saepe cognovi, qui* aut *ea, quae* facilia *sunt*, aut *etiam illa quae* insignia *ac paene vitiosa, consectantur imitando.* Iam seorsim duo illa membra persequitur, et primum addit: *Nihil est* facilius *etc.* Deinde, *si vero etiam* insigne *aliquid est*, et quae sequuntur. Paullo post, illa verba *quos tamen habuit ille*, interpolatoris cuiusdam sunt, non Ciceronis. Nam plane hic sunt otiosa et superflua; satisque erat dixisse: *nervos in dicendo C. Fimbriae non assequitur, oris pravitatem et verborum latitudinem imitatur.* Simile quoddam emblema Ernesti in Bruto deprehendit cap. 60. ubi in verbis *cum sermo esset institutus senatu misso*, [*quem Senatum Caesar consul habuisset*] uncis inclusa glossator aliquis adscripsit e superioribus repetita.

Lib. II. c. 56. cum Caesar c. 54. extr. observasset in iocis et facetiis necessarium esse saepe, quod sit hominibus facetis et dicacibus difficillimum, habere hominum rationem et temporum et ea quae occurrant cum salsissime dici possint, *tenere*, h. e. nunc opprimere et praetermittere; id Crassus repetens c. 56. aperuisti quiddam, inquit, quod praecipiendum videretur. Haberi enim dixisti rationem oportere hominum, rei, temporis. — — *Sed hoc praeceptum* praetermittendum *est facetiarum, cum his nihil opus sit, nos autem quomodo utamur, cum opus sit, quaerimus.* Pro *praetermittendum* le-

gendum esse, *praetermittendarum*, dudum Heinzius Gymnasii Vinar. Director monuerat, cum in versione horum librorum germanica ad illum locum pervenisset; atque id ita certum est et clarum, ut Ernestium in nova Ciceronis operum recensione id neglexisse miraremur, nisi humanum esset in longo opere somnum aliquando obrepere.

Lib. II. c. 61. duo exempla proferuntur facete dictorum e verbi ad litteram immutati similitudine. „*Quid hoc Naevio ignavius?* severe Scipio: at in male olentem: *Video me a te circumveniri*, subridicule Philippus." Nemo, quantum meminimus, recte explicavit, quid in Philippi dicto salsum esset. *Circumvenire* forense verbum est; nam cum ab adversario technis quibusdam aut strophis peti se viderent, circumveniri se querebantur. At quid hoc ad male olentem? Id nobis tetigisse videmur. Ista verba si celerius, et certo modo pronuntiarentur, *video me a te circumveniri*, ita sonabant, quasi dictum esset: *video me ad te hircum venire.* Notissimum est foetorem alarum, *hircum* appellatum fuisse; Horat. Sat. I, 2, 27. Quid quod ipsi male olentes *hirci* dicebantur; ut in illo Plautino: Mostell. I, 1, 38. adeoque Philippi iocus ex litterae immutatae similitudine similis erat Ciceroniano illi, in coqui filium, qui suffragium ab eo coram aliis peteret: *Ego* quoque *tibi* iure *favebo.* Quintil. Inst. oratt. l. VI.

Lib. II. c. 66. *Arguta etiam significatio est cum parva re et saepe verbo res obscura et latens illustratur — — ut Asello Africanus obiicienti lustrum illud infelix, „Noli, inquit, mirari; is enim qui te ex aerariis exemit lustrum condidit, et taurum immolavit."* Tanta suspicio *est, ut religione civitatem obstrinxisse videatur Mummius, quod Asellum ignominia levarit.* Sine dubio legendum: *Tacita suspicio est;* quod et antecedens definitio huius ge-

neris confirmat, et illuſtrat ſimilis locutio c. 69. *Salſa ſunt etiam quae habent* ſuſpicionem *ridiculi* absconditam *etc.*

Lib. III. c. 23. Craſſus explicaturus Catulo, quomodo ipſe in tantis occupationibus perdiſcere tam multa potuerit, primum recte animadvertit, omnes artes aliter ab iis tractari, qui eas ad uſum transſerant, aliter ab iis, qui ipſarum artium tractatu delectati nihil in vita ſint aliud acturi. Deinde paucis interiectis ita pergit: *Iſta* diſcuntur facile, *ſi et tantum ſumas, quantum opus ſit et habeas, qui docere fideliter poſſit et ſcias etiam ipſe diſcere.* Sed *ſi tota vita nihil velis aliud agere, ipſa tractatio et quaeſtio quotidie ex ſe gignat aliquid, quod cum deſidioſa delectatione veſtiges. Ita fit ut agitatione rerum ſit infinita cognitio,* facilis uſus *doctrinam confirmet, mediocris opera tribuatur, memoria ſtudiumque permaneat.* In extremis verbis vitium latet a nemine adhuc obſervatum; facili autem medicina tollendum; ſi ita reſcribamus: *Ita ſit*, ut *agitatione rerum ſit* infinita *cognitio*, facilis (*ſcil.* cognitio) *ſi uſus doctrinam confirmet, mediocris opera tribuatur, memoria ſtudiumque permaneat.* Haec enim eadem illa tria ſunt, propter quae Craſſus paullo ante *iſta facile diſci*, iudicaverat. Iam vero haec ſequuntur: „Libet autem ſemper diſcere, ut ſi velim „ego talis optime ludere, aut pilae ſtudio tenear, etiam „fortaſſe, ſi aſſequi non poſſim; at alii quia praeclare „faciunt, vehementius, quam cauſſa poſtulat delectantur, „ut Titius pila, Brulla talis;“ aptior fiet oratio, unius litterulae mutatione, ſignisque diſtinctionis rectius poſitis, hoc modo: ut ſi velim ego talis optime ludere, aut *pila, ſtudio tenear etiam fortaſſe ſi aſſequi non poſſim*, ut in verbis *ſtudio tenear* ſit apodoſis, vulgo perperam neglecta et obſcurata.

Lib. III. c. 32. *Quo quidem magis dubito, tibine plus laudis an Graecis vituperationis esse tribuendum statuas, cum tu in alia lingua ac moribus natus, occupatissima in civitate, vel privatorum negotiis paene* omnibus, *vel orbis terrae procuratione ac summi imperii gubernatione districtus tantam vim rerum cognitionemque comprehenderis.* — Pro *negotiis paene omnibus* forte rescribendum: *negotiis paene obrutus.* Quod confirmari nobis videtur locis I, c. 17. n. 78. et potissimum I, 21. *obruimur ambitione et foro.* Esset hyperbole nimis licentiosa, si Crassus diceretur privatorum negotiis *paene omnibus* districtus fuisse.

XX.

In Ciceronis de Oratore libros animadversionum Particula III.

In secundo libro de Oratore Cicero cap. XXII. ubi quaerentem inducit Antonium, cur inter Graecos singulae aetates singula prope genera dicendi extulerint, maxime id principibus quibusdam viris tribuendum esse censet, quorum dicendi genus sibi multi alii ad imitandum proposuissent. Talem prima aetate, e qua quidem scripta superessent, Periclem fuisse, qui subtile, acutum, breve dicendi genus invexerit, sententiis magis, quam verbis abundans, huiusque similes Alcibiadem, Thucydidemque fuisse. Hos deinde consecutos esse Critiam, Theramenem, Lysiam, qui quidem omnes etiam tum retinerent illum Pericli *succum*, sed essent paullo uberiore *filo*. Hoc loco Ernesti, doctissimus interpres, offensus est inconstantia troporum, quam in *succo* cum *filo* composito reperire sibi videbatur. „Non bene, inquit, consentiunt hi tropi. Sed „non semper tropi ex eodem genere su„muntur, ut debent. Sumtum est *uberiori* filo, a Grae„cis, qui vestes appellant *πυκνοστήμονας, πολλῇ κροκῇ,* „uberiori et densiori subtemine.“ Enimvero id ipsum haud satis constat, utrum in adhibendo *fili* vocabulo Cicero ad artem textoriam respexerit. Quid si *filum* iisdem quoque rebus, quarum proprie *succus* est, recte tribui vincamus? *Succus* primum pomorum olerumque est, deinde vero ad animalium corpora transfertur. Similiter

utriusque generis *fila* aut *filamenta* commode appellari possunt, quae, nobis hodie *fibrae* (*die Fasern*) dicuntur. Sic facile Ciceronem a culpa neglectae, quam inchoaverat, translationis vindicare licet. Videndum vero, quid si ad proprietatem dictionis revocemus, utroque et *ſucci* et *fili* vocabulo significaverit. Periclem dixerat *ſententiis* magis quam *verbis* abundantem fuiſſe. Itaque cum deinde Critiam, Theramenem, Lysiam Pericli *ſuccum* retinuiſſe, sed paullo *uberiore filo* fuiſſe affirmat, quid hoc aliud significat, quam eos in sententiarum subtilitate et acumine Pericli simillimos fuiſſe, in verbis autem ab illa Periclis brevitate et parsimonia receſſiſſe paullulum et verborum copiae atque ubertati magis indulſiſſe? Si igitur in *ſucci* vocabulo translationem ab arborum pomorumque succis petitam eſſe placet, eandem in verbis *uberiore filo* licet agnoscas; cum in pomis eadem varietas deprehendatur, ut quaedam haud minus, quam alia, ſucculenta, carnibus tamen aut pulpa magis abundent. Sic in Sulpicii oratione, quam preſſiorem Antonius eſſe volebat, paullo post affirmat, quemadmodum in herbis, in summa ubertate (*ſententiarum*) ineſſe luxuriem quandam (*verborum*) quae stilo depascenda sit. Sin ab humano corpore, ut saepe, *ſucci* metaphoram ductam exiſtimes, *filum uberius* nihil impedit quo minus ad fibrarum texturam referas; quam aliis in corporibus crebriorem ac denſiorem, in aliis vero rariorem ac ieiuniorem eſſe videmus.

Sed pergit eodem loco apud Ciceronem Antonius: Ecce tibi exortus est Iſocrates, MAGISTER ISTORUM OMNIUM, *cuius e ludo, tanquam ex equo Troiano, meri principes exierunt; ſed eorum partim in pompa, partim in acie illuſtres eſſe voluerunt. Itaque et illi Theopompi Ephori, Philiſti, Naucratae* multique alii NATURIS *differunt*, VOLUNTATE *autem ſimiles ſunt et inter ſeſe et magiſtri, et ii qui ſe ad cauſas contulerunt, ut Demoſthenes,*

Hyperides, *Lycurgus*, *Aeschines*, *Dinarchus*, *aliique complures*, *etsi inter se pares non fuerunt*, *tamen sunt omnes in eodem veritatis* IMITANDAE *genere versati*, *quorum quamdiu mansit imitatio*, *tamdiu genus illud dicendi studiumque vixit.* Hic primum acute vidit Ernesti, verba MAGISTER ISTORUM OMNIUM genuina non esse; quam quidem eius coniecturam, quoniam ipse argumentis haud firmavit, ne corrigendi voluntas pro ratione stetisse videatur ex ipsa orationis serie corroborabimus. Primum enim istis verbis nihil opus erat, MAGISTER ISTORUM OMNIUM; nam cum ex Isocratis ludo principes illos, qui deinceps nominantur, exiisse dictum esset, satis declaraverat is qui dicebat, horum omnium magistrum fuisse Isocratem. Deinde quamquam pronomina *ille*, *iste*, saepissime ad sequentia referri inter omnes constat, hoc loco tamen ambiguitatis vitium exoriretur, quod Cicero unus omnium maxime in scribendo fugere solet; propterea quod auditor, pronuntiatis his verbis MAGISTER ISTORUM OMNIUM definire non potest, utrum ad antecedentia an ad consequentia pertineant. Quod etiam Pearcium hominem doctissimum in errorem induxit, ut illa verba ad eos qui antea nominati erant, Critiam nimirum, Theramenem et Lysiam retraheret, quorum tamen magister Isocrates haud fuerat. Itaque si legatur: *Ecce tibi exortus est Isocrates*, *cuius e ludo tanquam ex equo Troiano meri principes exierunt*, multo elegantius decurret oratio, servabitque illam, quam Ciceroni familiarem fuisse constat, consecutionis perspicuitatem.

Sed in sequentibus verbis: *in eodem VERITATIS IMITANDAE genere*, aliud nobis additamentum deprehendisse videmur, quod nondum quemquam offendisse meminimus. Nempe si VERITAS h. l. significaret, quod Ernestius putabat, *veram et unam probandam rationem dicendi*, non esset cur in vocabulo IMITANDAE laborare-

mus. At enimvero ista vis vocabuli ab hoc loco prorsus aliena est. Antonius enim duo quasi ordines discipulorum Isocratis constituit, quorum alii *in pompa illustres esse* voluerint, h. e. a caussis in foro dicendis abstinuerint, ac vel orationes *epidicticas* tantum, ut Isocrates, scripserint, vel se ad historiam scribendam contulerint, ut Theopompus ceterique cum eo nominati; *alii* vero *in acie;* h. e. in foro; qua quidem similitudine valde delectatum esse scimus Ciceronem, ut eloquentiam forensem cum pulvere et acie militari compararet. Sed ipsum illud *forense dicendi genus* saepissime, quod minime fugiebat Ernestium, VERITAS dicitur; propterea quod *verae causae*, opponuntur *caussis fictis*, quales in rhetorum scholis, aut exercendae declamationis caussa excogitari solebant. Sic Orat. I. 33. cum dicitur: *Equidem probo ista — ut caussa aliqua posita consimili caussarum earum, quae in forum deferuntur, dicatis quam maxime ad* VERITATEM *accommodate;* nihil aliud significatur, quam ratio sic dicendi, quemadmodum in *veris caussis forensibus* opus esset. Eodem modo Orat. II. 19. rhetores appellantur *homines* VERITATIS *expertes* h. e. qui nunquam veras caussas in foro tractarunt. Itaque si Demosthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeschines, Dinarchus *omnes* dicuntur *in eodem* VERITATIS *genere versati*, facile intelligimus quid hoc sibi velit; nempe omnes eos in *caussis forensibus* esse versatos. Cum autem additur IMITANDAE; profecto non magis intelligitur, quomodo illi in VERITATE IMITANDA versati dicantur, quam si dicerentur in *forensibus caussis* IMITANDIS versati. *Agebant* enim caussas, *versabantur* in caussis; non *imitabantur* caussarum veritatem, quod erat eorum, qui vel in scholarum umbraculis ad caussas olim dicendas exercitatione se parabant, vel tota vita nihil aliud agebant, nisi ut declamatorio opere iactarentur. Itaque vocabulum IMITANDAE h. l. non Ciceroni, sed glossatori deberi manifestum est. Verum in superioribus quoque verbis paullulum a vero sensu

fenfu aberraffe Erneftium deprehendimus, feliciorem tot aliorum (quis enim neget?) interpretem. Verba enim *voluntate autem fimiles funt et inter fefe et magiftri* fic interpretatur: *Similes funt omnes inter fe et funt etiam fimiles magiftri Ifocratis venufti, copiofi etc. fed fine vi et nervis.* Imo potius *naturis*, ingeniis, adeoque fcribendi genere diverfos fuiffe, fed *voluntate* h. e. a forenfibus negotiis abftinendi, caufas nunquam attingendi, inter fefe et magiftri fui Ifocratis *fimiles* fuiffe pronuntiat. Similem labeculam abftergemus cap. 24. praefertim in eo loco, ubi plurima rectius quam Pearcius explicavit. Loquitur Antonius de forenfibus oratoribus, qui tempus fibi ad caufas cognofcendas non fumunt. „*Nonnulli*, inquit, *dum operam fuam multam exiftimari volunt, ut toto foro volitare et a caufa ad caufam ire videantur, caufas dicunt incognitas. In quo eft illa quidem magna offenfio vel negligentiae fufceptis rebus, vel perfidiae receptis, fed etiam illa maior opinione quod nemo poteft de ea re, quam non novit, non turpiffime dicere. Ita dum inertiae vituperationem, quae maior eft, contemnunt, affequuntur etiam illam, quam magis ipfi fugiunt, tarditatis.* Quae verba illuftraturus Erneftí fubiicit quae fequuntur; „Voluit, inquit, hunc locum diligentius fuperioribus explicare Pearcius, fed non eft affecutus fatis verum fenfum. *Negligentiae* crimen eft, fi quis fua fponte, non rogatus, caufam aliquam agit (nam hoc eft *fuscipere caufam*) etiam agit propter multitudinem caufarum quas agit male; at *perfidiae*, fi rogatus agit ad fe delatam, (nam hoc eft recipere caufam) et non diligenter et bene agit, nam ita fallit illum" Hactenus optime; ifta vero, quae iam addit, minus bene procedunt. Pergit enim: „Hinc intelligenda fequentia: ita committunt, ut dupliciter reprehendantur, primum quod caufas *non diligenter* et cum fide egerint, deinde quod non fatis intellexerint vel cognofcere potuerint, fintque *tardi ingenio*, quod maxime volunt

effugere." Imo vituperatio *inertiae* h. l. ad imprudentiam et infcitiam, illa vero *tarditatis* ad *pigritiam* pertinet, quam illi qui *operam fuam multam* exiftimari volebant, effugere maxime volebant. Quia nimirum nimis multis negotiis forenfibus fe obruebant, neceffario *caufas incognitas* dicebant. Et quia propter id ipfum fieri non poterat quin plerumque *turpiter* h. e. infcite dicerent, adeoque clientes caufa caderent, hi partim eos *inertiae* nomine vituperabant, quod iuris civilis imprudentia litem perdidiffent, partim etiam *tarditatis*, quod fufpicabantur fegnitie eos et pigritia impeditos fuiffe, quo minus caufam diligentius cognofcerent.

Cap. XLVIII. Antonius ne cui mirum videretur, oratorem in commovendis iudicibus iis ipfis fenfibus animique motibus, ad quos illos adducere velit, commoveri, utitur exemplo poetarum et hiftrionum, affertque verfus nonnullos e Pacuvii tragoedia, quos cum pronuntiaret hiftrio, ardere ex perfona eius oculi videbantur, alios item, quos inflexa ad miferabilem fonum voce flens ac lugens dicebat. Tum ita pergit: *Quae fi ita hiftrio, quotidie cum gereret, tamen* RECTE *agere fine dolore non poterat, quid? Pacuvium putatis in fcribendo leni animo ac remiffo fuiffe?* Iam quae Erneftius ad hunc locum in animadverfionibus notavit, apponemus. „In hoc, inquit, loco femper haefi. Non quaeritur an fine dolore „recte agere potuerit, fed cum toties egiffet, qua re „paullatim fenfus rei minuitur per affuetudinem, tamen „cum dolore egiffe, nec fine dolore potuiffe, hoc dicitur. „Et argumentatio ab hiftrione ad auctorem non procedit. „Ergo aut *recte* delendum eft; aut in eo aliud verbum „latet. Mihi illud verum videtur." Hactenus ille. Et hac quidem opinione adductus uncinis inclufit vocabulum *recte*. Perperam vero. Nam primum quod Erneftius negabat h. l. quaeri, id utique quaerebatur, an hiftrio

recte agere ſine dolore potuerit. Idem enim antea in oratore fuerat obſervatum, cap. 45. *fieri non poſſe, ut* doleat auditor, ut oderit, ut invideat, ut pertimeſcat aliquid, ut ad fletum miſericordiamque deducatur, niſi omnes iis motus, quos orator adhibere velit iudici, in ipſo oratore impreſſi eſſe atque inuſti videantur. Adeoque negat oratorem ſine affectu, ſine dolore partes ſuas *recte* agere poſſe. Quod ne mirum videatur, exemplum affert hiſtrionum ac poetarum. Et hiſtrio quidem illos verſiculos, *recte*, h. e. vere, ad naturam accomodate, pronuntiare atque agere in ſcena non poterat ſine dolore. Ex quo colligit Cicero multo minus poetam ſine dolore ſcribere potuiſſe. In quo mirum eſt Erneſtium audacter quaſi pro imperio edixiſſe, argumentationem ab hiſtrione ad auctorem h. e. poetam non procedere. Imo ſic procedit, ut nihil melius. Addit enim Antonius: *Saepe audivi poetam* BONUM *neminem ſine inflammatione animorum exiſtere poſſe et ſine quodam afflatu quaſi furoris.* Quapropter *κατ᾽ ἀναλογίαν* tria iſta argumenta aeque bene procedunt: Ut nemo orator *recte* cauſſas agere poteſt, ſine animi motu, ſic nullus hiſtrio perſonam tragicam *recte* agere ſine dolore, ſic nemo poeta *bona* carmina fundere leni animo ac remiſſo poteſt. Ceterum de hiſtrionum actione paſſim nuper ab eius artis ſcriptoribus agitata quaeſtio eſt, utrum tutius meliusque ſit proprio dolore efficere, ut veritas in actione appareat, omnisque ſimulationis fictaeque imitationis ſpecies prorſus tollatur, an potius artis magnitudine conſequendum, ut quum ipſi ſint a vera animi permotione alieni, tamen in ſcena, diligenter expreſſis perturbationum ſignis, incenſi animis atque inflammati theatro videantur.

Cap. LIII. *Nam ex illa lenitate, qua conciliamur iis qui audiunt, ad hanc vim acerrimam, qua eosdem excitamus influat oportet aliquid, et ex hac vi nonnunquam animi aliquid* INFLAMMANDUM *eſt illi lenitati.* Dubium

esse nemini potest corruptum hic esse *inflammandum.* Hactenus Ernestio facile concedimus. Iidem tamen sic eiiciendum esse, ut nihil in eius locum substituatur, nondum persuadere nobis potuimus. Nam si Cicero alterum hoc membrum *et ex hac — illi lenitati* ab antecedente verbo *influat* pendere voluisset, quomodo librario aut glossatori in mentem venire potuisset, ut hoc loco *inflammandum*, quo nihil hic minus aptum esse poterat inculcaret, prorsus non intelligitur. Sed si cum Melanchthone, Guilielmio et Pearcio statuamus *inflandum* a Cicerone scriptum esse, nulla erit offensio. Nam hoc facile potuit a librariis in *inflammandum* detorqueri; et *inflandum* recte dicitur pro *inspirandum;* denique *animi aliquid inflare lenitati* aptissime hic ponitur; *man muss dieser sanften Art des Vortrags zuweilen aus der Fülle der pathetischen etwas Lebensgeist einhauchen.*

Cap. LIV. *Ego vero — omni de re* FACETIUS *puto posse ab homine non inurbano quam de ipsis facetiis, disputari.* Hic Gruterus e Mss. laudabat FACILIUS pro FACETIUS, illud et ipse probabat, nec Ernesti se valde repugnare ait. Verumtamen idem recte intellexit valde frigere, si *facilius* legatur, pronomen *ipsis* quod sequitur. Recte. Neque tamen hoc unicum est, quo lectionis FACETIUS veritas asseritur. Nam paullo post sequuntur ista: *Qui eius rei rationem quandam conati sunt artemque tradere, sic* INSULSI *exstiterunt, ut nihil aliud eorum, nisi ipsa insulsitas rideatur.* Ex quibus intelligitur, Caesari hanc mentem fuisse dum ista diceret, de *facetiis* disputari aliter nisi *inficete*, *insulse* non posse, quod ille sic efferebat: de omni re *facetius*, quam de ipsis *facetiis* posse disputari.

Pergit eodem loco Caesar: *Itaque cum quosdam Graecos inscriptos libros esse vidissem de r i d i c u l i s*, NONNULLAM *in spem veneram posse me aliquid ex istis discere.* Ernestium h. l. offendebat *nonnullam.* „Quomodo enim,

„ait, potuit aliquid ſperare qui ita, ut dixit, de ea re „iudicaret. Credo Ciceronem ſcripſiſſe NONULLAM. —“ Imo nihil vulgata lectione verius. Caeſar putabat omni de re facetius poſſe ab homine non inurbano quam de ipſis facetiis diſputari. Sed huic opinioni nondum tantum tribuebat, ut ſe errare non poſſe confideret, adeoque cum quosdam Graecos inſcriptos libros eſſe vidiſſet DE RIDICULIS, *nonnullam* in ſpem venerat, poſſe ſe aliquid ex iſtis diſcere. Non multum ſane ſperabat, ſed tamen aliquid; eamque ipſam ſpem quamvis exiguam tamen ait deceptam fuiſſe.

C. LIX. Ubi de ridiculo ex imitatione agitur, Caeſar: *Ex hoc genere*, inquit, eſt *illa Roſciana imitatio ſenis: Tibi ego Antipho has ſero*, inquit. *Senium eſt cum audio.* Non erat cur Erneſtius a Pearcii ſententia diſcederet, qui recte putabat in his verbis iudicium eſſe Craſſi de illa imitatione Roſcii, ſc. tam felicem illam fuiſſe, ut audiens eam ipſum ſenium audiſſe videatur. Nam, quod ille hic reperiſſe ſibi videbatur aliud exemplum imitationis, nullum eſt. Attamen a Cicerone ſcriptum fuiſſe opinamur; *Senium eſt* QUOD *audio.*

Cap. LXII. *Obſcoenitas non ſolum non foro digna, ſed vix convivio liberorum.* Ad h. l. Erneſtio videbatur delendum eſſe *liberorum.* „Quorſum enim, inquit, additur? „An de convivio ſervorum in mentem cui venire poteſt?“ Quidni autem? Notum eſt, ſervos, ut hodie homines de plebe, tum ſibi facetiſſimos viſos eſſe, ubi quam plurima obſcoeniſſima dicerent. Adeoque Caeſar apud Ciceronem l. l. hoc ſignificat, etiamſi obſcoene dicta ſervorum conviviis concedantur; tamen ea in conviviis liberorum hominum et liberaliter educatorum vix ferenda eſſe, nedum ut in foro, ubi a populi maieſtate et iudicum ſeveritate quam maxime diſcrepent, tolerari poſſint.

XXI.

De lectione aliquot locorum in Cic. orat. pro Quintio commentatio.

P. Quintius cuius caufam Cicero hac oratione defendit, fratrem habuit C. Quintium. Is cum Sex. Naevio, praecone, homine quaeftus quam aequitatis cupidiore, inductus confuetudine ac familiaritate, focietatem fecit earum rerum, quae in Gallia comparabantur. Qua in focietate cum per complures annos faepe fufpectus Quintio Naevius fuiffet, mortuus eft repentino in Gallia Quintius, cum Naevius adeffet, heredemque teftamento fratrem P. Quintium reliquit. Hic paullo poft in Galliam profectus, annum fere cum Naevio familiariter vixit, neque interea verbum ullum interpofuerat Naevius aut focietatem fibi quidpiam debere, aut privatim Quintium debuiffe. Sed aeris alieni aliquantulum erat relictum, quibus nominibus pecuniam Romae curari oportebat; hanc ut conficeret Quintius Narbone in Gallia auctionem inftituere decrevit earum rerum, quae ipfius erant privatae. Sex. Naevius hominem deterret, ne auctionetur; ait enim non ita commode poffe eo tempore, quae profcripfiffet, vendere; nummos ei ad diffolvenda nomina Romae daturum pollicetur. Tum Quintius, Naevii fide fretus, certo die Scapulis creditoribus numeraturum fe pecuniam promifit. Ecce autem, cum folutionis dies veniffet, admonitus de pecunia Naevius affem fefe negat daturum, nifi prius de rebus rationibusque focietatis

omnibus decidiſſet, et ſciſſet, ſibi cum Quintio controverſiae nihil futurum. Deſtitutione illa perculſus Quintius, deteriore tempore abſens auctionatur, Scapulisque difficiliore conditione diſſolvit. Tunc appellat ultro Naevium, ut quam primum diſceptatione de communi dividundo, itemque pro ſocio iudicio facta, tota res transigeretur. Arbitris ab utroque datis, cum res convenire non poſſet, vadimoniis ſaepe dilatis, cum iam aliquantum temporis in ea re eſſet conſumtum, neque quidquam profectum eſſet, venit ad vadimonium Naevius, ait, ſe auctionatum eſſe in Gallia, quod ſibi videretur, ſe vendidiſſe; curaſſe, ne quid ſibi ſocietas deberet, ſe iam neque vadari amplius neque vadimonium promittere, ſi quid agere ſecum velit Quintius, non recuſare. Quintius, qui rem Gallicanam cuperet reviſere, hominem in praeſenti non vadatur. Ita ſine vadimonio diſceditur. Quintius poſt XXX dies in Galliam proficiſcitur. Ubi eum ſatis longe Roma abeſſe Naevius intellexit, denuntiat amicis et neceſſariis ut ſibi ad tabulam Sextiam adſint poſtridie; qui cum veniſſent, teſtificatur iſte *P. Quintium non ſtitiſſe, et ſe ſtitiſſe;* tabulae ſignis teſtium conſignantur; poſtulat a Burrieno praetore Naevius, ut ex edicto bona Quintii, (propterea quod vadimonium deſeruiſſet) poſſidere liceat. Quo impetrato, ſtatim propoſitis libellis iubet bona Quintii proſcribi. Libellos Sex. Alphenus, procurator P. Quintii, deiicit; ſervulum unum, quem iſte prehenderat, abducit, denuntiat ſeſe procuratorem eſſe; iſtum aequum eſſe ſamae fortunisque P. Quintii conſulere, et adventum eius exſpectare; quod ſi facere nolit, ſeſe nihil precari, et, ſi quid agere velit, iudicio defendere. Re ad iudices delata, poſtulat Naevius ut procurator iudicatum ſolvi ſatisdaret. Negat Alphenus aequum eſſe procuratorem ſatisdare, quod reus ſatisdare non deberet, ſi ipſe adeſſet. Denique appellatis tribunis, ita diſceditur, ut Idibus Sept. P. Quintium ſiſti Sex. Alphenus promitte-

ret. Venit Romam Quintius; vadimonium fiftit. Tum Naevius, ut novis cavillationibus hominem extraheret, annum et fex menfes nihil petit, conditionibus eum producit, a Dolabella denique praetore poftulat, ut fibi Quintius iudicatum folvi fatisdet ex formula, QUONIAM EX EDICTO PRAETORIS ROMANI BONA DIES XXX POSSESSA ESSENT. Id nullo modo Quintius perferre ac pati poterat, propterea quod vifus effet concedere, fe olim vadimonium deferuiffe, ideoque bona fua creditori addicta fuiffe. Ceterum non recufabat, quin ita fatisdare iuberet SI *bona poffeffa effent ex edicto.* Tum enim, antequam fatis acciperet, Naevio demonftrandum erat, quod is rite facere non poterat, fe Quintii bona ex edicto praetoris XXX dies poffediffe. Dolabella vero nulla Quintii ratione habita, iniquiffime decernit. „*Iubet Quintium fponfionem cum Sex. Naevio facere, aut fatisdare,* SI BONA SUA EX EDICTO P. BURRIENI PRAETORIS DIES XXX POSSESSA ESSENT.“ Ita quidem nunc legitur in editionibus noviffimis. At enim non intellexerunt viri docti hanc formulam práetoris h. l. fic enuntiatam confequentibus repugnare. Iam enim antea Cicero narraverat. Quintium haud recufaffe, quo minus ita fatisdare iuberet, SI *bona poffeffa effent ex edicto.* Si igitur praetor Quintium iuffiffet aut fponfionem cum Naevio facere, aut fatisdare, addita illa formula SI *bona fua* etc. profecto Quintius id, quod iam antea placere fibi profeffus erat, haud recufaffet. Atqui utrumque, quod ex fequentibus intelligitur, recufabat; nam illa conditione, quam Praetor propofuerat, nec fponfionem facere, nec fatisdare voluit. Quae cum ita fint, totam illam formulam: *Si bona fua ex edicto P. Burrieni Praetoris XXX dies poffeffa effent* ad fponfionem, non ad fatisdationem pertinere cenfendum eft, et verba illa, *aut fatisdare* primo loco ponenda, ita ut hoc ordine procedant: *Iubet P. Quintium aut fatisdare,* (nempe fimpliciter) *aut fponfionem cum Naevio facere,* NI

BONA SUA EX EDICTO P. BURRIENI PRAETORIS XXX DIES POSSESSA ESSENT. Res igitur huc redit: Quintius nolebat ſatisdare, ex formula: QUONIAM *bona ſua ex edicto dies XXX poſſeſſa eſſent;* non recuſubat autem ſatisdare ex formula SI *bona poſſeſſa eſſent.* Iniquus autem praetor *iubet Quintium aut* ſimpliciter iudicatum ſolvi *ſatisdare, aut ſponſionem cum Sex. Naevio facere,* NI *bona ſua etc.* Utrumque recuſabant, qui aderant cum Quintio. *Demonſtrabant de re iudicium fieri oportere,* (h. e. antea prius diſceptandum eſſe uter utri deberet; aut verumne eſſet, Quintium vadimonium Naevio promiſſum haud ſtitiſſe) *ut aut uterque inter ſe, aut neuter ſatisdaret; non neceſſe eſſe famam alterius in iudicium venire.* Si enim uterque ſatisdaret, neutri id probroſum aut ignominioſum erat; ſin autem ſolus Quintius ſatisdare cogeretur, fama eius et exiſtimatio in diſcrimen adducebatur. Etenim hac ſatisdationis conditione impoſita iudex videbatur ſignificare, eum conſilii de fraudando ſocio ſuſpectum eſſe. Quae ſuſpicio quam ignominioſa fuerit, intelligitur ex orat. pro Roſcio Comoedo, cap. VI. ubi Cicero, *ſi qua enim ſunt,* inquit, *privata iudicia ſummae exiſtimationis, et paene dicam capitis, tria haec ſunt fiduciae, tutelae, ſocietatis. Aeque enim perfidioſum et nefarium eſt fidem frangere, quae continet vitam, et pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit, et ſocium fallere, qui ſe in negotio coniunxit.* — Iam igitur clamabat ipſe Quintius, *ſeſe idcirco nolle ſatisdare, ne videretur iudicaſſe bona ſua ex edicto poſſeſſa eſſe.* (Atqui qua ratione poterat hoc iudicaſſe videri, ſi praetor clauſulam adieciſſet, *ſi bona ſua etc.?* Denuo igitur patet falſo illam clauſulam in textu vulgari ad illa verba *aut ſatisdare* referri.) *Sponſionem porro ſi iſtius modi faceret* (cuiusmodi autem? hoc prorſus obſcurum eſt et incertum, niſi ſic legatur antea: *Iubet P. Quintium aut ſatisdare, aut ſponſionem cum Sex. Naevio facere* NI *bona ſua poſſeſſa eſſent.* Hoc enim modo definitur ac declaratur

ſponſionis ratio, quae absque illa formula infinita et prorſus ambigua fuiſſet.) *Sponſionem* igitur *iſtius modi ſi faceret, intelligebat Quintius, ſe de capite ſuo priore loco cauſam eſſe dicturum.* Capitis cauſam h. l. dici eam, qua quis de fama periclitetur, dudum obſervatum eſt ab interpretibus. At quamobrem Quintii cauſa cum infamiae ſ. ignominiae periculo coniuncta fuerit, de ea re inter viros doctos haud convenit. Sunt qui id ad vadimonium a Quintio deſertum referant. Sic Erneſti in Clav. Cic. v. *Caput.* explicat. „Quia Quintius, inquit, vadimonii deſerti inſimulabatur, male autem audiebant, et negligentes diſſolutique putabantur, qui vadimonia deſeruiſſent, adeoque lites perderent, propterea capitis cauſa dicitur, in qua ſcilicet bona Quintii fama laboret.“ Sed in tota oratione, non de ea dicitur ignominia, quae hominum tantum opinione ac iudicio continetur, verum de infamia civili et legitima, quae ex edicto praetoris vel iudicum ſententia conſequitur. Nempe edictum praetoris Burrieni eius tantum bona proſcribi iuſſerat *qui fraudationis cauſa latitaſſet; qui exſulii cauſa ſolum vertiſſet, quem nemo abſentem defendiſſet.* Iam ſi Quintius a ſocio in ius vocatus, vadimonio deſerto actione pro ſocio condemnatus fuiſſet, utique legitima fuiſſet infamia oppreſſus. Eos enim qui pro ſocio condemnati ſint Iulianus quoque inter infames numerat, *l.* 1. D. *de his qui notantur infamia.* Famae vero maculam Quintio metuendam a Cicerone non a vadimonii deſerti culpa, ſed ex edicto praetoris repeti, quo ſibi Naevius Quintii bona, ita ut etiam proſcribere liceret, addicta eſſe contendebat, nemo profecto dubitare poteſt, qui verba cap. XV. legerit, quae ſequuntur: *Ad vadimonium non venerat, ut ais, is, quicum tibi affinitas, ſocietas omnes denique cauſae et neceſſitudines veteres intercedebant. Illicone ad praetorem ire convenit? continuone verum fuit, poſtulare, ut ex edicto bona poſſidere liceret? ad haec extrema et inimiciſſima iura tam cupide decurrebas, uti tibi nihil in poſterum,*

quod gravius et crudelius facere posses reservares? Nam quid homini potest turpius, quid vero miserius aut acerbius usu venire? Quod tantum evenire dedecus, quae tanta calamitas inveniri potest? Pecuniam si cuipiam fortuna ademit, aut si alicuius eripuit iniuria, tamen, dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatem. At non nemo aut ignominia affectus, aut iudicio turpi convictus bonis quidem suis utitur, alterius opes, id quod miserrimum est, non exspectat; hoc tamen in miseriis adiumento et solatio sublevatur. Cuius vero bona venierunt, cuius non modo illae amplissimae fortunae, sed etiam victus vestitusque necessarius sub praecone cum dedecore subiectus est, is non modo ex numero vivorum exturbatur, sed, si fieri potest, infra etiam mortuos amandatur. ETENIM MORS HONESTA SAEPE VITAM QUOQUE TURPEM EXORNAT, VITA TURPIS NE MORTI QUIDEM HONESTAE LOCUM RELINQUIT. *Ergo hercule cuius bona ex edicto possidentur, huius omnis fama et existimatio cum bonis simul possidetur; de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem certe tacite obscureque conceditur; cui magistri fiunt, et domini constituuntur, qui qua lege et qua conditione pereat, pronuntient; de quo homine praeconis vox praedicat et pretium conficit; huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur; si funus id habendum sit, quo non amici conveniant ad exsequias cohonestandas, sed bonorum emtores, ut carnifices, ad reliquias vitae lacerandas et distrahendas.*" Satis, ut opinamur, declaravit Cicero, se infamiae periculum, quod Quintio ex hac lite imminebat, in ipso illo praetoris edicto ponere, quo Naevius eius bona sibi adiudicata esse contendebat, eorumque proscribendorum ius et potestatem affectabat. Sed in pulcherrimo illo, quem descripsimus loco, recte offensi sunt critici hac sententia: ETENIM MORS HONESTA SAEPE VITAM QUOQUE TURPEM EXORNAT, VITA TURPIS NE MORTI QUIDEM HONESTAE LOCUM RELINQUIT. Quid enim? An *mors honesta* vitam *turpem* potest EXORNARE? Satis profecto sit, si vitae turpiter

actae memoriam obliteret! Itaque negat Ernesti vocabulum *exornare* premendum esse, q. d. si quis honeste, ut pro patria pugnans etc. moritur, obliterat ea mors memoriam vitae superioris honestate mortis. Sed *exornare* nunquam potest significare idem quod *obscurare*, *obliterare*. Semper potius significat, *id quod vulgare est extollere*, *rebus vilibus et inornatis ornamenta addere*. Deinde si vel maxime hanc sententiam his verbis a Cicerone expressam, nihilque a librariorum manu passam esse concedamus, ferri tamen id quod sequitur haud potest: *vita turpis ne morti quidem honestae locum relinquit*. Si enim mors honesta saepe vitam turpem exornat, necessario sequitur saepe quoque vitam turpem honestae morti locum relinquere. Itaque Graevius hic Ciceronem inanitatis declamatoriae insimulat, qui quid diceret, prae studio concinnitatis ex relatione contrariorum petitae, parum cogitaverit. Merito id repudiatum est ab aliis; qui suspicionem de corruptela huius loci per librarios illata movere coeperunt. Et Hotomannus quidem reponendum censebat: *Vita haec turpis ne morti quidem honestae locum relinquit*. Facciolatus autem: *Vita ita turpis* etc. Sed veremur ut haec medela ad locum persanandum sufficiat. Cicero enim in Quintii periculo, *turpitudinem* a *miseria*, *dedecus* a *calamitate* distinxerat; affirmaveratque, si ei acciderit, ut bona eius ex edicto praetoris vendantur, id aeque turpe et probrosum ac miserum et calamitosum fore. Tum illud adiunxerat, facilius esse ferendum, si quis vel pecuniam existimatione integra, vel famam salvis opibus perdiderit; utriusque autem et rei familiaris et famae iacturam prorsus intolerabilem esse; cui enim illud acciderit, eum non modo ex numero vivorum exturbari, sed si fieri possit, etiam infra mortuos amandari. Eandem igitur relationem inter ea quae ad existimationem, et quae ad fortunas opesque pertinent, credibile est Ciceronem in sequentibus quoque servasse. Sed si scripsisset: *Etenim mors honesta saepe vitam quoque turpem*

exornat, non *famam* cum *fortunis* ut antea, fed malam ex vita turpiter gefta famam, cum bona fama ex honefta morte compofuiffet. Deinde fi addidiffet: *vita turpis ne morti quidem honeftae locum relinquit*, aperte iis quae vix pronuntiaverat verbis repugnaffet. Quapropter tum antecedentibus, tum confequentibus verbis inter fe comparatis, fic arbitramur a Cicerone fcriptum effe: *Etenim mors honefta faepe vitam quoque* MISERAM *exornat: vita turpis et* MISERA *ne morti quidem honeftae locum relinquit.* Prioris commatis veritatem confirmat id quod Cicero antea dixerat: *dum exiftimatio eft integra, facile confolatur honeftas egeftatem;* alterum vero ita ut diximus fcribendum effe, non folum tota conclufionis vis, verum etiam confequentis orationis perpetuitas nobis perfuadet. Cicero enim fic argumentatur: Si bona Quintii, ipfo vivente ac vidente profcribuntur, ne honeftae quidem mortis locus ei relinquitur. Si enim nihil aliud haberet bonorum iactura, nifi ut ad egeftatem et miferiam redigeretur, effet tamen aliquod in honefta morte folatium; fed bonis ex edicto praetoris divenditis non folum fortunis omnibus exuitur, verum etiam turpi iudicio pro focio condemnatus, famae et exiftimationis iacturam facit. Itaque talis vita, *turpis et mifera*, ne morti quidem honeftae locum relinquit. Idem fequentibus verbis declaratur. Cum enim dicit: *Ergo hercule, cuius bona ex edicto poffidentur, huius omnis fama et exiftimatio* cum *bonis fimul poffidetur; de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem certe tacite obfcureque conceditur;* quid aliud fignificat, quam id quod eum antea fcripfiffe dicimus, *vitam turpem et miferam ne honeftae quidem morti locum concedere?* In extrema quoque oratione identidem Cicero *turpitudinis* et *miferiae* notiones coniungit, et utriusque periculum in hac lite Quintium fubire demonftrat.

Reftat ut explicemus, qui factum fit, ut fponfio a Quintio facta eum in neceffitatem in capitis caufa priore

loco dicendi adduxerit. Nimirum hoc non factum eſt diſerto Dolabellae edicto, ut nonnulli interpretum opinati ſunt, verum ex ipſa ſponſionis ratione conſecutum eſt. Stipulabatur enim Quintius a Naevio: *Spondesne ſacramentum ſi bona mea ex edicto praetoris poſſeſſa non ſint;* adeoque primo loco cauſam dicere debebat Quintius, *ut negaret bona ſua poſſeſſa eſſe*, quia quaſi petitoris locum ſuſtinebat, cui deinde Naevius, unde petebatur, reſpondebat. Sed in hoc ipſo verſabatur iniquitas conditionis, quae Quintium in iſtius modi ſponſione facienda premebat; haec erat optio ei data tam miſera, quam Cic. c. IX. memorat, tamque iniqna, ut aut ipſe ſe capitis damnaret, ſi ſatisdediſſet, aut cauſam capitis, ſi ſponſionem feciſſet, priore loco diceret.

XXII.

Animadverſiones in Cic. Tuſculanarum diſputationum libros I. II.

In Tuſculanarum diſputationum lib. I. c. 34. Cicero poſtquam mentionem iniecerat libri Hegeſiae, qui inſcriptus erat, ἀποκαρτερῶν, quod a vita quidam per inediam diſcedens, revocabatur ab amicis, quibus reſpondens vitae humanae enumerabat incommoda, illo igitur commemorato haec adiicit: Poſſem ID facere, etſi minus quam ille, qui omnino vivere expedire nemini putat. *Mitto alios.* ETIAMNE *nobis expedit qui et domeſticis et forenſibus ſolatiis ornamentisque privati, certe ſi ante occidiſſemus, mors nos a malis, non a bonis abſtraxiſſet.* Bene obſervat Erneſii, pro *poſſem* ID *facere*, melius legi *p.* IDEM *facere.* At non aeque feliciter in ſequentibus verbis, *etiamne nobis expedit*, corrigendis verſatus eſt, quamquam et hic aliquid vitii ſubeſſe, acute divinavit. Nimirum ei viſum eſt ſic emendari oportere: *etiam nobis expediſſet.* Quod a vera ſententiae conſecutione alienum eſt. Imo potius hoc modo legendum: *Mitto alios.* SED IAMNE *nobis expedit etc.?* Cicero enim non is eſt qui neget, omnino vivere cuiquam expedire; neque vero ſibi olim vitam vitalem fuiſſe infitiatur; quaerit tantum an ſibi nunc iam vivere expediat; idque poſtquam illa formula praeteritionis uſus fuerat, *mitto alios*, ita eloquitur, ut dicat: *Sed iamne nobis expedit* etc.?

Cap. 35. *Sit igitur aliquis qui nihil mali habeat, nullum a fortuna vulnus acceperit. Metellus ille* HONORATUS *quatuor filiis; at quinquaginta Priamus, e quibus septem et decem iusta uxore natis. In utroque eandem habuit fortuna potestatem, sed usa in altero est. Metellum enim multi filii, filiae; nepotes, neptes in rogum imposuerunt: Priamum tanta progenie orbatum cum in aram confugisset, hostilis manus interemit.* Ernesti Davisium secutus in textum recepit *honoratis;* idque eo spectare putabat, quod quatuor Metelli filii magistratibus essent functi, quos quidem Romana consuetudo *honoratos* appellet. Verumtamen haec eo non valent, ut consensum codicum omnium h. l. negligamus. Nam *honoratus* pertinet ad honorem qui ex magna prole, et felici potissimum successu suscepta ad patrem redundat; idque non ad Metellum solum, sed etiam ad Priamum refertur. Deinde, ubi Cicero de Priamo loquens, ita pergit: *Hic si vivis filiis, incolumi regno occidisset — — utrum tandem a bonis an a malis discessisset? Tum profecto videretur a bonis. At certe ei melius evenisset, nec tam flebiliter illa canerentur:*

Haec omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari,
Iovis aram sanguine turpari.

Quasi vero ISTA, *vel quidquam tum potuerit ei melius accidere.* Haeserunt viri docti in verbis *quasi vero ista.* Bentleius correxit *quasi vero ista vi quidquam tum potuerit ei melius accidere.* Buherius: *quasi vero ista nece q. t.* etc. Ernesti suspicabatur excidisse *mala*, scriptumque fuisse, *quasi vero ista mala*, vel *quidquam* etc. Vulgata tamen sic defendi potest, ut verba *tum potuerit ei melius accidere*, non cum *quidquam* solum, sed etiam cum *ista* coniungantur; *quasi vero ista potuerint ei melius accidere, vel quidquam aliud tum potuerit* etc. Sin autem opus fuerit correctione, Bentleii rationem multum ceteris praeferendam arbitramur, ut quae non mollissima tantum, verum etiam ad sensum aptissima sit.

Per-

Pergit Cicero: *Quod si ante occidisset tamen eventum omnino amisisset, hoc autem tempore sensum malorum amisit.* Iure post alios Ernestium offendit illa structura *eventum amittere.* Verum quod vir κριτικώτατος vocabulum *eventum* induci, pro eoque *regnum* scribi voluit, id nobis certe non persuasit. Auctor ita potius dedisse videtur: *Quod si ante occidisset tamen eventum* (scil. malorum) *omnino; hoc autem tempore sensum malorum amisit.* Supplevit librarius aliquis vel grammaticus *amisisset*, post *omnino*, eoque venustatem dictionis corrupit. Nam etsi ex verbo *amisit* in quo finitur periodus, anticipanda est notio quaedam communis post *eventum omnino*, non tamen idem illud verbum hic diserte inculcandum erat. Utitur enim Cicero zeugmatis figura, quam alii syllepsin vocant, qua duabus rebus unum tribuitur verbum minime utrisque conveniens. Itaque *sensum amittere malorum* bene dicitur; *eventum amittere* non item. Quia tamen in *amittendi verbo* inclusa est notio *cavendi*, s. *non videndi;* ideo fit, ut *eventus malorum* et *sensus malorum* h. l. uno eodemque verbo copulatur. Quae cum ita sint, Ciceronis verba sic accipienda, ac si scripsisset; *quodsi ante occidisset, tamen eventum malorum omnino non vidisset, s. vivendo non attigisset, hoc autem tempore sensum malorum amisit.* Similis est forma loquendi cap. 40. VADIT *in eundem* CARCEREM, *atque in eundem paucis post annis* SCYPHUM *Socrates;* ubi non erat cur verbum *vadit*, sollicitaretur a viris doctis.

Lib. II. c. II. M. *Fuisti saepe credo, cum Athenis esses, in scholis philosophorum* A. *Vero, ac libenter quidem.* M. *Animadvertebas igitur etsi tum nemo erat admodum copiosus, verumtamen versus ab his admisceri orationi.* A. *Ac multos quidem a Dionysio Stoico.* M. *Probe dicis. Sed is quasi dictata, nullo dilectu, nulla elegantia; Philo noster* ET PROPRIUM NUMERUM, *et lecta poemata, et loco adiungebat.* Ernesti iis assentitur, qui delenda putant verba *et proprium numerum*, quae nec a se intelligi, nec a quo-

quam explicata esse scribit. Itaque ea uncinis inclusit. Sed si h. l. tria membra comparationis admittamus, non deest commodae horum verborum interpretationi locus. Etenim si Cicero hoc dicere voluit, Dionysium Stoicum versus admiscuisse orationi, *primum* quasi dictata, *deinde* nullo dilectu, *postremo* nulla elegantia, necesse est tribus his in Dionysio vituperatis, tria item alia quae in Philone laudentur opponi. Adeoque recte procederet oratio: Philo noster ET *proprium numerum*, ET *lecta poemata*, ET *loco adiungebat*. Quaerendum igitur est, quomodo illa inter se opponantur tamquam contraria, versus quasi dictata pronuntiare, *et* proprium numerum versibus adiungere. Atqui hoc explicare non adeo difficile est. Qui versus tamquam dictata pronuntiat, is non curat ut pronuntiatio versiculorum argumento accommodetur; dictantis enim animus a celeritate scribentis suspensus id solum agit, ut omnia verba clare satis ac distincte efferantur, ne sit quod scribentis vel aurem lateat, vel calamum effugiat. Contra qui *proprium numerum versibus adiungit*, is curat, ut singulos pro cuiusque argumento vel altius, vel inferius pronuntiet, ut attollatur concitatis affectibus, ut compositis descendat, denique ut aliter sententiose dicta eloquatur, aliter ea proferat, in quibus alacritas quaedam sensuum aut animorum perturbatio regnet. Fieri igitur potuit, ut Cicero Philonis consuetudinem in versibus poetarum orationi immiscendis hasce tres ob causas commendare vellet; primum quod eos non quasi dictata recitaret, sed apte pronuntiaret, adeoque *proprium* iis *numerum adiungeret;* deinde quod non promiscue omnibus, sed lectis tantum poematibus uteretur; postremo quod non omnes ubique versiculos inserciret, sed eos loco adhiberet, curaretque, ne aliunde potius in orationem traducti, quam ex ipsius sermone nati esse viderentur. His igitur rationibus hoc saltem efficitur, nisi alia argumenta accesserint, nondum satis in iis, quae allata sunt a Criticis, praesidii esse, ut

spuria esse illa verba, *et proprium numerum*, atque Ciceronis textu eiicienda putemus.

Eod. lib. cap. 17. in verbis: *certe Eurypylus hic quidem est. Hominem exercitatum!* [*ubi tantum luctus continuatur?*] *Vide quam non flebiliter respondeat*, *rationem etiam afferat*, *cur aequo animo sibi ferendum sit;* ea quae uncis inclusimus, aut prorsus corrupta, aut insititia sint necesse est. Nam vel omni sensu destituitur illa quaestio: *ubi tantum luctus continuatur?* vel si quem extorseris, certe huic loco minime aptus est.

II. 23. *Ingemiscere nonnunquam viro concessum est*, *idque raro; eiulatus ne mulieri quidem.* Ernestii negat sibi placere *idque;* quod necessario tamen servandum. Ac ne quis putet adiectum *raro* h. l. frigere, propter antecedens *nonnunquam*, observandum est utrumque non ad idem verbum referri. *Nonnunquam* enim cum *concessum est*, *raro* cum *ingemiscere* iungendum. Nimirum nonnunquam conceditur viro, ut ingemiscat, modo gemitus non crebros, sed raros edat.

Ibid. paulo ante: *Ut onera contentis corporibus facilius feruntur*, *remissis opprimunt*, *simillime animus intentione sua depellit pressum omnium ponderum*, *remissione autem sic urgetur ut se nequeat extollere.* Ernestio vitium hic latere videtur, quod sibi membra non satis respondeant; existimatque *remissa* sc. corpora, legendum esse. Quae quidem verborum structura, quamvis elegans, non tamen adeo necessaria est, ut vulgarem expellere debeat. Nam *contentis corporibus*, et *remissis* ablativi consequentiae sunt; verbaque *feruntur* et *opprimunt* vel absolute posita, vel cum ellipsi quadam satis frequente q. d. ut onera contentis corporibus facillime feruntur sc. *a nobis*, *remissis opprimunt* scil. *nos.* Praeterea Ernestii correctio duplici incommodo laborat. Primum insuavem vocalium hiatum parit, *remissA Opprimunt;* deinde ambiguitatem quoque

gignit structurae, quod qui legerit, *ut onera contentis corporibus facilius feruntur*, *remissa opprimunt*, ambigere potest, participium *remissa* ad *onera*, an ad *corporibus* referendum sit.

II. 25. *Heracleotes Dionysius cum a Zenone fortis esse didicisset, a dolore* DEDUCTUS *est. Nam cum ex renibus laboraret ipso in eiulatu clamitabat, falsa esse illa, quae antea de dolore ipse sensisset. Quem cum Cleanthes condiscipulus rogaret, quaenam eum ratio de sententia deduxisset, respondit: Quia cum tantum operae philosophiae dedissem; dolorem tamen ferre non possem, satis esset argumenti, malum esse dolorem; plurimos autem annos in philosophia consumsi, nec ferre possum; malum est igitur dolor.* Hoc loco bene Ernesii ingeniosam Bentleii emendationem in notis probavit, qua correxit *a dolore* DEDOCTUS *est.* Melius Bipontini editores etiam in textum receperunt. Initio enim oppositio venustatem habet quae est inter *didicisset* ac *dedoctus* est; deinde in phrasi *a dolore deductus est* ambiguitas est quaedam, quia cum supplendum sit *de sententia* vel simile quid, aliquantulum haerere potest auditor, dum dubitat an *a dolore deductus* sic dictum sit, ut dicitur aliquis *a mente et consilio deduci.* Denique cum statim sequatur: *quaenam ratio eum de sententia deduxisset*, Cicerone qui variare verba studiosissime solet, multo dignius est, paulo ante aliud verbum poni. In iis autem quae sequuntur, neque cum Ernestio: *siquis — dedisset* s. *ferre non posset*, neque cum Bentleio: *quicumque dedisset, dolorem tamen ferre non posset*, corrigendum esse concedimus. Bene se habent vulgata: Stoici enim conclusio extra colloquii constructionem ita enuntiaretur.

Cum tantum operae philosophiae dederim, dolorem tamen ferre non possim, satis est argumenti malum esse dolorem.

Plurimos autem annos in philosophia consumsi, nec ferre possum;

Malum est igitur dolor.

Iam propter nexum quaestionis a Cleanthe propositae consecutio temporum postulabat, ut, pro *dederim — possim — est*, scriberetur, *dedissem — possem — esset;* totique propositioni praefigeretur *quia.* Post *satis esset* supplendum *id.* Itaque Cleanthi quaerenti: *Quaenam vero ratio te de sententia deduxit?* recte ad normam constructionis latinae respondebat Dionysius: *Quia, cum tantum operae philosophiae dedissem, dolorem tamen ferre non possem, satis* id *esset argumenti, malum esse dolorem. Plurimos autem* etc. Itaque syllogismus est instar hypothetici, nec adeo opus erat, ut quod Ernesti putabat, eius propositio, (*maiorem* dialectici vocant) universe enuntiaretur.

XXIII.

In Ciceronis Tusculanarum disputationum lib. II. et III. animadversiones.

Libro II. extr. Cicero *Cras ergo*, inquit, *ad clepsydram; sic enim dicimus; et tibi hoc video non posse deberi.* Cui auditor respondet: *Ita prorsus; et illud quidem ante meridiem, hoc eodem tempore.* Haec intelligenda sunt ex iis quae eiusd. lib. cap. 3. narrantur. Quo ex loco apparet, Ciceronem cum familiaribus, dum in Tusculano esset, ante meridiem dictioni h. e. declamandi exercitio, operam dedisse; post meridiem vero in Academiam descendisse, ibique de philosophiae capitibus disputasse. Declamationibus autem pariter atque actionibus forensibus clepsydras adhibitas fuisse constat, ne unus forte declamatorum iusto longius verba faceret, aliisque tempus dicendi praeriperet. Sic de Orat. lib. III. c. 34. de Pericle: *At hunc non clamator* (vel ut alii legunt *declamator*) *aliquis ad clepsydram latrare docuerat, sed ut accepimus, Clazomenius ille Anaxagoras vir summus in maximarum rerum scientia.* Itaque cavendum est ne quod Ernesti fecit, illa verba: *sic enim dicimus*, hoc modo interpretemur: *nam ita soleo facere in dicendo ac disputando.* In disputando enim clepsydra non utebantur. Verius illa ratione hunc locum exponere liceat: *Cras ergo nempe ante meridiem, redibimus ad declamandi exercitium: in quo ad clepsydram dicere solemus.*

Lib. III. cap. I. a principio: *Quidnam eſſe Brute, cauſae putem, cur, cum conſtemus ex animo et corpore, corporis curandi cauſa quaeſita ſit ars, eiusque utilitas deorum immortalium inventioni conſecrata; animi autem medicina nec tam deſiderata ſit, antequam inventa; nec tam culta, poſteaquam cognita eſt, nec tam multis grata et probata, pluribus etiam ſuſpecta et inviſa?* E pluribus inconcinnitatem quae his verbis, *quaeſita ſit ars eius atque utilitas,* ineſt, ſublevandi modis, nullum eſt aptius remedium, quam quod Lambinus attulit, ut legatur: *quaeſita ſit ars, eiusque utilitas deorum immortalium inventioni conſecrata;* eamque nuper a Societate Bipontina in textum receptam eſſe valde probamus. Verba enim: *eiusque utilitas deorum inventioni conſecrata,* idem ſignificant ac: *eaque propter utilitatem deorum inventioni conſecrata.* Quod hic de medicina, idem alibi de eloquentia praedicatur; de Orat. lib. I. c. 46. *Non enim cauſidicum neſcio quem, neque proclamatorem aut rabulam hoc ſermone noſtro conquirimus, ſed eum virum, qui primum ſit eius artis* (ſcil. oratoriae) *antiſtes, cuius* (inveniendae) *cum ipſa natura magnam homini facultatem daret, tamen eſſe DEUS putabatur* (quem eius inventorem perhibebant, ſ. Apollinem ſ. Mercurium) *ut et ipſum* (melius legatur: *ut id ipſum*) *quod erat hominis proprium, non partum per nos, ſed* (propter utilitatem et magnitudinem) *divinitus ad nos delatum videretur.* — —

Eod. cap. *Quod ſi tales nos natura genuiſſet, ut eam ipſam intueri et perſpicere eademque OPTIMA DUCE curſum vitae conficere poſſemus, haut erat ſane quod quisquam rationem ac doctrinam requireret. Nunc autem, ſimul atque editi in lucem, et ſuſcepti ſumus, in omni continuo pravitate et in ſumma opinionum perverſitate verſamur, ut paene cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Cum vero parentibus redditi, deinde magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, et opinioni confirmatae natura ipſa cedat. Accedunt etiam poetae, qui cum*

magnam speciem doctrinae sapientiaeque prae se tulerunt, audiuntur, leguntur, ediscuntur, et inhaerescunt penitus in mentibus. Cum vero eodem quasi maximus quidam magister populus atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque desciscimus: ut nobis optimam NATURAM invidisse videantur. Qui nihil melius homini nihil magis expetendum, nihil praestantius honoribus, imperiis, populari gloria iudicaverunt. Optima profecto et verissima correctio est Davisii: *ut nobis optimam MAGISTRAM invidisse videantur.* Prorsus enim a Ciceronis elegantia abhorret insipida illa vocabuli *naturam* repetitio, cum vix dixisset a *natura desciscimus.* Cumque *naturam* paulo ante *optimam ducem* nominasset, eandem h. l. sed variato, ut solet, vocabulo, laudem naturae tribuere consentaneum erat. Quid? quod alibi quoque saepenumero naturam bene vivendi *ducem et magistram* appellat. Sic de finibus lib. I. c. 21. *magistra ac duce natura*, et de Amicit. c. 5. *hos viros bonos — quia sequuntur naturam, optimam bene vivendi ducem.*

Cap. XV. de Epicuro: *Levationem autem aegritudinis in duabus rebus ponit, avocatione a cogitanda molestia et revocatione ad contemplandas voluptates. Parere enim censet animum rationi posse, et quo illa ducat, sequi. Vetat igitur RATIO intueri molestias: abstrahit ab acerbis cogitationibus hebetem aciem ad miserias contemplandas, a quibus cum cecinit receptui, impellit rursum, et incitat ad conspiciendas totaque mente contrectandas voluptates, quibus ille et praeteritarum memoria et spe consequentium, sapientis vitam refertam putat.* Ernestio post Bentleium vocabulum *ratio* suspectum est, et glossatorem sapere videtur. Itaque verbum *vetat*, non ad rationem sed ad Epicurum pertinere existimat. Quod nobis quidem nullo modo probatur. Nam his verbis *vetat igitur ratio intueri molestias* etc. dieclarare cupit Cicero, quid secundum Epicurum sit rationi parere. Quod fieri non poterat, nisi ostenderetur,

quid eo auctore ratio nos facere vel iuberet vel vetaret. Hoc igitur illis verbis breviter explicare aggreditur. Ac ſaepe ea vis eſt particulae *igitur*, ut non concludendi, ſed declarandi exponendique munere fungatur. Ut ergo hic repeteretur *rationis* vocabulum, quamquam paullo ante poſitum, factum eſt propterea, quod eo omiſſo lector incertus erat futurus, utrum illa verba *vetat*, — *abſtrahit*, — *cecinit*, — *impellit et incitat*, ad *rationem*, an ad *Epicuri* perſonam referenda eſſent.

Cap. XVIII. Cicero poſtquam Epicuri verba commemoravit, quibus ille negaverat, ſe habere, quod intelligeret *bonum illud* (legendum potius: *bonum aliud*) detrahentem eas voluptates, quae ſapore, auditu, oculis perciperentur, reliquasque quae in toto homine gignerentur quolibet ſenſu; cavillaturus eum addit iſta quae ſequuntur: *Ad hanccine igitur vitam Telamonem illum revocabis ut leves aegritudinem? et ſi quem tuorum afflictum moerore videris, huic acipenſerem potius, quam aliquem Socraticum libellum dabis? hydrauli hortabere, ut audiat voces potius, quam Platonis? expones, quae ſpectet, florida et varia? faſciculum ad nares admovebis? incendes odores? et ſertis redimiri iubebis et roſa? Si vero aliquid etiam: tum plane luctum omnem abſterſeris?* Ultimorum verborum ſenſum cum facetiſſima cavillatione coniunctum haud aſſecutus eſt Erneſti; plurimorum Ciceronis locorum feliciſſimus interpres. Illam enim *ῥῆσιν: Si vero aliquid etiam*, interpretatur: *Si autem maxime aliquid his rebus profeceris:* et hac ipſa ratione inductus eſt, ut ſequens adverbium *tum* non ſatis aptum putaret, potiusque *tunc* reponendum eſſe cenſeret. Imo hic eſt illorum verborum ſenſus: *Si* vero *aliquid etiam* ſcil. quod dicere nolo, addideris, *tum* plane luctum *omnem abſterſeris*, h. e. *tum putabis te omnem ei luctum prorſus abſterſurum eſſe*. Nolebat Cicero apertius dicere de voluptate Venerea, quam in abruptis illis verbis *ſi vero aliquid etiam*, intelligi volebat,

ut salsius Epicuri rationem rideret. Nempe cum ab iis voluptatibus, quae auditu, visu, odoratu, gustu perciperentur, exempla petiisset, supererat, ut etiam ex earum genere, quae tactu sentiuntur, aliquid assumeret. Sed hoc quale esset, coniecturae auditoris potius relinquere, quam disertis verbis enuntiare malebat. Conferantur ea, quae in eodem capite extremo dicit: *Eripiamus huic aegritudinem! Quomodo? Collocemus in culcita plumea; Psaltriam adducamus; hedychrum incendamus: aliquid videamus et cibi.* Hic igitur psaltriam nominat. Cur? Nimirum quia qui psaltrias aut citharistrias epulis adhibebant, plerumque non tantum audiendi voluptatem, sed aliam quoque minus liberalem ex iis quaerebant; illam scilicet quam secundo loco nominabat Epicurus, cum *saporem*, et *corporum complexum*, et *ludos atque cantus*, et *formas eas, quibus oculi iucunde moverentur*, in causis voluptatum numerabat, cf. cap. 20. Itaque aposiopesis illa, *si vero aliquid etiam:* ita fere supplenda videtur: *Si vero aliquid etiam* voluptatis addideris, v. c. si puellam adduxeris, quacum se oblectet, *tum plane luctum omnem absterseris?*

Cap. XX. *At laudat* (Epicurus) *et saepe virtutem. Et quidem C. Gracchus cum largitiones maximas fecisset et effudisset aerarium verbis tamen defendebat aerarium. Quid verba audiam, cum facta videam.* Ernestii: *quidem*, inquit, h. l. est alienum; itaque dubitat an transpositum sit ex antecedentibus, legendumque aut *et quidem saepe*, vel *et saepe quidem.* Minime vero. Sana hic sunt omnia. *Et quidem*, h. l. significat *imo vero etiam;* sive *Quid mirum? etiam.* — Ut cum Cicero Philipp. XI. cap. 4. dicit: *Cruciatus est a la Dolabella Trebonius; et quidem a Carthaginiensibus Regulus*, hoc nihil aliud est, ac: *imo etiam a Carthaginiensibus Regulus.* Ibi recte Ernestii harum particularum usum accepit, observans eas respondere graecis *καὶ δὴ καί.* Quod autem illic

poſt *et quidem* aliud *et* inſerſit, id nobis quidem, etſi unius codicis auctoritatem ſecutus eſt, non probatur. Unum addamus exemplum, quod illum particularum *et quidem* uſum magis illuſtret. In libro de Amicitia cap. 21. *Digni autem ſunt amicitia, quibus in ipſis ineſt cauſa, cur diligantur. Rarum genus; et quidem omnia praeclara rara.* — Idem eſt ac ſi dixiſſet: *rarum genus; nec mirum; nam omnia praeclara rara.*

Cap. XXIII. *Atqui tolerabilius feret incommodum, qui cognoverit neceſſe eſſe homini tale aliquid accidere.* Pro *Atqui*, Daviſius edidit *Aut qui;* Erneſti malebat *An quis.* — Nobis optimum videtur: *At quî,* — ut ſenſus ſit: *At quomodo is qui cognoverit neceſſe eſſe homini tale quid accidere, ideo tolerabilius feret incommodum?*

XXIV.

De Ciceronis de Natura deorum I. 1, 1. lectione et ſenſu commentariolum.

Libros de natura deorum Cicero his verbis exorditur: *Cum multae res in philoſophia nequaquam ſatis adhuc explicatae ſint, tum perdifficilis, Brute, quod tu minime ignoras, et perobſcura quaeſtio eſt de natura deorum, quae et ad agnitionem animi pulcerrima eſt, et ad moderandam religionem neceſſaria. De qua tam variae ſunt doctiſſimorum hominum tamque diſcrepantes ſententiae, ut magno argumento eſſe debeat,* CAUSAM, *id eſt,* PRINCIPIUM PHILOSOPHIAE *eſſe* INSCIENTIAM, *prudenterque Academicos a rebus incertis aſſenſionem cohibuiſſe.* Quo loco cum olim legeretur *cauſam id eſt principium philoſophiae* SCIENTIAM; nunc quidem inter omnes criticos convenit hanc lectionem librariis deberi, qui quid ſibi vellet *inſcientia* haud intelligerent, putarentque, ut bene Erneſtius perſpexit, *cauſam et principium* ad finem referri, quaſi philoſophia diſceretur, ut ſcientiam rerum conſequeremur, quod eſt a Ciceronis mente et conſilio alieniſſimum. Sed de ipſo *inſcientiae* vocabulo magna eſt inter criticos diſſenſio. Vir doctus in Miſcell. Obſſ. in auctores veteres et recentiores Vol. III. p. 154. coniiciebat legendum eſſe *inſcientiae ſcientiam*, ad ſenſum ſatis apte; ad lectionis veritatem nil neceſſe. Nam idem effici lectione *inſcientiam* poſtea docebimus. Similiter de anonymi cu-

iusdam in novis reip. litterariae a Cl. Bernardo editis coniectura iudicandum, qui satis audacter corrigendum censebat: *causam id est principium philosophiae esse scepsim.* Nempe quid sensus postularet, callide intelligebat, eandem tamen sententiam ex vocabulo *inscientiam* exire, haud assequebatur. *Baylius* in epistola quadam (*Lettres choisies* de Mr. Bayle Roterod. 1714. Tom. II. p. 767) narrat sibi quondam placuisse ut legeretur: *causam et principium philosophiae non esse scientiam* „comme si la pensée de „Ciceron eut été, que les diverses opinions sur la Nature „des Dieux étoient une marque, que le principe de la phi-„losophie, l'Etre des Etres, la cause première étoit d'une „Nature incomprehensible, et n'étoit point par conséquent „un suiet de science.“ At hac ratione, si usum latini sermonis spectares, nihil fingi poterat ineptius. Nunquam enim Cicero deum, causam et principium *philosophiae* dixisset, si voluisset *causam rerum omnium* significare. Neque vero hoc, quod Baylio in mentem venerat enuntiatum: *que la cause première ne soit pas un Suiet de science* latinis verbis efferri poterat: *causam non esse scientiam;* dici debebat, *non esse scientiae subiectam.* Itaque prudenter Baylius hanc coniecturam mox abiecit. Nihilo secius tamen lectioni *principium philosophiae esse scientiam* inhaesit, hac interpretatione Ciceronis mentem declarans: *Les plus savans hommes, ont formé sur la Nature des Dieux tant d'opinions différentes et opposées,* que c'est une grande preuve, que *la science,* c'est-à-dire une connoissance certaine et évidente, *doit être la Base, le Principe, et le Fondement de la Philosophie; et que les Academiciens sont bien sages, eux qui refusent leur consentement à des choses incertaines.* Quae quidem ratio nobis inprimis arrideret, si modo Cicero de systemate quodam philosophiae, eiusque fundamento loqueretur. Philosophiae autem nomine h. l. nihil aliud quam philosophandi rationem, sapientiae amorem, proprio et antiquo huius

vocabuli usu, designat; innuitque caput et principium huius philosophandi rationis *inscientia* contineri, h. e. ea animi constitutione, qua nolis scire videri quod nescias, sed libere *inscientiam* profitearis. Sinistre quoque huius vocabuli vim accepit Gesnerus in Thes. L. L. voc. INSCIENTIA; cum *admirationem esse filiam inscientiae s. ignorantiae eandemque esse matrem philosophiae* pronuntiat. Quae quidem sententia quamvis vera sit, non tamen est Ciceronis consilio aptissima. Optime igitur omnium Ernesti in prolusione, qua varios locos in libris de natura deorum emendavit et illustravit, ex ratione Academicorum h. l. explicuit. Ac summam quidem sententiae in Clave Ciceroniana his verbis retulit; „*inscientiae* verbum duplicem vim habet apud Ciceronem, vulgarem alteram quae neminem fugit; alteram vero remotam ab usu plebis eamque in nullo lexico, quod sciam, commemoratam. Ea est Acad. I. 12. *Si quid ita erat comprehensum, ut convelli non posset*, SCIENTIAM, *sin aliter* INSCIENTIAM *nominabat Zeno, ex qua existeret opinio, quae esset imbecilla et cum falso incognitoque communis.* Hanc *inscientiam* defendebant Academici, qui nihil statuebant esse perceptum, h. e. ita comprehensum, ut convelli ratione non posset. Acad. I. 6. Itaque hanc summam legem et principium totius philosophiae putabant, nihil certo sciri, nihil percipi posse; contra quos coorti Stoici scientiam menti humanae et perceptionem comprehensionemque afferebant. Quare cum Cicero noster, id quod inter omnes constat, Academicam rationem sequeretur, vel illam philosophorum de natura deorum dissensionem confirmare *inscientiam Academicam* existimabat et Academicos propterea prudenter, cum omnia incerta sint, assensionem ubique cohibendam putare.“ Hactenus ille. Praeterea in notis ad h. l. disertius explicat, quam vim vocabulo *principii* h. l. subiiciendam putet. „Principium est, inquit, quae Graecis philosophis ἀρχή. Ἀρχὰς autem philosophi

Graeci dicunt propoſitiones evidentes, neceſſario veras disciplinarum, e quibus aliae iudicantur etc. Quod ergo deinde addit de Academica ſuſpenſione aſſenſionis, id indicat, intelligi h. l. illud Academicorum enuntiatum: *nihil eſſe perceptum ac certum*, eamque ob cauſam nihil eſſe affirmandum, ut prorſus certum. Sed illud principium non exprimitur verbo *ſcientiae*, quam Academici non agnoſcunt, ſed *inſcientia;* quod quia librarii non intelligebant — deleverunt *in*, et dedere *ſcientiam.*"

Hic etſi de ceteris facile Erneſtio aſſentimur, unum tamen eſt, quod ei non concedimus. Nimirum ille vocabulum *principium*, de primario quodam enuntiato (*Grundſatz*) intelligendum eſſe cenſet, quaſi Cicero dixerit: *de qua tam variae ſunt doctiſſimorum hominum tamque discrepantes ſententiae, ut magno argumento eſſe debeat, veriſſimum eſſe Academicorum decretum, quo nihil eſſe perceptum ac certum pronuntiant, ab eoque tanquam principio univerſam philoſophiam pendere.* Nobis vero verborum ordinem ac propriam ſignificationem ſpectantibus non de propoſitione quadam ſingulari, ſed de univerſa philoſophandi ratione dicere videtur Tullius, ita ut illa verba germánice ſic vertenda ſint: *daſs man dies für einen wichtigen Beweis halten kann, der Grund und Anfang alles Philoſophirens ſey der Zweifelgeiſt.* Inſcientia enim nihil aliud eſt, quam illa Academicorum ratio, qua percipi nihil putant poſſe, aſſenſurum autem non percepto, id eſt opinaturum ſapientem exiſtimant, ſed ita ut intelligat ſe opinari ſciatque nihil eſſe quod comprehendi et percipi poſſit. (Cic. Acad. IV. 1. 48.) Quae cum ita ſint, nihil h. l. in textu mutandum eſſe contendimus, niſi forte pro *cauſam, id eſt, principium philoſophiae* reſcribere velis *cauſam* et *principium philoſophiae;* non ſolum enim Cicero alibi *cauſam et principium* copulat, ſed etiam pro *id eſt* in veteri cod. Voſſiano legi *et*, obſervatum eſt a V. D. in Miſc. obſſ. loco ſupra commemorato. Qui totam *ῥῆσιν id eſt principium* gloſſema eſſe

opinantur, ut nuper Wideburgius V. Cl. in libro: *philologisch pädagogisches Magazin* Vol. III.) non animadvertunt, in illo commate *caufam philofophiae effe infcientiam* et numerum nimis concidi, et ambiguitate fententiam laborare. Quod autem ille corrigendum opinatur: *cautam effe philofophia fcientiam* h. e. fcientiam vulgari accuratiorem, id a Ciceronis propofito prorfus abhorret, ne ufui loquendi parum refpondere urgeamus. Quod denique cenfor libri Wideburgiani (in *Allgem. Litterat. Zeitung* anni 1798. fcida 209.) Ciceronem fic edidiffe arbitratur: *tam variae funt doctiffimorum hominum tamque difcrepantes fententiae ut magno argumento effe debeat caufam effe infcientiam;* habet quidem illa emendatio quo fe tueatur, fi fenfus facilitatem et commoditatem fpectes; verumtamen cum lectio recepta ipfa quoque fenfum aptiffimum, quamvis paullo reconditiorem admittat, non eft quod lectionem bonam et finceram follicitemus.

Cum autem Cicero dicit *prudenter Academicos a rebus incertis affenfionem cohibuiffe*, bene Ernefti monuit, verba *a rebus incertis* non de *quibusdam rebus*, *quae fint incertae*, fed de *omnibus*, *quia nihil in iis certi fit*, intelligi debere. Cum autem Kindervaterus V. Cl. in notis adiicit, illam Academicorum ἀκαταληψίαν non ad φαινόμενα rerum fed ad νοούμενα et ὑποκείμενα pertinere, in eo, aut parum dilucide, quod voluit, expofuit, aut ipfe in errore verfatur. Affenfum enim aeque a vifis cohibendum cenfuerunt Academici atque a ceteris rebus. Diftinguebant autem affenfum a probatione. *Probare* vifa poterat, qui iis *affentiendum* effe negabat. Affenfionem autem eum animi motum appellabant, quo aliquid certiffime et cum fumma evidentia intelligi putaret. Id fieri poffe nifi in plane perceptis rebus, conftanter negabant. Percipi autem nihil poffe; igitur ab omnibus rebus affenfionem effe cohibendam. Hac ἐποχῇ tamen fapien-

ſapientem haud impediri, quo minus quaedam probabilia eſſe putet. Clariſſimus exſtat locus acad. quaeſt. Lib. IV. Cap. 31. „Itaque et ſenſibus probanda multa ſunt: teneatur modo illud, non ineſſe in his quidquam tale, quale non etiam falſum, nihil ab eo differens eſſe poſſit. Sic quicquid acciderit ſpecie probabile, ſi nihil ſe offeret, quod ſit probabilitati illi contrarium, utetur eo ſapiens, ac ſic omnis ratio vitae gubernabitur. Etenim is quoque, qui a vobis ſapiens inducitur, multa ſequitur probabilia, non comprehenſa, neque percepta, neque aſſenſa, ſed ſimilia veri, quae niſi probet, omnis vita tollatur. Quid enim? conſcendens navem ſapiens, num comprehenſum animo habet atque perceptum, ſe ex ſententia navigaturum? Qui poteſt? Sed ſi iam ex hoc loco proficiſcatur Puteolos ſtadia triginta, probo navigio, bono gubernatore, hac tranquillitate, probabile videatur, ſe illuc venturum eſſe ſalvum. Huiusmodi igitur viſis conſilia capiet et agendi et non agendi, faciliorque erit, ut albam eſſe nivem probet quam erat Anaxagoras, qui id non modo ita eſſe negabat, ſed ſibi, quia ſciret aquam nigram eſſe, unde illa concreta eſſet, albam ipſam eſſe ne videri quidem. Et quaecumque res illum ſic attinget, ut ſit viſum illud probabile, neque ulla re impeditum, movebitur. Non enim eſt e ſaxo ſculptus, aut ex arbore dolatus; habet corpus, habet animum, movetur mente, movetur ſenſibus, ut ei multa vera videantur, neque tamen habere inſignem illam et propriam percipiendi notam; eoque ſapientem non aſſentiri, quia poſſit eiusdem modi exſiſtere falſum aliquod, cuiusmodi hoc verum." Ex quo loco perſpicue intelligitur a *rebus incertis cohibere aſſenſionem* idem eſſe ac nullis nec viſis, nec rationis decretis ita confidere, ut ea tamquam certa et indubitata defendas, qua ratione tamen non prohibetur, quin multa probabilia videantur. Alibi enim in hoc ipſo de N. D. libro cap. 5. hoc modo Academicorum ἐποχὴν deſcribit: *Non enim ſumus ii, quibus*

nihil verum esse videatur, sed ii, qui omnibus veris falsa quaedam adiuncta esse dicamus, tanta similitudine ut in iis nulla insit certa iudicandi et assentiendi nota. Ex quo existit et illud, multa esse probabilia, quae quamquam non perciperentur, tamen quia visum haberent quendam insignem et illustrem, his sapientis vita regeretur.

Sed illo quem tractamus loco Tullius ita pergit: *Quid enim est temeritate* t u r p i u s*? Aut quid tam temerarium tamque indignum sapientis gravitate atque constantia; quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit et cognitum, sine ulla dubitatione defendere?* Ad sensum sine dubio lectio *turpius*, quae est paucorum codicum, alteri *fortius*, quae in pluribus reperitur, multum praeferenda. Kindervaterus quidem lectionem: *quid enim est temeritate fortius?* sic explicare posse putabat; *quid citius ad mortem rapit temeritate?* Enimvero haec ratio prorsus abhorret ab latini sermonis consuetudine; neque adeo, si per hanc ei obsequi liceret, verborum et argumenti continuatio eam admitteret. Requiritur necessario verbum, quod habeat turpitudinis aut stultitiae aut levitatis significationem. Et pro lectione *turpius* iam Davisius ad partes vocavit locum simillimum ex Acad. I, 12. „*Itaque Arcesilas negabat esse quidquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset. Sic omnia latere censebat in occulto, neque esse quidquam, quod cerni aut intelligi posset. Quibus de caussis nihil oportere neque profiteri, neque affirmare quemquam, neque assensione approbare, cohibereque semper et ab omni lapsu continere temeritatem, quae tum esset insignis, cum aut falsa, aut incognita res approbaretur, neque [hoc] quidquam esse* t u r p i u s*, quam cognitioni et perceptioni assensionem approbationemque praecurrere.*“ Sed quoniam suspicamur fore, qui se videre negent, cur aut quomodo, si antiqua lectio fuisset *turpius*, a compluribus librariis ea

in *fortius* mutata ſit, praeſto eſt ratio, qua illis hunc ſcrupulum ex animis evellamus. Fortaſſe enim Cicero ſcripſit: *quid eſt enim temeritate FUTILIUS?* Ex hoc vocabulo *futilius* propter ſimilitudinem literarum fieri facile potuit *fortius.* Illo autem vocabulo in eadem re utitur Cicero Acad. IV. 18. *Quid enim eſt tam futile, quam quidquam approbare non cognitum?*

XXV.

In Ciceronis de Natura Deorum libri I. *aliquot capita obſervationes.*

Caput I. *Velut in hac quaeſtione, plerique (quod maxime veriſimile eſt, et quo omnes duce natura vehimur) deos eſſe dixerunt.* Erneſtio diſplicebat *vehimur*, quia putabat id verbum non bene convenire vocabulo *duce.* Sed ſumta eſt translatio a curſu maritimo, ubi recte dicitur aliquis vehi hoc vel illo *duce* ſ. gubernatore.

Cap. II. *Sunt enim philoſophi, et fuerunt, qui omnino nullam habere cenſerent humanarum rerum procurationem deos. Quorum ſi vera ſentia eſt, quae poteſt eſſe pietas? quae ſanctitas? quae religio? Haec enim omnia pure ac caſte tribuenda deorum numini ita ſunt, ſi animadvertuntur ab his, et ſi eſt aliquid a diis immortalibus hominum generi tributum.* Kindervaterus ad h. l. per pietatem intelligenda eſſe cenſet *ſenſa*, quae religione efficiuntur (*die Geſinnungen der Gottesverehrung*) et per *ſanctitatem* actiones illis congruas, *den Einfluſs welchen jene Geſinnungen auf die Moralität haben.*) In quo nobis videtur vir doctus interpretis perſonam parum ſuſtinuiſſe. Hunc enim decet, non quid omnino verba ſignificare poſſint, ſed quid hoc loco deſignent, quaerere. Pietas eſt iuſtitia adverſus deos, ut alibi Cicero ipſe interpretatur, qua continetur etiam gratus animus erga deos, be-

neſiciorum ab his acceptorum memor. Sic cap. 41. huius libri: *Quae porro pietas ei debetur a quo nihil acceperis? aut quid omnino, cuius nullum meritum ſit, ei deberi poteſt? Eſt enim pietas iuſtitia adverſum deos.* Paullo poſt Cicero *ſanctitatem* ita deſinit: *Sanctitas autem* eſt *ſcientia colendorum deorum.* Et cap. 42. religionem *deorum cultu pio* contineri dicit. Ergo *pietas* ad internam animi erga deum benevolentiam pertinet, *ſanctitas* ad ſcientiam numinis recte colendi, *religio* ad ipſas ceremonias honoresque deorum numini tribuendos. Idque hoc loco, de quo agimus, ſequentibus confirmatur verbis: *Sin autem dii neque poſſunt nos iuvare, neque volunt, nec omnino curant, nec, quid agamus, animadvertunt, nec eſt, quod ab his ad hominum vitam permanare poſſit, quid eſt, quod ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus:* ubi *cultus* ad ſanctitatem, *honores* ad *religionem*, *preces* ad pietatem referuntur.

Pergit Cicero: *In ſpecie autem fictae ſimulationis, ſicut reliquae virtutes, ita pietas ineſſe non poteſt, cum qua ſimul et ſanctitatem et religionem tolli neceſſe eſt, quibus ſublatis, perturbatio vitae ſequitur et magna confuſio.* H. l. Kindervaterus ſibi videtur hac ratione explicuiſſe: „Nimirum omnia ita miſcentur atque perturbantur in „vita hominum morali, ſi ita loquendum eſt, ut extincta „religione morumque ſanctitate, etiam legum civilium „auctoritas evanescat, et ipſius reip. ſundamenta labe„factentur, ita ut ſors vel civium ſingulorum vel univer„ſae reip. atque omnis ſocietatis humanae miſerrima ſit „habenda. Quo quid verius dici poſſit, equidem non „video; ac magis argute, quam vere Baylius aliquo loco „vincit vel atheorum remp. ſalvam eſſe poſſe." Hic etſi probi ſacerdotis benevolentiam facile agnoſcimus, tamen et interpretis *ἀκρίβειαν* et philoſophi acumen valde deſideramus. Primum enim illa *perturbatio vitae et magna*

***confusio*, quam religione fublata confecuturam effe cenfet,** non ad vitam hominum moralem, neque ad reip. converfionem fpectat, quippe de qua fequente demum periodo Cicero loquitur, addens ifta: *Atque haud fcio an pietate adverfus deos fublata, fides etiam et focietas generis humani, et una excellentiffima virtus iuftitia tollatur.* Itaque nifi Ciceroni ieiunam quantam tautologiam obtrudere velimus, illa *perturbatio vitae et magna confufio*, unice de vitae civilis ac domeftica perturbatione intelligenda eft, quam religione fublata fecuturam Cicero pronuntiat. Fac enim eius aetate repente, ut nuper in Gallia factum vidimus, publicas privatasque ceremonias religionesque fublatas effe, quid cenfes eventurum fuiffe? Quot deorum templa aut diruta, aut deferta, quod facerdotia fublata effent! Quanta vero ex tot facrificiis intermiffis, ceterisque facrorum ritibus, ludis, pompis, lectifterniis, fupplicationibus abrogatis, exorta effet opificiorum et mercaturae converfio? Quod autem Kindervaterus quafi iure fuo poftulat, ut fibi concedamus extincta religione neceffario perituram effe legum civilium auctoritatem, omninoque ruinam totius reip. confecuturam, id profecto eiusmodi eft, ut vereamur, ne catervae veniant contradicentium. Initio enim morum innocentia vitaeque fanctitas absque religione confiare poteft, quod vel luculento Spinozae exemplo intelligeretur, nifi ipsa quoque ratio id evinceret. Tantum enim abeft ut virtutis officia ex perfuafione de divino numine ducenda fint, ut potius haec perfuafio certitudine legis moralis, quam ex ipfa natura haurimus, maxime nitatur. Reip. falus bonis legibus, iuftitia magiftratuum, civiumque flore et robore continetur, quae omnia faepe perverfis religionibus, aut prava fuperftitione turbata funt; minime autem ita coniuncta funt cum opinionibus hominum de dei natura, ut tueri fe non poffint, fimulac tota civitas, quod fieri vix unquam poteft, ad hanc opinionem delaberetur, ut deum effe

negaret. Magno enim ad virtutem colendam adiumento carere Atheos facile largimur, eosdem vero propter errorem fuum a virtute et officio neceffario defcifcere prorfus negamus. Quod fi verum eft, quod divinitus monuit Cicero, in fpecie fictae fimulationis ineffe non poffe virtutem ac pietatem, vehementer cavendum eft, ne homines propter odiofas fufpiciones aut pravas calumnias adverfus philofophos, fecus ac vulgo fieri folet de dei natura fentientes, temere excitatas, aut poenas adeo adverfus eorum decreta ftatutas ad fimulationem iftam adducantur, qua profecto multo plus reip. noceretur, quam libertate de rebus divinis quicquid cuique vifum fuerit fentiendi omnibus propofita. Magnopere etiam cavendum eft, ne Atheifmi maculam iis afpergamus, qui dei naturam aliter atque alii fibi informant; cogitandum potius nullas effe tam diverfas tamque difcrepantes de dei natura fententias, quin cum iis vera virtus vitaeque honeftas coniungi poffit. Epicurus qui providentia deorum fublata nihil ab iis humano generi tribui cenfebat, nihilo fecius vitae innocentiam, temperantiam, probitatem tueri poterat; idem tamen fuperbe et inhumaniter feciffet, fi Stoicos ideo, quod deos felicitatis humanae auctores effe crederent, idololatras, aut anili fuperftitioni addictos effe, decreviffet. Adeo verum eft, quod pulcherrime his verbis expreffit Leffingius:

dafs Ergebenheit in Gott,
von unferm Wähnen über Gott
fo ganz und gar nicht abhängt!

Cap. III. *Quod et orationes declarant, refertae philofophorum fententiis, et doctiffimorum hominum familiaritates, quibus femper domus noftra floruit.* Ernefii fatetur, verbum *floruit* ipfum faepe offendiffe, quia gloriabundi hominis videretur. Quafi vero illa gloriatio, fi qua effet, non magis in univerfa fententia, quam in hoc verbo

verbo *floruit*, minime culpando, se exsereret. Similiter Cicero in orat. pro Sextio cap. 63. *Accessus meus ad urbem incredibili hominum multitudine et gratulatione florebat.*

Cap. IX. *Ab utroque* (scil. Platonico et Stoico) *autem sciscitor cur mundi aedificatores repente exstiterint, innumerabilia saecula dormierint. Non enim si mundus nullus erat, saecula non erant. Saecula nunc dico, non ea, quae dierum noctiumque numero annuis cursibus conficiuntur. Nam fateor ea sine mundi conversione effici non potuisse. Sed fuit quaedam ab infinito tempore aeternitas, quam nulla temporum circumscriptio metiebatur,* SPATIO *tamen qualis ea fuerit, intelligi potest,* [*quod ne in cogitationem quidem cadit ut fuerit tempus aliquod, nullum cum tempus esset.*] *Isto igitur tam immenso spatio quaero, Balbe, cur Pronoea vestra cessaverit.* Pro SPATIO quod h. l. commodum sensum haud praebet, RATIONE legendum arbitramur. Davisius quidem sic explicabat: *e notione spatii communi*, vulgo abstractam vocant; quasi Velleius hoc dicere voluerit ex notione spatii infiniti nos κατ᾽ ἀναλογίαν quae sit infinita aeternitas animo comprehendere posse. Sed quia statim recurrit vocabulum *spatii* de *tempore* usurpatum; quippe cum verba *isto igitur tam immenso spatio* nihil aliud significent, quam *isto igitur tam immenso tempore*, non placet *spatium* paullo ante alio significatu de *dimensione geometrica* usurpatum. Deinde illa verba: *quod ne in cogitationem quidem cadit ut fuerit tempus aliquod nullum cum tempus esset*, a sciolo quodam margini codicis videntur adiecta esse, qui concoquere non posset, tempus quoddam ante saecula, quae dierum noctiumque annuis cursibus conficiuntur, fuisse. Si Velleius haec adiecisset ipse sibi manifesto repugnasset.

Cap. XX. *Sive in ipso mundo deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes tem-*

porum, rerum viciſſitudines ordinesque conſervet, terras et maria CONTEMPLANS *hominum commoda vitasque tueatur.* Languidum nec ſatis aptum eſt *contemplans.* Fortaſſe Cicero ſcripſit *contemperans.* Eadem fere ſententia lib. II. c. 39. *Ipſum autem mare ſic terram appetens litoribus eludit, ut una ex duabus naturis conflata videatur.*

Cap. XXV. Epicurei vituperantur, quod cum aliquid non veriſimile dicant et effugere reprehenſionem velint, afferant aliquid, quod omnino ne fieri quidem poſſit. Poſt aliquot huius rei exempla, quae Epicuri obtuſum in ratiocinando ingenium declarare poſſent, novum affertur hoc: *Urgebat Arceſilas Zenonem, cum ipſe falſa omnia diceret, quae ſenſibus viderentur, Zeno autem nonnulla viſa eſſe falſa, non omnia. Timuit Epicurus, ne, ſi unum viſum eſſet falſum, nullum eſſet verum, omnes ſenſus veri nuntios dixit eſſe. Nihil horum niſi* CALLIDE; *graviorem enim plagam accipiebat, ut leviorem repelleret.* Erneſti ad h. l. annotavit: „*Callide* vitioſum eſſe res docet. Nihil enim callidi eſt in „eo quo maius incommodum ſubimus.“ Recte ſcilicet ſi vocabulum ſeria mente poſitum opineris. Enim vero mirum eſt, quo pacto Erneſtium fugere potuerit ironia huic vocabulo ſubiecta. Quid? Si vernacula aliquis ſcripſiſſet: *Man muſs geſtehen, das alles macht Epicur ſehr geſcheit. Denn um einen kleinern Hieb auszupariren, läſst er ſich einen gröſsern beibringen;* nonne quivis ſtatim priorem ſententiam *εἰρωνικῶς* elatam intelligeret?

Cap. XXVI. *Idem facit in natura deorum. Dum individuorum corporum concretionem fugit, ne interitus et diſſipatio conſequatur, negat eſſe corpus deorum, ſed tamquam corpus; nec ſanguinem, ſed tamquam ſanguinem. Mirabile videtur, quod non rideat haruſpex, cum haruſpicem viderit. Hoc mirabilius, quod vos inter vos riſum*

tenere possitis. Non est corpus, sed quasi corpus. Hoc intelligerem quale esset, SI ID *in cereis* FINGERETUR *aut fictilibus figuris, in deo quid sit quasi corpus, aut quasi sanguis intelligere non possum.* Recte vir doctus in Misc. obss. Vol. III. p. 158. expungenda censuit verba *si id fingeretur.* Nempe hoc significatur: „Ista comparatio, *quasi corpus, quasi sanguis,* quam vim habere possit in cereis et fictilibus figuris, probe intelligo. Tum enim nihil aliud hac comparatione designatur, quam signum cereum aut fictile tam artificiose elaboratum esse, ut quam proxime ad corporis humani similitudinem accedat.

Cap. XXXIV. *Tu ipse paullo ante, cum tamquam senatum philosophorum recitares, summos viros desipere, delirare, dementes esse dicebas. Quorum si nemo verum vidit de natura deorum, verendum esse, ne nulla sit omnino. Nam ista quae vos dicitis sunt tota commentitia, vix digna lucubratione anicularum.* Ernesti fatetur hanc lucubrationem sibi nunquam placuisse; nec esse sermonem de libris. Deinde, „*approbatione*, inquit, aut simile quid, melius conveniret, nisi lucubratio „etiam de lectione nocturna dicitur.“ Kindervatero plana videntur omnia, si verba: *vix digna lucubratione anicularum* sic explicentur: *quae ab aniculis vel conscribantur vel legantur.* At iam Ernesti monuerat hic non agi de libris. Loquitur Cotta de commentitiis Epicuri de deorum natura sententiis, quibus v. c. diis figuram humanam, sexum etc. tribuebant. Et quis unquam fando audivit aniculas apud Romanos libros philosophicos legisse vel scripsisse. Mirum est Ernestio in mentem non venisse solennem illam *lucubrationis* significationem, qua de operibus muliercularum nocturnis usurpatur; non succurrisse notissimum Livii locum I, 57. ubi Tarquinii *Lucretiam nocte sera deditam lanae inter* l u c u b r a n t e s *ancillas*

ſedentem inveniunt. Sic lucubratio de opere ruſtico apud Columellam XI. 2. ubi lucubratio veſpertina et antelucana diſtinguitur. Itaque Cicero hisce verbis Cottae tributis nihil aliud ſignificare voluit, quam hoc, iſtas Epicureorum de diis opiniones mera commenta, meras fabulas eſſe, et quidem adeo abſurdas, ut vix dignae ſint quae lucubrantibus aniculis narrentur. Noſtri dicerent: *das ſind ja lauter Mährchen, kaum gut genug, daſs man ſie Abends alten Weibern beim Spinnrade vorerzählen dürfte.*

XXVI.

In Ciceronis de Divinatione libros animadverſiones criticae.

Lib. I. cap. 1. *Principio Aſſyrii, — propter planitiem magnitudinemque regionum, quas incolebant, cum coelum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, traiectiones motusque ſtellarum obſervaverunt, quibus notatis, quid cuique ſignificaretur, memoriae prodiderunt.* Recte Hottingerus in verbis *planitiem magnitudinemque* figuram eſſe ſenſit, quae dicitur *ἓν διὰ δυοῖν;* non tamen vertere debebat *unüberſchaubare Flächen. Traiectiones* autem *ſtellarum*, quo vocabulo ſignificantur *ſtellae volitantes*, (noſtris *Sternſchnuppen*) parum commode h. l. cum *motibus ſtellarum* componuntur. Hi enim neceſſario naturae ordine conſiciuntur; ſtellae autem volitantes fortuita ſunt *μετέωρα*; eaque recte a Cicerone lib. II. c. 6. in leviorum ſignorum, quae ad augurum vel haruſpicum disciplinam pertinebant, ordine et numero ponuntur. Ibi enim, *Nondum dico*, inquit, *quam haec ſigna nulla ſint*, ſiſſum iecoris, corvi cantus, volatus aquilae, STELLAE TRAIECTIO, voces furentium, ſortes, ſomnia, *de quibus ſingulis dicam ſuo loco, nunc de univerſis. Qui poteſt provideri, quidquam futurum eſſe, quod neque cauſam habet ullam, neque notam cur futurum ſit? Solis defectiones itemque lunae praedicuntur in multos annos ab iis, qui ſiderum motus numeris per-*

sequuntur. Ea enim praedicunt, quae naturae necessitas perfectura est. Ex quo intelligitur lib. I. c. 1. alienum esse *traiectiones stellarum.* Scripsit Cicero *compositiones* vel simile quid. Bene autem Hottingerus observavit, pro: *quid cuique significaretur*, legendum esse, *quid quoque significaretur;* idque confirmatur loco simili, cap. 41. *eademque interpretatur, quid quibusque ostendatur monstris atque portentis.*

Cap. II. *Cumque magna vis* VIDERETUR *esse et in impetriendis consulendisque rebus, et in monstris interpretandis ac procurandis, in haruspicum disciplina, omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant, ne genus esset ullum divinationis, quod neglectum ab iis videretur.* Herelius in libro *Magazin für Philologen* p. 129. coniicit scribendum esse: *cumque magna vis* CREDERETUR *esse*, quia statim in clausula periodi recurrit *videretur.* Probabiliter ille quidem. Eidem tamen haud assentimur verba, *in haruspicum disciplina* ad sequentia trahenti. Si quid mutandum esset pro *in haruspicum disciplina*, legi posset, *haruspicum disciplinae.* Sed non est necessarium. Paullo post vero idem Herelius prudenter emendavit lectionem *incitarentur.* Sensus postulat *incitentur.*

Cap. III. *Philosophorum vero exquisita quaedam argumenta, cur esset* VERA *divinatio, collecta sunt.* Ernesti delendum censebat VERA, eique adstipulatur Hottingerus. Sed hoc vocabulo prorsus deleto iusto brevior fit numerus huius incisi, ut melius sit vel *vere*, vel *re vera* substituere. Sic cap. 38. *quam quidem* (divinationem) esse re vera, *hac Stoicorum ratione concluditur.* Eandem ob causam ab utroque discedimus cum in verbis *iisdem* REBUS *fidem tribuit, reliqua divinationis genera reiecit*, eiiciendum putant REBUS. Hoc enim referendum est ad verba praecedentia, *somniorum et furoris*, quibus recte dicitur *fides haberi.*

Cap. IV. *Etenim ipse Cotta sic disputat, ut Stoicorum magis argumenta confutet, quam hominum deleat religionem. Tum Quintus, dicitur quidem istuc, inquit, a Cotta, et vero saepius, credo ne communia iura migrare videatur, sed studio contra Stoicos disserendi deos mihi videtur funditus tollere.* H. l. nondum satis explicatum legimus, quid sit *communia iura migrare.* Lucem vero accipiunt haec verba ex Cic. de Natura deorum lib. III. c. 2. Admonuerat nimirum Balbus Cottam libro II. extremo, ut ageret causam deorum, seque et *principem civem* et *pontificem* esse cogitaret. Huic Cotta sic respondet III. 2. „Non enim mediocriter moveor auctoritate tua, Balbe, orationeque ea, quae me in perorando cohortabatur, ut meminissem me et Cottam esse, et pontificem. Quod eo credo valebat, ut opiniones, quas e maioribus accepimus de iis immortalibus, sacra, ceremonias religionesque defenderem. Ego vero eas defendam semper" etc. Itaque communia iura h. l. sunt duo genera iuris publici partim *civile*, partim *pontificium;* utrumque ius migrare velle videri poterat Cotta, acrius adversus Stoicorum argumenta, quibus deos esse demonstrabant, disputando; in suspicionem enim incurrebat funditus tollendae religionis, quam si sustulisset, et malum civem et malum pontificem se praestitisset, i. e. ius utrumque commune tam civile quam pontificium migrasset.

Eod. cap. *Ego enim sic existimo, si sint ea genera divinandi* VERA, *de quibus accepimus, quaeque colimus, esse deos, vicissimque si dii sint, esse qui divinent.* Pulcre vidit Herelius eiiciendum esse VERA, brevitatem enim oppositionis et membrorum concinnitatem turbat.

Idem cap. VI. eleganter, ubi nunc legitur *tum aliquo instinctu inflatuque divino* corrigit *afflatuque; afflatus* enim

vocabulo Cicero poſtea quoque cap. XVIII. XIX. utitur. Similiter idem cap. L. extr. pro *inflatae mentes* ſubſtituit *afflatae.*

Cap. XI. In verſiculo:

Concurſusque graves ſtellarum ardore micantes.

Herelius emendat *gravi*, ne ſubſtantivum *ardore* epitheto careat. Idem nuper in mentem venit Wakefieldo ad Lucret. I. 1088. qui praeterea legendum cenſet *albore*, quia ſtatim dicitur: *claro tremulos ardore* cometas. Verumtamen *ardore* ſaepius poſtea quoque iteratur, omninoque ſententiae et verſiculo antecedenti aptius reſpondere videtur lectio ſic conſtituta:

Concurſusque graves ſtellarum ardore micantum.

Optime vero Herelius cap. XXI. divinavit, lectionem *curis ſumtus ſuſpirantibus* corrigendam eſſe ſic, ut legatur *curis punctus.*

Eiusdem philologi elegans eſt emendatio cap. XXVIII. *Tum et ſe exclamaſſe Salluſtius narrat, reditum tibi celerem et glorioſum paratum;* ubi dubium non eſt quin eo auctore reponendum ſit, *celebrem.*

Cap. XXXI. in his poetae verſiculis.

Iamque mari magno claſſis cito
Texitur, exitium examen rapit;
Advenit et fera velivolantibus
Navibu' complevit manu' litora;

Wakefieldus ad Lucret. V. 1441. commode emendat, *exitiûm*; idem pro *et fera* reponit *ecfera*, quod parum placet. Verius eſt, quod Herelius iudicavit pro *complevit* ſcribendum eſſe *complebit. Advenit* enim ex metri lege praeſens eſt; ex quo intelligitur in verbo

complere, quod ſequitur, nullum eſſe tempori praeterito locum.

At eidem non concedimus cap. XXXVI. in verbis *at Platoni cum in cunis parvulo dormienti apes in labellis conſediſſent*, adiectivum *parvulo* tamquam gloſſema delere cupienti. Quis enim vituperaret hodie ſic loquentem: *Da Plato als ein kleines Kind in der Wiege ſchlief;?* Similis fere eſt ratio loci cap. XLI. lib. II. *eſt hodie locus ſeptus religioſe propter Iovis pueri, qui lactens cum Iunone Fortunae in gremio ſedens, mammam appetens caſtiſſime colitur a matribus;* ubi nemo propterea delere velit vocabulum *lactens*, quod Iovem fuiſſe lactentem puerum e ſequentibus *mammam appetens* intelligi poſſit.

Cap. 51. *Viget enim animus in ſomnis liberque ſenſibus ab omni impeditione curarum, iacente et mortuo paene corpore.* Rectiſſime Herelius emendat: *liber ſenſibus atque omni impeditione curarum.*

Lib. II. cap. 1. *Quibus rebus editis tres libri perfecti ſunt de Natura Deorum.* Huic lectioni praeferenda eſt ſine dubio lectio cod. Daviſ. *Quibus libris editis.* Hottingerus poſt Schellerum delendum cenſet *libris*, quia ſtatim ſequitur *libri.* Sed ſi brevior enuntiatio placeat, aptius fuerit ſic reſcribere: *Quibus libris editis tres perfecti ſunt de Natura Deorum;* ſicut mox: *Atque his libris annumerandi ſunt ſex de Republica.*

Cap. III. *Numquid ergo in iis rebus eſt, quod proviſione et permotione mentis magis, quam natura ipſa ſentiamus? aut n e ſ c i o q u i i l l e divinus, ſi oculis captus ſit, ut Tireſias fuit, poſſit, quae alba ſint, quae nigra dicere?* Schellerus coniiciebat: *ut neſcio qui ille etc.* quod nimis benigne probat Hottingerus. Profecto autem ſecundum codices, quos laudat Daviſius, legendum eſt:

aut

aut num neſcio qui etc. Sed pronomen *ille* poſt *neſcio qui* parum aptum videtur. Itaque totam ῥῆσιν ſic conſtituere praeſtat: *Aut num neſcio qui divinus, ſi oculis captus ſit, ut Tireſias ille fuit, poſſit etc.*

Cap. V. *Sed enim animadverti; Quinte, te caute ab iis coniecturis, quae haberent artem atque prudentiam et ab iis rebus, quae ſenſibus, aut artificiis perciperentur abducere divinationem.* Iure offendebatur Hottingerus lectione quae codd. et edd. omnes obſedit *aut artificiis*, medicinam tamen corruptelae non inveniebat. Eam vero poſtea reperit Herelii ſagacitas, qui vidit legendum eſſe *arte vacuis.*

Idem Cap. XXXII. *Herbam eſſe aſperam, credo avium congeſtu, non humano ſatu* recte iudicavit poſt *aſperam* ſupplendum eſſe *creviſſe*. Alio autem ſupplemento quod Viro doctiſſimo cap. XXXVII. neceſſarium viſum eſt, facilius caremus. *Nam illud admodum ridiculum quod negas, Deiotarum, auſpiciorum quae ſibi ad Pompeium proficiſcenti facta ſunt poenitere.* Quia Quintus dixerat lib. I. c. 15. *negat* (leg. *negavit*) *ſe tamen* (Deiotarus) *eorum auſpiciorum quae ſibi ad Pompeium proficiſcenti* SECUNDA *evenerint, poenitere*, ideo Herelius vocabulum SECUNDA etiam II. 37. poſt *proficiſcenti* inſerciendum putat. Sine cauſa idonea. Nam cum hic locus ad Quinti narrationem I. 15. reſpiciat, ſubintelligi poterat SECUNDA, ſcribi haud erat neceſſe. Alia autem ratione locus ille ſublevandus eſt. Legendum enim: *Nam illud admodum ridiculum, quod negaſſe ais Deiotarum, ſe auſpiciorum — — facta ſint poenitere.*

Cap. XLIII. *Docet enim ratio mathematicorum — quanta humilitate luna feratur, terram paene contingens, quantum abſit a proxima Mercurii ſtella, multo autem longius a Veneris, deinde alio intervallo diſtet a ſole.* — He-

relius turbatum conſtructionis nexum reſtituturus, auctor eſt, ut corrigatur: *deinde quam* l o n g o *intervallo.* At ne ſic quidem omnino tollitur, id quod eſt in hac orationis parte perplexum. Mollius igitur idemque efficacius fuerit hoc modo locum ſanare: *quanta humilitate terra feratur — quantum abſit a proxima Mercurii ſtella. Multo autem longius a Veneris; deinde alio intervallo* DISTAT *a ſole, cuius lumine illuſtrari putatur.*

Cap. XLV. *Sed quae tanta dementia eſt, ut in maximis motibus mutationibusque coeli nihil interſit, qui ventus, qui imber, quae tempeſtas ubique ſit? Quarum rerum in proximis locis tantae diſſimilitudines* SAEPE *ſunt, ut alia Tuſculi, alia Romae eveniat ſaepe tempeſtas. Quod qui navigant maxime animadvertunt, cum in flectendis promontoriis ventorum mutationes maximas ſaepe ſentiant. Haec igitur cum ſit tum ſerenitas tum perturbatio coeli, eſtne ſanorum hominum etc.*

Herelius exiſtimat poſt *diſſimilitudines* adverbium *ſaepe* in *fere* aut *certe* corrigendum. Imo potius ſimpliciter expungendum eſt; non alia particula, quae hic ſane frigeret, reſarciendum. Sed maiore etiam vitio laborat locus ille, nondum quod ſciamus, a criticis animadverſo. Quid enim hoc ſignificat: *Sed quae tanta dementia eſt, ut in m. m. m. c. nihil interſit, qui ventus, qui imber, quae tempeſtas ubique ſit?* Hottingerus quidem interpretabatur ſic, quaſi dictum eſſet, *ut nihil intereſſe exiſtimetur.* At haec ratio duriuscula eſt. Verius eſt, quod editores neglexerunt hyperbaton orationis, ut ſaepe in Ciceronis libris factum eſt, particula CUM inter *ut* et *in maximis motibus*, forte extruſa. Sic igitur legendus et interpungendus eſt ille locus: *Sed quae tanta dementia eſt, ut CUM in maximis motibus mutationibusque coeli nihil interſit, qui ventus, qui imber, quae tempeſtas ubique ſit, (quarum rerum in proximis locis tantae diſſimi-*

litudines sunt, ut alia Tusculi, alia Romae eveniat saepe tempestas; quod qui navigant, maxime animadvertunt, cum in flectendis promontoriis ventorum mutationes maximas saepe sentiant;) haec igitur cum sit tum serenitas tum perturbatio coeli, estne sanorum hominum hoc ad nascentium ortus pertinere non dicere etc. Si Cicero inchoatam constructionem, quae pendebat ab *ut CUM in maximis*, tenere voluisset, scribendum erat: *ut cum haec igitur — coeli, hoc ad nascentium ortus pertinere non dicant;* sed propter longiorem parenthesin mutavit constructionem, ut saepe, eoque perspicuitati consuluit.

XXVII.

In Horat. Epist. II. 1, v. 94. 101. 105. 188. animadversiones criticae.

In prima libri secundi epistola Horatius novitatem poematum popularibus invisam esse questus, Graecorum iis exemplum opponit, quorum adeo varium, adeo flexibile fuerit et multiplex ingenium, ut nullam non artem recens inventam arripuerint, idque ab eo inde tempore maxime eluxisse dicit, quo a bellis adversus Persas maxime gestis, requiescere coeperint,

Ut primum positis nugari Graecia bellis
Coepit, et IN VITIUM fortuna labier aequa,
Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum,
Marmoris aut eboris fabros aut aeris amavit:
Suspendit picta vultum mentemque tabella;
Nunc tibicinibus, nunc est gavisa tragoedis;
Sub nutrice puella velut si luderet infans:
Quod cupide petiit, mature plena reliquit.
Quid placet aut odio est, quod non mutabile credas?
Hoc paces habuere bonae, ventique secundi.

Hoc loco primum ambiguum est, quid sibi voluerit poeta, cum scripsit, (si modo scripsit) in VITIUM lapsos esse Graecos fortunae aequitate. Primum enim illud apparet, laudare potius eum voluisse Graecos quam ob *vitium*, quodcunque demum illud fuerit, castigare. Sed castigaverit sane; quaerimus quid tandem sit illud *vitii*,

ob quod eos quaſi praetereundo carpendos cenſuerit. Sunt qui putent, *in vitium labi*, hoc loco idem eſſe ac *in illud nugandi vitium labi.* At ut non urgeamus hac ratione miſeram importari tautologiam, cum ſic dixiſſe Horatium fingamus: *poſtquam Graecia nugari coepit*, *et in hoc vitium nugarum labi;* hoc tamen iure noſtro ſumere licebit, ineptam ſic obtrudi poetae ſententiam, quaſi *vitio* vertere voluerit Graecis ſtudia in artibus ludicris poſita. Etenim cum dicuntur *nugari* coepiſſe, hoc *nugandi* vocabulum non habet vitii ſignificationem; opponuntur tantum artes elegantiores et gymnaſticae, feriis negotiis, inprimis bellicis. Alia igitur via quaerendum eſt, quid hoc ſit, *in vitium coepit Graecia fortuna labier aequa.* Scholiaſtes vetus expoſuit *in vitium* adiecto ſcholio: *in delicias.* Audimus. Nempe Latinos generis vocabulo quam ſaepiſſime ſic uti, ut formae notio iis ſubiiciatur tralaticium eſt. Verumtamen hac ratione ſic utuntur, ut ne plane illudant lectoribus. Illuderent autem, ſi vocabulum generis pro ſpecie ita ponerent, ut nullo modo, cuiusnam ſpecie notio hic valeret, lectores coniectando aſſequi poſſent. *Delicias* ſaepe in vitio poni nullum dubium eſt. Enimvero cum Quintilianus Inſt. orat. I. 8, 9. *quando nos*, *inquit*, *in omnia deliciarum genera vitiaque*, *dicendi quoque ratione*, *defluximus*, venuſte et perſpicue loquitur. Horatius autem ſi poſtulaſſet, ut ſe nihil aliud dicentem, niſi hoc, *in vitium* Graecia *labi coepit*, continuo de *deliciis Graecorum* intelligeremus, hariolorum potius, quam interpretum perſonas agere lectores voluiſſet. Quid enim? Nonne vitium in quod populus aequa ex fortuna delabitur, quod h. l. nos delicias interpretari iubemur, aeque bene *ſuperbia* eſſe poteſt, *ſolenne vitium ſecundis rebus*, ut ait Claudianus? (in Conſ. Stilich. I, 2, 161.) Nonne in alio populo minus, quam Graecia fuit, agili ac ſollerti longa pax, rerumque proſperitas hunc eventum habere poteſt, ut cives inertem deſidiam ſequantur, ab omni artium

elegantiorum cultura abhorrentem? Accedit, quod Horatius mutabile illud Graecorum ingenium, quo novas semper artes invectas novo studii calore amplectebantur haud in *vitio*, sed potius in laude ponendum pro consilio suo censebat. Cum enim quaerit,

Quod si tam Graecis novitas invisa fuisset
Quam nobis, quid nunc esset vetus?

quid aliud agit, quam ut Graecos ob istam novis artibus fruendi facilitatem laudet, Romanos autem invidiae accuset, quod sepultis tantum ingeniis plaudant? Quae quidem considerantibus nobis visus est ille locus vitii aliquid a librariorum negligentia traxisse. Legendum nempe est, ut opinamur

Ut primum positis nugari Graecia bellis
Coepit et in VACUUM fortuna labier aequa;

In VACUUM, scil. *tempus* labi, nihil aliud est, nisi in otium, adeoque in desidiam incidere. Notum est *vacuum* absolute positum modo *vacuum spatium*, ut saepius apud Lucretium, modo *vacuum tempus*, denotare. Sic in Sallustii loco quem laudat Gellius N. A. lib. IX. c. 12. *Postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit;* i. e. vacuum tempus s. otium ad simultates exercendas. Et sicut *corpora in vacuum* prolabi dicuntur, Lucretio VI. 1005. quidni Graecia Horatio dicatur *in vacuum* lapsa, h. e. in vacuum scil. a bellis tempus, in otium excolendis artibus idoneum et conducibile? Huic sententiae patrocinatur similis locus v. 161 sqq.

Serus enim Graecis admovit acumina chartis,
Et post Punica bella QUIETUS quaerere coepit
Quid Sophocles, et Thespis et Aeschylus utile ferrent.

Omnino igitur Horatio obversabatur cogitatio, artes quas v. 95 sqq. enumerat, pacis esse comites otiique socias, ut Ciceronis, de eloquentia idem pronuntian-

tis, verbis utamur. Idque adeo confirmat adiecto verſiculo 102.

Hoc paces habuere bonae ventique ſecundi.

Sed qui hunc proxime praecedit v. 101.

Quid placet aut odio eſt quod non mutabile credas?

eum indignum Horatio et a ſciolo quodam adiectum eſſe cenſemus. Nihil enim affert niſi ieiunum locum communem, qui pulcrum orationis filum miſere interrumpit, nec ſatis convenit poetae propoſito. Non enim id agebat, ut rerum omnium viciſſitudinem deploraret, ſed tantum abfuiſſe demonſtrat, ut Graecis novitas displicuerit, ut potius, ſimulatque iis otium contigerit, ad omnes artium varietates amplectendas pronos ſe eſſe et proclives ostenderint. Itaque legat nobis aliquis eiecto illo verſiculo, quem inſiticium putamus, locum perpetuum.

Ut primum poſitis nugari Graecia bellis
Coepit et in VACUUM fortuna labier aequa,
Nunc athletarum ſtudiis, nunc arſit equorum:
Marmoris aut eboris fabros aut aeris amavit:
Suspendit picta vultum mentemque tabella:
Nunc tibicinibus, nunc eſt gaviſa tragoedis,
Sub nutrice puella velut ſi luderet infans:
Quod cupide petiit, mature plena reliquit.
Hoc paces habuere bonae, ventique ſecundi.

Sentiet profecto multo ſuavius aptiusque decurrere ſententiam. Si quis tamen illum verſiculum 101 Horatio abiudicandum pertinaciter neget, certe ei auctores ſimus, ut transpoſitione orationis nexum nunc miſere impeditum ſublevet.

Hoc paces habuere bonae, ventique ſecundi!
Quid placet aut odio eſt, quod non mutabile credas?
Romae dulce diu fuit et ſolenne etc.

Sed in his ipsis, qui iam sequuntur, versibus

Romae dulce diu fuit et solenne reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere iura,
Cautos nominibus rectis expendere nummos,
Maiores audire, minori dicere per quae
Crescere res posset, minui damnosa libido.
Mutavit mentem populus levis et calet uno
Scribendi studio.

si versiculum 105.

Cautos nominibus rectis expendere nummos,

ut vulgo fit, ab antecedente et sequente seiunctum interpretamur, *gegen gute sichre Verschreibungen sein Geld an Zinse legen*, subdifficilis oritur quaestio, quomodo Horatius dicere potuerit Romanos sua aetate desiisse rem foenebrem exercere. Imo hoc prorsus repugnaret iis, quae in Epistola ad Pisones V. 325 pronuntiata legimus:

Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. Dicat
Filius Albini; Si de quicunce remota est
Uncia, quid superat? — Poteras dixisse: Triens! Eu!
Rem poteris servare tuam.

Huic incommodo ut obviam eamus, levi correctione desungi possumus; nempe si rescribatur:

Clienti promere iura
CAUTO nominibus rectis expendere nummos.

Clienti cauto expendere h. e. in expendendis nummis cauto et provido, Clientes enim constat, qui ICtos consulebant, saepe de formulis chirographorum, aut de rationibus pignorum et hypothecarum consuluisse. Notat igitur Horatius, de his rebus non ut olim consuli ICtos solere; id quod Cicero quoque observavit Orat. pro Murena cap. XI. Sed qui hac scripturae emendatione haud

delectatur, videat, an difficultas interpunctione mutata expediri poſſit, hoc modo:

Clienti promere iura,
Cautos nominibus rectis expendere nummos
Maiores audire;

h. e. ſolenne fuit olim Romanis maiores audire, qui cauti eſſent in nummis ita expendendis, ut creditor decipi non poſſet.

Reſtat in eadem epiſtola locus, varie quidem tentatus, nondum tamen ſatis expeditus.

Saepe, etiam audacem, fugat hoc terretque poetam
Quod numero plures, virtute et honore minores
Indocti ſtolidique, et depugnare parati,
Si discordet eques, media inter carmina poſcunt
Aut urſum aut pugiles: his nam plebecula gaudet
Verum equiti quoque iam migravit ab aure voluptas
Omnis ad INCERTOS oculos et gaudia vana.

Iam olim quaeſitum eſt, quid ſit quod Horatius oculos hic *incertos* appellaverit. Et veteris quidem ſcholiaſtae opinionem, qui fallaces interpretabatur ſecundum Academicos, qui contenderint oculos noſtros in multis falli et in pluribus rebus certius eſſe, quod audiatur, bene iam Bentleius confutavit. Nempe haec prorſus aliena ſunt ab Horatii propoſito. Gesnerus exponendum putabat, primo fluctuantes, dubios, distractos propter varietatem, tum ignaros, quid videant, docendos demum ab aliis. Priori autem rationi obſtat hoc, quod aures ſimiliter ſonorum varietate distrahi et obtundi poſſint; alteri autem, quod ſenſus incertitudo et obſcuritas non magis in viſum quam in auditum cadit. Et quod Gesnerus hic advocavit verſ. 205. in eo prorſus ab Horatii conſilio aberravit. Ibi enim aliquis inducitur docendus ab alio, non quid viderit? ſed quid audiverit. Nempe veſtem actoris purpuream clare ſatis conſpexerat, incertus autem erat, an iam aliquid

dixiſſet. Itaque mirandum eſt, fuiſſe, qui deſperata interpretatione commoda ad emendationem confugerent. Et *Cunningami* quidem coniectura, *INCESTOS oculos* reponere iubentis, prorſus eſt aſpernanda. Bentleii autem lectionem *INGRATOS OCULOS*, cui ille tantum tribuit ut in contextum reciperet; libenter amplecteremur, niſi et paullo abſtruſior eſſet ad ſenſum, et hoc ſaltem incommodi relinqueret, quod parum recte dici videtur: migravit equiti ab aure voluptas — *ad gaudia vana.* Quid enim hoc aliud eſt, quam ſi diceretur: *migravit voluptas ad voluptatem?* Quapropter alia via ad lectionis veritatem, quam nos quoque librariorum vitio adulteratam eſſe arbitramur, redeundum cenſemus. Legendum ſcilicet nobis videtur:

Verum equiti quoque iam migravit ab aure voluptas
Omnis ad INTENTOS oculos IN gaudia vana.

Iam nihil ſupereſt in orationis ſtructura impeditum. Verborum enim collocatio ſimilis eſt ei, qua utitur Livius IV. 17. cum dicit: *qui poſtquam INTENTOS homines IN eventum periculi alieni — eſt adortus.* Nec in ipſa imaginis conformatione, quae voluptatem ab auribus ad oculos migrantem ſiſtit, quidquam occurrit quod reprehendas, omninoque iam ſententiis et antecedentibus, et iis quae v. 196. dicuntur, optime reſpondet.

XXVIII.

In Quintiliani Instit. Orat. lib. III. c. 3.

Quintilianus libro tertio institutionum oratoriarum C. 3. ubi de quinque illis eloquentiae partibus, a rhetoribus fere traditis, agit, *inventione* nimirum, *dispositione*, *eloquutione*, *memoria*, *pronuntiatione* denique s. *actione;* nonnullos quoque sextam partem adiecisse docet, ita ut inventioni iudicium subnecterent, quia primum esset *invenire*, deinde *iudicare*. Quod quum sibi parum placere significasset, quippe qui ne invenisse quidem crederet eum, qui non iudicaverit, his quae sequuntur verbis, quae Cicero de ea re senserit, exponit. „*Et Cicero quidem in* RHETORICIS *iudicium subiecit inventioni, mihi autem adeo tribus primis partibus videtur esse permixtum, (nam neque dispositio sine eo, neque eloquutio fuerit) ut pronuntiationem quoque vel plurimum ex eo mutuari putem. Quod hoc audacius dixerim, quod in* PARTITIONIBUS ORATORIIS *ad easdem de quibus supra dictum est, quinque pervenit partes. Nam quum dupliciter primum divisisset in inventionem atque eloquutionem; res ac dispositionem inventioni, verba et pronuntiationem eloquutioni dedit; quintamque constituit communem ac velut custodem omnium memoriam. Idem in* ORATORE, *quinque rebus constare eloquentiam dicit; in quibus postea scriptis certior eius sententia est.*

Hic igitur primum quaerendum est, quo loco Rhetoricorum Cicero plures quam quinque partes eloquentiae

fecerit. Rhetoricos vero Ciceronis libros ubi Quintilianus laudat, semper intelligit eos, quos nunc vulgo sed novo titulo de *Inventione* appellant. Cicero enim adolescens libris illis Rhetoricis totam artem oratoriam complecti voluerat; duobus vero illis, qui exstant, quibus prima tantum pars, inventio nimirum oratoria tractatur, absolutis inchoatum opus deseruit, certe reliqua non edidit. Quintilianus igitur hos libros, ubi eorum inscriptionem diserte commemorat semper Rhetoricos appellat. Lib. II. 14. aperte testatur Ciceronem eos *Rhetoricos* inscripsisse his verbis: „*Denique quum M. Tullius, etiam ipsis librorum, quos hac de re primum scripserat, titulis Graeco* (scil. *Rhetoricorum*) *nomine utatur, profecto non est verendum, ne temere videamur oratori maximo de nomine artis suae credidisse.*

Eosdem libros Rhetoricos nominat Quintil. II. 15. „Cicero pluribus locis scripsit, oratoris officium esse, *dicere apposite ad persuadendum. In* rhetoricis *etiam, quos sine dubio ipse non probat finem facit persuadere.*

Qui locus est ap. Cic. de Inv. I. 5.

Porro Quintil. III. 6. 49. eosdem libros quos Cicero adolescens de arte scripserat, Rhetoricos nominat. „*Posuerat et Cicero in libris rhetoricis facti, nominis, generis, actionis quaestionem*, ubi locum de Inv. I, 8. respicit: et eod. cap. §. 63. *Et M. Tullius non dubitavit aliquos iam editos libros aliis postea scriptis ipse damnare, sicut Catulum atque Lucullum, et hos ipsos, de quibus modo sum loquutus, artis Rhetoricae.* Similiter III. 5, 14 et III. 6, 57. laudat *Rhetoricum Ciceronis primum.* Iterum III. 11, 10. *Rhetoricos* Ciceronis libros una cum Partitionibus citat. Quae quum ita sint, profecto mirum est Gesnero in mentem venire potuisse, Quintilianum ubi loco supra posito III. 3. ait Ciceronem in Rhetoricis iudicium subiecisse inventioni, respexisse locum in Oratore c. 14. 15.

Cui quidem ſententiae recte nuper repugnavit Spaldingius novae editionis, eiusque praeſtantiſſimae tom. I. p. 444. et iam antea Regius et Burmannus in praefatione edit. libror. ad Herenn. et Ciceronis Rhetoricorum verum viderant.

Quum igitur in libris Rhetoricis Cicero quinque tantum partes eloquentiae conſtituerit (de Inv. I. 7.) *inventionem*, *diſpoſitionem*, *eloquutionem*, *memoriam*, *pronuntiationem*, quaeritur, quomodo Quintilianus dicere potuerit, Ciceronem in iisdem libris *iudicium* ſubieciſſe *inventioni*. Cui quidem quaeſtioni reſpondendi triplex eſt ratio. Etenim *vel* memoria lapſum eſſe Quintilianum dici poteſt; *vel* Ciceronem in reliquis Rhetoricorum libris, ſi modo plures, quam duo, quos habemus, edidit, ab ea ſententia quam libro primo propoſuerat discesſiſſe, et iudicium tamquam ſextam eloquentiae partem inventioni ſubieciſſe; vel denique textum Quintiliani corruptum eſſe, et in verbis eius: „et Cicero quidem in *Rhetoricis*", pro vocabulo *Rhetoricis* aliud alius Ciceroniani libri nomen ſubſtituendum eſſe.

Ex tribus igitur hisce rationibus, quae probabilior ſit videamus.

Memoria lapſum eſſe h. l. Quintilianum, (quamquam ſaepe memoriter eum Ciceronis libros excitare, interdumque in eo erraſſe ſcimus) ſed h. l. ubi Rhetoricos Ciceronis libros cum partitionibus oratoriis et Oratore confert, vix eſt credibile. Hic potius ipſum codices librorum Ciceronianorum inſpexiſſe multo eſt veriſimilius.

Quid igitur? Num ſi Quintilianus *Rhetoricos libros* laudat, in quibus Cicero iudicium ſubiecerit inventioni tamquam ſextam eloquentiae partem, perſuadebimus nobis Ciceronem in ea librorum Rhetoricorum parte, quae forſan interciderit, huiusmodi aliquid ſtatuiſſe?

In hanc ſententiam pronus eſt Spaldingius, vir doctiſſimus, idemque acutiſſimus, l. l. cuius verba huc trans-

ſcribere lubet. „Alios ullos Ciceronis libros, quam quos vulgo *de Inventione* appellamus deſignari nemini, ſi ſapimus, credemus; quum conſtans Quintiliani aliorumque veterum uſus repugnet, hos ſolos *Rhetoricos* vocantium. In quibus, quum haec, quae tangit Quintilianus, fruſtra quaerantur, relinquitur, ut interciderit operis pars, quae contineret iſta. Neque ceteroqui dubium eſt, quin imperfectum ad nos pervenerit illud, quod unicuique extremum librum legenti incurrit in oculos. Ipſum quidem ſcriptorem telam non pertexuiſſe, ſed librum ut ſe indignum, (qualem tum, quum ſcribebat, profecto non putabat) omiſiſſe, temere ſibi perſuadent quidam. Nonniſi prava interpretatione eo trahas de Orat. I. 2. init. vid. Fabr. bibl. lat. Ern. I. 145. Quum igitur inventionem prioribus duobus libris tractaſſet, in ſequentibus videtur transiiſſe ad *diſpoſitionem;* ita tamen ut negaret de *iudicio* ſeorſim eſſe opus praecipere, quia *ſubiectum* eſſet *inventioni. Subiiciendi* ſignificatio ſane et hic retinenda eſt ea, qua generi ſpecies dicitur ſubiecta. Aliud eſt *ſubiungere* (§. 10.) *ſubnectere* (§. 5.), aliud *ſubiicere.* Illo faciendo rem *ſubiunctam*, *ſubnexam* ponimus ipſam poſt praecedentem, ut alteram ſpeciem; hoc eam praecedenti, tamquam genere, comprehenſam demonſtramus; ipſamque interdum etiam omittimus. Exempla apud noſtrum I. 4. ubi vid. not. crit. 3, 3, 9. 3, 8, ib. l. 2. cet. ap. Cic. de Orat. I. 42. de Off. I. 27. Top. c. 8. de Fin. 2, 4. Neque putes ſex eloquentiae partes factas exprobrari Ciceroni, verum illud reprehendi; quod iudicium magis cum inventione coniunxerit quam cum ceteris partibus. Fateor tamen in ſequentibus etiam numerum ipſum eloquentiae partium auctum a Cicerone in Rhetoricis ſignificari, quoniam quinque partes in aliis eiusdem libris agnitae opponuntur. Haec autem ut exiſtat ſententia emendatione opus eſſe exiſtimo, ut pro *ſubiecit;* legatur: *ſubiunxit.*" Hactenus Spaldingius.

At primum nemo veterum ex libris Rhetoricis Ciceronis plures quam illos duo superstites qui sunt de Inventione citat; quapropter illum locum Ciceronis de oratore I. 2. *quae pueris aut adolescentulis nobis ex commentariolis nostris inchoata ac rudia exciderunt*, recte sic interpreteris licet, ut *inchoata* significet, *non ad finem perducta*, alterum epitheton *rudia*, idem sit, ac *non satis perfecta et perpolita.*

Neque vero negamus Ciceronem totam illis libris artem Rhetoricam tractandam sibi sumsisse; sed fieri potuit ut vel non absolverit opus, vel ut primi tantum libri in vulgus exirent. Deinde etiamsi totam artem Rhetoricam, cuius primi libri de Inventione tantum exstant, legisse Quintilianum fingamus, non tamen est credibile, Ciceronem qui libro primo diserte quinque partes eloquentiae fecerat, postea quasi sui oblitum sex voluisse facere. Quod autem Spaldingius negat sex eloquentiae partes factas exprobrari Ciceroni, id quam lubricum sit negare, statim videtur ipse sensisse. Certe totus huius loci apud Quintilianum contextus docet, hoc ipsum in Cicerone reprehendi.

Itaque videamus an emendatione textum Quintiliani sublevare possimus. Quid? si scripsit: „*Et Cicero quidem in* ORATORIIS *iudicium subiecit inventioni*". Nempe ut vocabulo: *oratoriis* significaverit libros tres de oratore. Sic III. 1. 20. Quintil. *post Ciceronem*, inquit, *tacere modestissimum foret*, *nisi et rhetoricos suos ipse adolescenti sibi elapsos diceret*, *et in oratoriis haec minora*, *quae plerique desiderant*, *sciens omisisset.* Hic manifestum est oratorios libros esse illos tres de Oratore. Facile igitur librarii illo loco, quem tractamus pro *oratoriis* potuerunt substituere *rhetoricis.* Si igitur Quintilianus hic ad Ciceronis libros de oratore respexit, vix alius ei locus obversatus est, quam de Orat. I. 31. *Cumque esset omnis oratoris vis ac facultas in quinque partes distributa*, *ut debe-*

ret reperire primum quid diceret, deinde inventa non solum ordine, sed etiam momento quodam atque iudicio dispensare atque componere. Hic igitur Quintilianus Ciceronem putabat, iudicium inventioni subiecisse, quamquam in hoc errabat, quod illum quinque illas eloquentiae partes sexta quadam augere voluisse opinabatur.

Quod autem Quintilianus paulo post ait Ciceronem in Oratore, quinque partibus constare eloquentiam dixisse, Gesnerus et post eum Spaldingius negat, tale quid in Oratore reperiri. Sed potuit Quintilianus respicere ad locum Oratoris, c. 17. *Et quoniam coepi iam cumulatius hoc munus augere, quam a te postulatum est; (ibi enim tantum de orationis genere quaerenti respondi etiam breviter de inveniendo et collocando,) ne nunc quidem solum de orationis modo dicam, sed etiam de actionis; ita praetermissa pars nulla erit; quandoquidem de memoria nihil est hoc loco dicendum, quae communis est multarum artium.* Hic igitur Cicero easdem quinque partes eloquentiae agnoscit, inventionem, dispositionem, eloquutionem (quam hic dicit *orationis modum*), memoriam, actionem.

Quare hic non opus est, cum Spaldingio corrigere: *in libris de oratore;* et quae sequuntur verba: „*in quibus postea scriptis certior eius sententia est*, referri possunt ad duo libros Ciceronis, *partitiones oratorias*, et *oratorem*, quos Quintilianus libris de Oratore eodem modo opponit, quo lib. IX. 3, 90. Oratorem libris de Oratore, quum dicit: *Nam inprimis M. Tullius multas* (figuras) *in tertio de oratore libro posuit, quas in oratore postea scripto, transeundo videtur ipse damnasse.* Et si cui, ut Spaldingio, ellipsis in verbis illis: *in quibus postea scriptis certior eius sententia est*, paullo durior videatur pro ratione structurae, nihil prohibet, quo minus emendandum censeamus: *in quibus libris postea scriptis.*

XXIX.

XXIX.

Diatribe in Taciti Annal. lib. II. c. XXIII. XXIV.

Illuſtris eſt Taciti locus, de navigatione Germanici per Oceanum ſeptentrionalem, Annalium II. 23 ſqq. nondum ita explanatus, ut novis interpretum aut criticorum ſtudiis opportunitas deſit.

Germanicus tertium iam annum cum Germanis belligerans, cum ſe a Tiberio ſpecie quidem ad componendas Orientis turbas evocari, re vera ſuetis legionibus abstrahi novisque provinciis impoſitum dolo ſimul et caſibus obiectari ſenſiſſet, lente parendum Tiberio duxit, et iam accelerandae victoriae intentior nova via Germaniam ſibi tentandam eſſe putavit. Claſſe igitur mille navium fabricata quas in inſulam Batavorum convenire iuſſerat, lacus inde et Oceanum usque ad Amiſiam flumen ſecunda navigatione pervectus, claſſeque ibi in ſtatione relicta, primum Angrivarios Stertinio duce ſudit, deinde Cheruſcos et Arminium ingenti praelio vicit, bellum denique in Angrivarios Stertinio perſequendum mandavit. Quod cum illi deditione facta devitaſſent, Caeſar Germanicus, aeſtate iam adulta, legionum alias itinere terreſtri in hibernacula remiſit; plures autem claſſi impoſitas per flumen Amiſiam Oceano invexit, ibique praeter opinionem magnam atroci tempeſtate coorta cladem accepit. Cuius deſcriptionem difficilibus quibusdam nodis implicitam et perplexam, cum

nobis curatius, quam adhuc a doctis viris factum ſit, explicare operae pretium eſſe videatur, primum ipſum, quo in explanando verſabimur, caput exſcribemus; deinde, quibus ſuſpicionibus adducti textum unius quidem fortaſſe verbi corruptela, ſed a qua multorum quae ſequuntur ſenſus pervertatur, laborare ſtatuerimus, denique quomodo ei malo ſubveniendum, Tacitique loco ſenſum pariter ac lectionis veritatem reſtituendam eſſe arbitremur quam fieri poterit breviter ac dilucide exponemus.

Ita igitur Tacitus cap. XXIII. lib. II. Annal. *Sed aeſtate iam adulta legionum aliae itinere terreſtri in hibernacula remiſſae, plures Caeſar claſſi impoſitas per flumen Amiſiam Oceano invexit. Ac primo placidum aequor mille navium remis ſtrepere, aut velis impelli, mox atro nubium globo effuſa grando, ſimul variis undique procellis incerti fluctus proſpectum adimere, regimen impedire; milesque pavidus et caſuum maris ignarus, dum turbat nautas vel intempeſtive iuvat, officia prudentium corrumpebat. Omne dehinc coelum et mare omne in* AUSTRUM *ceſſit, qui tumidis Germaniae terris, profundis amnibus, immenſo nubium tractu validus et rigore vicini ſeptentrionis horridior, rapuit disiecitque naves in aperta Oceani, aut inſulas ſaxis abruptis, vel per occulta vada infeſtas. Quibus paulum aegreque vitatis, poſtquam mutabat* AESTUS, *eodemque, quo ventus, ferebat, non adhaerere ancoris, non exhaurire irrumpentes undas poterant; equi, iumenta, ſarcinae, etiam arma praecipitantur, quo levarentur alvei, manantes per latera et fluctu ſuperurgente.* (Cap. XXIV.) *Quanto violentior cetero mari Oceanus, et truculentia coeli praeſtat Germania, tantum illa clades novitate et magnitudine exceſſit hoſtilibus circum littoribus, aut ita vaſto et profundo, ut credatur noviſſimum ac ſine terris, mari. Pars navium hauſtae ſunt; plures apud inſulas longius ſitas eiectae: milesque nullo illic hominum cultu fame abſumtus, niſi quos corpora equorum eodem eliſa, tolera-*

verant. Sola Germanici triremis Chaucorum terram appulit, quem per omnes illos dies noctesque, apud ſcopulos et prominentes oras, cum ſe tanti exitii reum clamitaret, vix cohibuere amici, quo minus eodem mari oppeteret. Tandem relabente AESTU, *et ſecundante vento claudae naves raro remigio aut intentis veſtibus quaedam a validioribus tractae revertere, quas raptim refectas miſit ut ſcrutarentur inſulas. Collecti ea cura plerique multos Angrivarii nuper in fidem accepti, redemtos ab interioribus reddidere; quidam in Britanniam rapti, et remiſſi a regulis; ut quis ex longinquo reverterat, miracula narrabant, vim turbinum et inauditas volucres, monſtra maris, ambiguas hominum et beluarum formas, viſa ſive ex metu credita.* Hactenus ille.

Iam prima cap. 23. verba nihil difficultatis habent. At cum dicit Tacitus: *Omne dehinc coelum et mare omne in* AUSTRUM *ceſſit;* in his ipſis quidem interpretandis haerere nemo poteſt; nihilo tamen ea ſecius, ubi ad ſequentia perrexerit, in tricas interpretem coniiciunt. Etenim quas antea Tacitus memoraverat tempeſtatis iniurias 1. *atro nubium globo effuſam grandinem*, et 2. *variis undique procellis incertos fluctus*, eas igitur brevius dicit *omne coelum et mare omne*, plane ut Polybius I, 37. (p. 63. ed. Erneſt.) πρὸς τὴν θάλατταν καὶ τὸ περιέχον βιαιομαχεῖν dixit h. e. cum maris fluctibus et coeli iniuriis, ſcil. ventis, procellis, grandine depugnare. Iam *omne coelum et mare omne in Auſtrum ceſſit* nihil aliud ſignificare poteſt, niſi hoc: Omnis vis grandinis omnisque vis procellarum, quae modo variae fuerant incertosque fluctus fecerant, iam translata eſt in Auſtri vim ac vehementiam. Ut enim Tacitus Annal. I, 1. *Pompeii* inquit, *Craſſique potentia cito* IN *Caeſarem: Lepidi atque Antonii arma* IN *Auguſtum* CESSERE; ſic h. l. *omne coelum et mare omne* IN *Auſtrum* CESSIT; quae verba Germanice, ſi preſſius imitari velis, ita reddas: *das ganze Wetter und das ganze Meer ward nun*

dem Südwind zu Theil; ſin abundantius ad ſenſum declarare, ſic: *das bisherige Hagelwetter und die Wechſelwinde gingen nun in einen Südſturm über: dem auch der Zug der Meereswellen folgte.*

Hactenus omnia plana. Verum iam multae incidunt cauſae, quae quidem Auſtro nullum hic locum eſſe, neque eum adeo a Tacito h. l. memorari potuiſſe, non confirment ſolum, ſed nobis etiam plane perſuadeant. *Initio* enim, cum de Auſtro dicitur: *qui humidis* (ſic enim pro *tumidis* legendum eſſe poſt apparebit) *qui humidis Germaniae terris, profundis amnibus immenſo nubium tractu validus;* id quidem hactenus neminem offendet, qui Auſtrum pluvium humidumque et eſſe et dici cogitaverit v. c. Vitruv. VIII, 2. Virgil. Ge. I, 462. imo forte magis blandietur comparanti Senecae locum, de antelucanis ventorum flatibus differentis Natural. Quaeſt. V, 9. quos ideo dicit vere et aeſtate validiores eſſe, quia ver aquoſius ſit, et ex plurimis aquis locisve ob humidam coeli naturam ſaturis et redundantibus maior evaporatio ſit. Veruntamen hic locus quantum verborum ſono cum eo, quem tractamus concinere videtur, tantum re et argumento ab noſtro discrepat. Quaerimus igitur, quomodo Auſter potuerit dici humidis Germaniae terris, profundis amnibus, immenſo nubium tractu *validus?* Ac de nubibus quidem dubitari nequit, quin ut a vento contractae et glomeratae fuerint, eaedem vi ſua et mole robur venti et violentiam acuere et augere poſſint. Verum quid fiet de humidis Germaniae terris? quid de profundis amnibus? Num his etiam cauſis venti fiunt validiores? Atqui hoc nemini in mentem venerit, ne ſomnianti quidem. Neque vero nobis audiendus eſt, ſi quis ad eam ſubtilitatem verba ſcriptoris revocare voluerit, ut dicat, quóniam e terris paludoſis magnisque fluminibus maior ſit reſpiratio aquarum, quae in nubes colligantur, magni autem nubium tractus ventis robur ad-

dant, idcirco et humidis terris et profundis fluminibus incrementa ventorum tribui posse. Quis enim non videat hac ratione inanis Tacitum verbositatis argui, quo vitio nullum est ab hoc scriptore, qui singulis paene verbis singulas sententias concludit, alienius. Quare positum nobis hoc sit inprimis, in eo quod dicatur Auster humidis terris et profundis amnibus validior fuisse, incommodum esse aliquid, et *ἄκυρον*, et Taciti stilo indignum.

Deinde nova difficultas, eaque haud paullo gravior oritur ex his, quae sequuntur,' verbis: *et rigore vicini septentrionis horridior.* Ac primum quidem etsi in vocabulo septentrionis ambiguitas inest, cum illud et plagam septentrionalem, et ventum septentrionarium significare possit, utrum tamen eligas parum aut nihil interest. Neutra enim significatio eum sensum efficit, qui cum ea re, de qua loquitur Tacitus, h. e. cum Austri natura conciliari recte queat. Si *septentrionem* de plaga coeli intelligas, rigorem h. l. frigus interpreteris necesse est, totamque *ῥῆσιν* sic vertas: *der Südwind der durch die Kälte des benachbarten Norden noch rauher wurde*, in quo si vel maxime demus illo tempore, quamvis exeunte aestate, tamen propter maiorem, quae tum erat in Germania, caeli truculentiam, permultum tot seculorum intervallo mitigatam, frigora, quae nunc November demum afferat, iam exeunte Augusto, aut Septembris initio incidisse, tamen illud manet incommodum, quod ubi de vi venti sermo iniectus erat, ibi frigoris mentionem facere, alienum a proposito et supervacuum videtur. Accedit quod venti quidem prout calidas aut frigidas terras permeant, ac perflant, ipsi quoque calidiores aut frigidiores fiunt; non autem aeque bene ventorum flatibus eius coeli qualitas, quo feruntur, tribui potest. Sin autem *septentrionem* h. l. ventum septentrionalem interpreteris, hic tibi sensus exsistet verborum: *der Südwind — der durch die Stärke des benachbarten Nord-*

windes rauher wurde; in quo cum abſonum et inficetum eſſet ventum ſeptentrionem Auſtro vicinum dicere, tum aperte ſuperioribus repugnaret. Nam cum ſupra Tacitus omne coelum et mare omne in Auſtrum ceſſiſſe dixiſſet, nonne ſublatis variis, quae fuerant, procellis omne maris imperium ad Auſtrum rediiſſe ſignificaſſet? quod idem rurſus negaſſet, ſi acrem ſimul ſeptentrionem ortum eſſe ſcripſiſſet.

Denique his verbis: *poſtquam mutabat aeſtus eodemque quo ventus ferebat*, varia nobis materia dubitandi praebetur. Nam cur Tacitus diceret, *poſtquam* MUTABAT *aeſtus*, qui nec verbo quidem antea *aeſtus*, qui iam mutatus diceretur, mentionem feciſſet? Deinde ſi aeſtus maris nunc demum, poſtquam mutaverat, eodem quo ventus ferebat, neceſſario efficitur, eum, antequam mutaretur, vento adverſum et contrarium fuiſſe, adeoque aeſtum antea ſe ex alto verſus Auſtrum incitaviſſe, nunc eodem quo Auſter ferebat h. e. Septentrionem verſus reciprocaſſe. At ſi aeſtus initio Auſtro adverſus fuiſſet, iterum ſibi Taciti narratio repugnaret. Supra enim relatum legimus *coelum et mare omne in Auſtrum ceſſiſſe*, quod aut nullum aut hunc ſenſum habere vidimus, maris fluctus ceteramque tempeſtatem eundem quem Auſter teneret curſum tenuiſſe h. e. ab eo ſeptentrionem verſus actos iactatosque fuiſſe.

Has igitur tot tantasque difficultates una et ſimplici ratione non modo ſublevari, ſed plane e medio tolli cenſemus, ſi pro eo quod nunc legitur in textu: *omne coelum et mare omne in* AUSTRUM *ceſſit;* reſcribatur: *omne coelum et mare omne in* AESTUM *ceſſit*, quam emendationem noſtram doctis viris probatum iri ſperamus, ſi quibus ad eam confirmandam argumentis uſi fuerimus, eorum non ſingulorum tantum vim ſpectare, ſed ea quaſi in ſummam collecta quam firma ſint ad probandum iudicare voluerint.

Primum igitur notum eſt, quam celebratus et infamis inter Romanos fuerit Oceanus Germanicus propter maximos aeſtus maritimos (*Ebbe und Flut*) in eo contingere ſolitos. Nemo fere eſt Geographorum antiquiorum, quin ſi de illo mari loquatur, etiam aeſtus illos, marisque fluctus identidem reciprocantes memoret. Ut eos, qui aetatem non tulerunt v. c. Poſidonium et Eratoſthenem ſilentio praetereamus, quos tamen de Oceani aeſtu multum disputaviſſe alii ſcriptores commemorant, multus eſt in aeſtus natura univerſa deſcribenda Plinius, lib. II. c. 97. idem tamen peculiariter aeſtus in Oceano Germanico, et circa Britanniam tangit. (ibid. Sect. 99. fin.). Strabo cum fuſius de aeſtibus maritimis disputaſſet lib. III. tamen ubi de Cimbris agit lib. VII. p. 203. ed. Caſaub. eorum, qui in Oceano Germanico fiant, mentionem facit. Neque vero eos ſilentio praeteriit Pomponius Mela lib. III. c. 6. et Seneca.

Deinde magnum emendationi noſtrae momentum accedit ex eo, quod iam ſaepius Romani in Oceano Septentrionali propter imperitiam eius maris aeſtus maritimos cum periculo experti fuerant. Hoc primum accidit C. Iulio Caeſari, qui eum caſum luculenter enarrat lib. IV. 28. 29. de bello Gallico, qui locus adeo eſt noſtro ſimilis ut commentarii inſtar eſſe poſſit. Deinde Druſus narrante Dione Caſſio lib. LIV. cum Friſios ſubegiſſet, Cheruſcorumque fines ingreſſus eſſet, in periculo fuit ne naves propter aeſtus receſſum in vadoſo mari ſiderent τῶν πλοίων ἐπὶ τοῦ Ὠκεανοῦ παλιῤῥοίας ἐπὶ ξηροῦ γενομένων. Iam ut ſingula ordine perſequamur verba illa: omne *coelum et mare omne in* AESTUM *ceſſit*, ſignificant et varias iſtas procellas grandinemque et incertos fluctus in aeſtum abiiſſe maritimum. Ac fieri poteſt, ut Tacitus hoc quoque innuerit, ventum ſeptentrionem, cuius deinde mentionem facit nihil adverſus aeſtus vim valuiſſe. Nam aeſtum interdum adeo validum eſſe, ut ei et ventus cedat, neminem

rei nauticae peritum fugit, et iam obſervavit Vegetius de re milit. lib. V. cap. 12. Porro autem cum aeſtus dicitur fuiſſe *humidis Germaniae terris, profundis amnibus immenſo nubium tractu validus*, haec omnia Tacitus non aliam ob cauſam attulit, quam ut lectoribus ostenderet, unde tanta vis aquarum quibus aeſtus ille vehementer increſceret, in Oceano Germanico collecta ſit. Romani enim et Graeci ſcriptores, qui longe maiores aeſtus in Oceano quam in concluſis maribus fieri obſervaſſent, eius rei cauſam, alii aliter explicare ſtuduerunt. E. c. Plinius l. l. *omnes autem aeſtus*, ait, *in Oceano maiora integunt ſpatia*, inundantque quam in reliquo mari; *ſive quia totum in univerſitate animoſius eſt quam in parte;* ſive *quia magnitudo aperta ſideris vim laxe graſſantis efficacius ſentit, eandem anguſtiis arcentibus.* Itaque iam Tacitus, ut magnitudinem aeſtus explicaret, validum eum fuiſſe dicit multitudine aquarum, partim e paludoſis Germaniae terris, partim e profundis fluminibus, partim e nubibus in Oceanum immiſſa. Legendum vero eſſe *humidis* Germaniae terris, non tumidis, iure nobis videmur ſumere, ut ſtatuamus, poſtquam lectionem *humidis* Rhenani coniectura repertam Faernus, Erneſti, nuper etiam Bipontini editores comprobaverunt. Eſſet enim nimis poeticum et a Taciti ſcribendi genere prorſus alienum ſi tumidis terris pro montoſis, ut Pichena volebat, dixiſſet. *Immenſum* vero *nubium tractum* interpretamur eum, qui ſuper immenſo Oceano, non eum qui ſuper continenti volvebatur, quique adeo ingentibus pluviis aquarum vim augebat. Deinde cum aeſtus dicitur rigore vicini ſeptentrionis horridior; primum ſeptentrionem non intelligimus proprie ſic dictum τὸν ἀπαρκτίαν, ſed potius Aquilonem (*den Nordoſtwind*), qui ventus aeque ac Thraſcias (*Nordweſtwind*) maximarum tempeſtatum in mari illo Germanico et auctor et comes eſſe ſolet. Omnes autem ſeptentrionis nomine continentur, quemadmodum interdum, ubi de Euronoto ſermo ſit ibi Auſtri

nomen adhiberi videmus. Cum igitur aeſius ab occidente, ut ſolet, in orientem reciprocaſſet, Aquilo ventus ab ortu aeſiivo flans, effecit, ut mare, aeſiu iam ſatis concitatum, magis etiam inhorreſceret, ac vehementius turbaretur. Iam vero quod aeſius vicini ſeptentrionis rigore inhorruiſſe dicitur, in eo, quam apte vocabulum *vicinus* poſitum ſit, nemo non videt, quod ſi ad Auſirum Tacitus retuliſſet, nihil utique fuiſſet ineptius. Nunc cum aeſius in Oceano ſeptentrionali accideret, ſeptentriones venti aeſiui et mari recte vicini fuiſſe dicuntur. Porro bene latine dici *aeſtum rapuiſſe ac disieciſſe naves*, nemo dubitabit et ſi quis dubitaret, facile ei ſimilibus Taciti locis hunc ſcrupulum ex animo evelleremus. Ita v. c. Annal. I, 30. *milites turbine atque unda raptabantur.* Item I, 70. *Vitellius primum iter ſicca humo aut modice allabente aeſtu quietum habuit; mox impulſa aquilonis, ſimul ſidere aequinoctii quo maxime tumeſcit Oceanus rapi agique agmen.* i. e. mox aeſius propter impulſum aquilonis et ſidus aequinoctii ingraveſcens et vehementius irruens agmen rapiebat agebatque. — Cum autem Tacitus ita pergit: *poſtquam mutabat aeſtus eodemque quo ventus ferebat*, oritur quaeſiio ſubdifficilis e latini vocabuli *aeſtus* ambiguitate. Nam cum eo vocabulo, ſi nihil aliud adiungatur, et acceſſus maris, (*die Flut*, ἡ πλημμυρία) et receſſus (*die Ebbe*, ἡ ἄμπωσις vel ἄμπωτις) deſignari poſſit, quaeritur utrum his verbis *omne coelum et mare omne in aeſtum ceſſit*, receſſus aeſius maritimi ſ. reciprocatio ſignificetur, quod ſi ſiatuamus, aeſius commutatio quae deinde memoratur ad acceſſum aeſtus pertineat neceſſe eſi; an vice verſa potius priore loco τὴν πλημμυρίαν (*die Flut*) poſieriore èius commutationem h. e. τὴν ἀμπωτέα Tacitus intelligi voluerit. Nobis igitur illa ratio verior eſſe videtur, ut priore loco aeſius receſſum, poſteriore acceſſum ſignificari dicamus. Ita enim omnia inter ſe optime cohaerent. Receſſus enim aeſius mari-

timi, qui ſemper ab Occidente verſus Orientem fertur, utique naves in aperta Oceani aut inſulas ſaxis abruptis vel per occulta vada infeſtas rapere ac disiicere poterat. Praeſertim ſi cogitamus aquilonis ab ortu aeſtivo flantis contrario impulſu, mare non plane eum, quem ſub aeſtu recedente, ſi tranquillum ſit a ventis, aut ventus eodem quo aeſtus ferat, tenere ſolet curſum tenuiſſe. Adeoque facile explicatur, quomodo quaedam ad Britanniam delatae, aliae apud inſulas longius ſitas eiectae ſint. Quas autem dicit inſulas ſaxis abruptis vel per occulta vada infeſtas, eas non Orcades inſulas interpretamur, ſed potius tantum ſcopulos in mari eminentes, (*Steinklippen*) et ea quae brevia aut Syrtes appellantur (*Sandbänke*). Haec autem ſaxa abrupta et occulta vada ſine dubio nautis magis, cum mare reciprocatur, (*bei der Ebbe*) quam cum aeſtus maritimus accedit, (*bei der Flut*) periculoſa eſſe ſolent. Nullum igitur nobis dubium eſt quin illis verbis, *coelum et mare omne* in *aeſtum ceſſit* etc. receſſus aeſtus maritimi notetur. Quod magis etiam ſequentibus confirmatur, quae omnia de acceſſu maris ſeu τῇ πλημμυρίᾳ adeo accommodate dicuntur ut nihil fieri poſſit aptius. Ut enim aquilo reciprocationi aeſtus contrarius fuerat, ſic aeſtus mutatus, h. e. acceſſus recte dicitur eodem quo ventus tuliſſe; ſemper enim aeſtus maritimus cum intumeſcit et allabitur, ab Oriente in Occidentem incitatur. Quare iam quae ſequuntur nihil difficultatis habent: fluctibus enim iam ſatis aeſtu accedente urgentibus, acceſſit etiam qui eodem, quo aeſtus, ferret ventus; quo factum eſt, ut naves in latera inclinarentur, eaeque nec ancoris adhaerere, nec irrumpentes undas ferre poſſent. *Manantes per latera* cum apte non dicatur, malim *innantes per latera* emendare, h. e. *die Schiffe gingen auf der Seite.* His igitur aeſtus accedentis fluctibus Germanici triremem Chaucorum terram adpuliſſe, quosdam etiam

ad vicinos Angrivariorum delatos esse verisimile est. Quod postremo narratur *relabente aestu et secundante vento* quasdam naves revertisse, id aperte ad novam *ἀμπώτεα* s. novam aestus reciprocationem pertinet, qua haud facile potuissent applicare ad terram, nisi ventus secundasset, et nautae remigio, quamvis raro, intentis velorum loco vestibus, usi, nonnullae etiam naves a validioribus, remulco scilicet tractae essent.

XXX.

Explicatio loci Tertullianei de Praefcr. haereticor. cap. XVI. XVII.

In disputatione adverfus haereticos etfi pluribus antiquae ecclefiae Chriftianae doctoribus commune eft argumentum, quo illis de pofteritate doctrinae praefcribere folent, nemo tamen acrius eo ufus eft, quam Q. Septimius Florens Tertullianus. Is enim in libro de praefcriptionibus haereticorum eo usque procedit, ut haereticos admittendos neget ad ullam de fcripturis disputationem; atque alia illos via, alioque armorum genere oppugnandos effe cenfeat. Cum enim illam fcripturarum collationem lubricam et ancipitem effe dicit, et quae aut nullam, aut incertam victoriam aut parem incertae promittat, tum nihil Orthodoxis prius aut antiquius effe debere contendit, quam ut quaerant: *quibus competat fides ipfa, cuius fint fcripturae, a quo et per quos et quando, et quibus fit tradita difciplina qua fiunt Chriftiani;* ubi enim apparuerit effe veritatem et difciplinae et fidei Chriftianae, ibi effe veritatem fcripturarum, et expofitionum et omnium traditionum Chriftianarum. Inutilem vero effe eam cum haereticis disputandi rationem, quae ad fcripturas provocet, hoc primum argumento breviter conclufo colligit; quod haeretici cum fcripturas obtendant, ipfa hac fua audacia ftatim quosdam moveant, in ipfo vero congreffu *firmos* quidem *fatigent*, infirmos capiant, medios cum fcrupulo dimittant.

Deinde cap. XVI. XVII. latius haec exsequitur, ita ut initium faciat ab eo, qui suae sibi constantiae certaeque persuasionis de veritate Christiana conscius cum haereticis ad scripturam provocando certet; cui talem disputationem, si nihil aliud, certe inutilem et molestiam esse ostendit. Qui locus cum aliquot habeat sententias obscuras atque involutas, nec ab ullo interpretum adhuc explicatas, quae tamen nobis eiusmodi non esse videantur, ut de eruenda sensus veritate plane desperari debeat, operae pretium fuerit in eo loco explanando diligentius elaborasse. Quod quidem quo eventu a nobis factum sit, ut lectores existimare possint, totum locum, non nimis longum ex Rigaltii recensione ponemus.

Hunc igitur, ait Septimius, *potissimum gradum obstruimus, non admittendos eos* (haereticos) *ad ullam de scripturis disputationem. Si hae sunt illae vires eorum, uti eas habere possint, dispici debet, cui competat possessio scripturarum, ne is admittatur ad eam cui nullo modo competit.* (Cap. XVI.) *Hoc de consilio diffidentiae aut de studio aliter ineundae constitutionis induxerim, nisi ratio constiterit, in primis illa, quod fides nostra obsequium Apostolo debeat, prohibenti quaestiones inire, novis vocibus aures accommodare, haereticum post unam correptionem convenire, non post disputationem. Adeo interdixit disputationem, correptionem designans causam haeretici conveniendi, et hanc unam scilicet, quia non est Christianus; ne more Christiani semel et iterum et sub duobus aut tribus testibus castigandus videretur, cum ob hoc sit castigandus, propter quod non sit cum illo disputandum. Deinde quoniam nihil proficiat congressio scripturarum, nisi plane, ut* STOMACHI *quae* (leg. *quis* ex cod. Divionensi) INEAT EVERSIONEM AUT CEREBRI. (Cap. XVII.) *Ista haeresis non recipit quasdam scripturas, et si quas recipit, non recipit integras, adiectionibus et retractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit; et si aliquatenus integras praestat, nihilominus diversas*

expoſitiones commentata convertit. Tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum et corruptor ſtilus. Variae praeſumtiones neceſſario nolunt agnoſcere ea per quae revincuntur; his nituntur, quae ex falſo compoſuerunt, et quae de ambiguitate ceperunt. Quid promovebis exercitatiſſime ſcripturarum, cum ſi quid defenderis negetur; ex diverſo ſi quid negaveris defendatur. ET TU QUIDEM NIHIL PERDES, NISI VOCEM IN CONTENTIONE; NIHIL CONSEQUERIS NISI BILEM DE BLASPHEMATIONE.

Iam nihil h. l. de ſingulari Tertulliani audacia et perverſitate dicemus, qua eodem temporis momento, quo haereticis verae Scripturarum ſacrarum lectionis et ſenſus adulterationem exprobrat, ipſe in loco Tit. 3, 10. a vera lectione diſcedit, et alium Matth. 18, 16. ut eo in rem ſuam abuti poſſit, ſenſum pervertendo torquet; nam iſthaec quidem culpa ei cum Irenaeo aliisque patribus, latinis praeſertim, communis eſt, neque vero eiusmodi cauſa eſt, quae nobis quaeſitoribus aut arbitris cognoſcenda ſit, cum eam uno ore omnes ad Semleros noſtros et Griesbachios deferant; miſſis potius aliis quaeremus, quid illud ſit, quod dicit Tertullianus congreſſionem ſcripturarum cum haereticis nihil aliud proficere, niſi ut *ſtomachi* quis ineat *everſionem* aut *cerebri.* Quaerat fortaſſe quispiam, nihilne ſubſidii e codicibus Mſtis aut ex ingenio a Criticis in hunc locum collatum fuerit. At nulla e libris ſcriptis enotatur lectionis varietas. Neque vero, qui emendationes in Tertullianum edidere, ut Iunius, Wouwerius, Latinus Latinius, Heumannus hunc locum tetigerunt. At interpretes forte ei profuere; ſunt enim multi iique clariſſimi. Imo vero hic nos deſerunt Rhenani omnes, Pamelii, Cerdae, Priorii, Albaſpinaei, et locum hunc, in quo haeremus, tanquam Scyllam aut Charybdim callide evitant. Quid? quod ipſe ille Chr. Lupus, qui librum Tertulliani de praeſcriptionibus ſpiſſo commentario oneravit potius, quam ornavit, diligenter cavit, ne hic ſubſiſteret. Rigaltius au-

tem multo melius de libro noftro, ut de ceteris Tertulliani meritus, etfi ipfe verum non reperit, tamen et fenfit loci difficultatem, nec lectores celavit. Addidit enim ifta; „fic „legitur in libro Agobardi. Paulo aliter in cod. Divionenfi: „*Nifi plane ut ftomachi quis ineat verfionem aut cerebri.* „Haec autem explicari videntur ifiis mox fequentibus. *Et* „*tu quidem nihil perdes — bilem de blasphematione.*" Hactenus verum Rigaltius, fed quafi per tranfennam vidit: attamen cum iam exfpectaremus, ut nobis illum fcrupulum evelleret, abit homo catus, fpemque noftram deludit. Nihil enim addit praeter haec *ἀπροςδιόννσα:* „Dixit au„tem ut ftomachi quis ineat everfionem quemadmodum „lib. adv. Marc. IV. *Neceffe eft omnis demutatio veniens* „*ex innovatione diverfitatem ineat cum his quorum fit.*" Scilicet ea nobis explicat Rigaltius, quae nemo quaerebat, quafi in illa phrafi INIRE *everfionem* difficultas fit, quae nulla eft; quid autem fibi velit everfio ftomachi aut cerebri, et quomodo ea dicatur e congreffione fcripturarum cum haereticis oriri, altum filentium.

Stomachi vocabulo quia Tertullianus alibi fic utitur e. c. de ieiunio c. 9 extr. ut ventriculum denotet, cibi potionisque receptaculum, fi quis medicum de hoc loco forte adierit, quaefitum, quid fit apud noftrum *ftomachi everfio,* dubium fane non fuerit, quin is refponfurus fit, *ftomachi everfionem* effe eum morbum, qui Graecis medicis, Galeno, Dioscoridi aliisque dicatur *ἀνατροπὴ στομάχου* h. e. eum in quo ftomachus quafi diffolutus in crebras vomitiones effundatur. Et fane hoc mire blandiatur homini non fatis cauto. Quid enim? Tertullianus graeca multa legit; faepe verbum de verbo reddit; graecifmos in latinitate amat; ut dubium non fit, quin ille *ἀνατροπὴν στομάχου,* quam Plinius appellat diffolutionem ftomachi, more fuo potuerit *everfionem ftomachi* dicere. Fortaffe igitur Tertullianus hoc fignificat, ex disputatione cum haereticis, in qua quidem ad fcripturas utrimque provocetur, nihil aliud

proficere orthodoxos, niſi ut nauſeam ſibi et vomitum concitent, clamandumque his eſſe, ut illi apud Comicum adverſarii ineptias faſtidienti: *δότε μοι λεκάνην.* Quamvis autem haec explicatio leviter intuenti ſpecioſa videatur, nihil tamen eſt curatius exploranti minus. Nam haec verba *everſio ſtomachi* aut *cerebri* reſpondere debent ultimis his cap. XVII. *nihil perdes niſi* VOCEM *in contentione; nihil conſequeris niſi* BILEM *de blasphematione.* Vides hic *ſtomachum* ad *vocem*, *cerebrum* ad *bilem* referri. Et ſi velis de inverſione *τῆς ἀνταποδόσεως* cogitare, nihilo plus efficies. Nam ſi inverſo ordine *bilem* ad *ſtomachum*, *vocem* vero ad *cerebrum* trahas, *bilem* quidem cum *ſtomachi* everſione compones medicis omnibus diis hominibusque approbantibus. Sed quid fiet de relatione inter vocis iacturam et cerebri everſionem? Haec ſane ſic non coëunt, ut alterum alteri ſubſtitui poſſit in conſecutione orationis. Aliud igitur huic loco remedium quaeramus; nam hoc quidem, quod videbatur afferri, nullum eſt.

Locus eſt in illo ſcorpiaco adverſus Gnoſticos cap. 1. multum noſtro, quem tractamus, ad ſpeciem ſimilis; eum ad partes non vocare, ſane negligentis eſſet interpretis. Ibi Tertullianus: *Haec et ſi quae alia adinventa haereticorum venenorum, quem non vel in ſcrupulum figant, ſi non in exitium, vel in* BILEM, *ſi non in mortem. At tu ſi fides vigilat, ibidem ſcorpio pro ſolea anathema inlidito, et relinquito in ſuo ſopore morientem. Ceterum ſi plagam ſatiaverit, intimat virus, et properat in viſcera, ſtatim omnes priſtini ſenſus retorpeſcunt, ſanguis animi gelaſcit, caro ſpiritus exoleſcit, nauſea nominis* (ſcil. Chriſtiani) *inacreſcit. Iam et ipſa mens, ſibi, quo vomat, quaerit, ut quae ita, ſemel infirmitate quoque percuſſa, ſauciatam fidem vel in haereſin et vel in ſeculum exſpuat.* Allegorias audivimus et convicia Abrahamo potius a Sancta Clara, aut Merzio, Auguſtano illo, controverſiarum ἐπωνύμῳ, quam Tertulliano digniora; nec tamen ideo quidquam

audivimus, quod non fuerit ab eo profectum. At nunc id non agimus, ut hominis ingenium et fcribendi genus carpamus, fed ut eum cum fe ipfo comparemus. Exutus igitur metaphorarum fatis inficetarum involucris, certe h. l. Tertullianus nihil aliud dicit nifi hoc: perverfitatem haereticae doctrinae faepe efficere, ut infirmiores Chriftiani a veritate doctrinae defcifcant, et vel ad haereticorum errores, vel ad paganorum f. ethnicorum religiones delabantur. Hoc fcil. ei eft *fidem fauciatam vel in haerefin, vel in feculum exfpuere.* Quid fi ex hoc loco fatis claro lucem noftro, in quo verfamur, accendamus? Quid fi *ftomachi everfio* etiam h. l. dicatur de naufea mentis haeretico veneno quafi correptae, veramque doctrinam evomentis? At quod ingenio Tertulliani convenerit, non id continuo huic loco libri de Praefcriptionibus aptum eft. Nam fi hunc fenfum vocabulo *everfionis ftomachi* fubiecisfet, fane fequeretur eum de hominibus imbecilla fide, de Chriftianis nondum fatis confirmatis locutum effe. De his autem poftea demum cap. XVIII. loquitur. Hoc autem loco quem tractamus de doctoribus veritatis Chriftianae certa perfuafione imbutis differit, quibus utique nihil eiusmodi poffet accidere. Atque iam antea c. XV. dixerat in ipfo congreffu cum haereticis *firmos* quidem *fatigari*, infirmos capi, medios cum fcrupulo dimitti. Itaque fi *firmi* non capiuntur ab haereticorum disputationibus, fed tantum *fatigantur*, fequitur *ftomachi everfionem* aliquid innuere, quod non ad corruptionem fanitatis doctrinae fed potius ad virium corporis *fatigationem* pertineat.

Quoniam igitur Tertullianus cum *ftomachi* everfionem dixit, ventriculum fignificare non potuit, reftat ut de aliis illius vocabuli notionibus videamus. Antiquitus autem *στόμαχον* nihil aliud fignificaffe, quam *oefophagum* f. *fauces*, neminem fugit. Apud Homerum nuspiam alio fenfu ufurpatur. Recentior demum aetas hanc vim vocabulo tribuit, ut primum orificium ventriculi fuperius,

deinde ipſum ventriculum denotaret. Neque tamen ideo Ciceronis, Celſi, et Plinii aetate priſtina illa vocabuli notio exoleverat. Conferantur Cic. de Nat. deor. II. 54. Celſ. IV. 1. Plin. H. N. XI. 37. Quidni igitur Tertullianus h. l. cum *everſionem ſtomachi* dixit, raucitatem faucium e nimio clamore intellexerit? Nam hoc ſane his verbis: *Et tu quidem nihil perdes*, *niſi vocem in contentione*, bene reſponderet. An ſaepius *ſtomachi* vocabulo ſic uſus ſit Tertullianus, neſcio; unum recordor locum, qui huc trahi forte poſſit, neque eum tamen ambiguitate carentem. Is eſt de reſurrectione carnis cap. 60. *Quo enim iam*, *inquiunt* (ſcil. adverſarii reſurrectionis), *ſpelunca haec oris et dentium ſtatio*, *et gulae lapſus*, *et* COMPITUM STOMACHI, *et alvi gurges*, *et inteſtinorum perplexa proceritas*, *cum eſui et potui locus non erit*, *quem huiusmodi membra admittunt*, *ſubigunt*, *devolvunt*, *dividunt*, *digerunt*, *egerunt?* (Ita enim conſtituendus eſt hic locus, cum vulgo legatur ſic: *cum — locus non erit? quo huiusmodi — egerunt?*) Hic ſi conſtaret Tertullianum ad Ciceronis l. c. huic ſane ſimillimum reſpexiſſe, eumque imitando expreſſiſſe; *gulae lapſus* eſſet φάρυγξ ſive caput oeſophagi; *compitum ſtomachi* eſſet ipſe oeſophagus, quem et Cicero ſtomachum appellat; ſimilitudine ducta a compito pervio; (ſicut inverſa metaphora Latini *fauces* dixere *einen engen Paſs*); porro *alvi gurges*, eſſet ventriculus (*der Magen*); nam et alibi Tertullianus ventriculum alvum ſ. alveum appellat. v. c. de anima c. 10. p. 229. ed. Halenſ. Atque ſic omnia bene reſponderent Ciceronianis. Nam hic primum *os* memorat, ad *percipienda* alimenta aptiſſimum; deinde *ſtomachum* (*die Kehle*, *den Schlund*) qui agitatione et motibus linguae cum depulſum et quaſi detruſum cibum acceperit, depellat; poſt *alvi naturam* (*den Magen*) ſubiectam ſtomacho, quae cibi et potus ſit receptaculum, denique inteſtina. Sed quo minus ita interpretandum eſſe Tertulliani locum certo nobis perſuadeamus prohibent illa

verba, *admittunt*, quod ad oris fpeluncam, *fubigunt*, quod ad dentium ftationem, *devolvunt*, quod ad gulae lapfum, *dividunt*, quod ad ftomachi compitum, *digerunt*, quod ad alvi gurgitem, *egerunt*, quod ad inteftinorum perplexam naturam refertur; adeoque nifi pro *dividunt* velis corrigere *devehunt*, ftomachi compitum h. l. nil aliud fignificare poteft nifi ventriculum, ducta metaphora a compitis, quatenus fuerunt hominum conventicula; ficut in ventriculo eft ciborum receptaculum. Sed ut unde deflexit, eodem revertatur disputatio, five in hoc loco libri de refurrectione carnis *compitum ftomachi* oefophagum, five ventriculum denotet, certum tamen eft *everfionem ftomachi* illo loco lib. de praefcr. in quo explicando verfamur, nihil aliud effe, nifi laefionem faucium e nimia vocis contentione. Cum enim haereticos patres ecclefiaftici in disputando verbofos et pertinaces fuiffe querantur v. c. Irenaeus lib. II. c. 2. et Clemens Alex. Strom. lib. VII. p. 762. ed. Sylb. fine dubio huc refpexit nofter ac disputationem de fcripturis ideo fuis diffuafit, quia ubi in lite tam ambigua cum hominibus in clamando bene robuftis atque exercitatis in certamen defcenderint verendum fit, ne nihil aliud proficiant, quam ut vocem in contentione perdant, h. e. *ftomachi everfionem ineant.*

Alterum vero incommodum, quod Tertullianus ex ifta congreffione fcripturarum fuis denuntiat, eft *everfio cerebri.* Cui cum cap. XVII extr. fubftituat *bilem de blasphematione;* clarum eft, eum hic loqui de effectibus irae vehementioris, a qua fibi cavere in ifta disputatione homo pius et Chriftianus eo minus poffit, quo magis ei haereticorum (Marcionem et Valentinum praecipue tangit) blasphemationes h. e. opiniones maieftatem divinam obfcurantes, bilem moveant neceffe fit. Iam etfi notum eft antiquorum medicorum de bile, praefertim de ea quam atram fingebant, doctrinam multis erroribus implicatam fuiffe, hactenus tamen verum viderunt, quod quanta effet

inter cerebrum et viſcera coniunctio, et *συμπάθεια* intelligerent, ſaepiusque *inſaniam* et *furorem* e bile vitioſa ſimilibusque abdominis affectibus oriri ſcirent. Quid igitur? Num Tertullianus ita dixit metuendam eſſe *cerebri everſionem* propter bilem de blasphematione, ut inſaniam ex ira innueret? Equidem neminem arbitror fore, qui ſi quid fieri poſſit, non quid verum ſit quaeramus, illam notionem ſubiici his verbis poſſe neget. Sic adv. Marc. lib. IV. c. II. p. 221. haereticae doctrinae novitate inſanientem appellat *excerebratum* novo vino, alludens ad Matth. 9, 17. Eodem fere modo Irenaeus inſanos homines *τοὺς τὸν ἐγκέφαλον ἐξεπτυκότας* nominat, lib. I. adv. haer. p. 3. ed. Maſſuet. qui ut hoc obiter moneam male hunc locum interpretatus eſt, quamvis Grabius meliora docuiſſet. Attamen ſi Tertullianus *everſionem cerebri* de inſania intelligi voluiſſet, ſine dubio *ὑπερβολικῶς* locutus eſſet; quo ſenſu Latini dicunt *inſanire* pro *iraſci;* et noſtri homines: *einen raſend machen.* Nobis autem h. l. iſta hyperbole, neſcimus quomodo, non placet. Verius eſt *everſionem cerebri*, de capitis dolore, et moleſto ſenſu, qui excandeſcentiam et iram comitari ſolet intelligere. Ita apud Plautum in Aul. 2, 1, 29. Megadorus *cerebrum* inquit *mihi tua dicta excutiunt, ſoror; lapides loqueris.* Qui locus egregie noſtrum illuſtrat. Ait enim ille ſibi valde ingrata eſſe ſororis dicta; et ſe propterea *cerebroſum* h. e. moroſum fieri et ſtomachabundum. Eodem modo blasphemationibus haereticorum ſignificat Tertullianus homini pio et Chriſtiano bilem moveri, aures obtundi, caput doloribus tentari, cerebrum male affici, haud ſecus ac ſi quis ictibus totum caput commitigaſſet.

Everſio autem Tertulliano idem ſignificat, quod *corruptio*, ſeu *laeſio.* Sic de anima c. 53. *nam quis quis*, inquit, *ille exitus mortis, ſine dubio aut materiarum, aut regionum, aut viarum vitalium* everſio *eſt; materiarum, ut*

fellis, ut fanguinis; regionum, ut cordis, ut iecoris; viarum, ut venarum, ut arteriarum.

Ceterum c. 21 extr. levior quaedam difficultas eft in his verbis: *Quid promovebis exercitatiffime fcripturarum? cum fi quid defenderis, negetur? ex diverfo, fi quid negaveris defendatur. Et tu quidem nihil perdes, nifi vocem in contentione; nihil confequeris nifi bilem de blasphematione.* Verba *et tu quidem nihil perdes* non fatis cohaerere videntur, cum illa, quae iniecta erat, quaeftione: *Quid promovebis exercitatiffime fcripturarum?* Nam non quaerebatur, quid aliquis perditurus fit, fed quid promoturus fit de fcriptura cum haereticis disputando. Si quis hodie amicum litem alicui intendere cupientem, ab eo confilio revocaturus ei dixiffet: *Quid promovebis lites fecuturus? Adverfarium habes petentem, gratiofum etc.* velletque deinde quaeftioni fuae per anticipationem occurrere; num fic diceret: *Et tu quidem nihil perdes nifi pecuniam; nihil confequeris nifi moleftiam?* Nullo modo. Nam iftaec quidem locutio, *nihil perdes nifi*, hominis eft iacturam aliquam verbis elevantis ac minuentis, non autem, id quod tamen hic exfpectabatur, augentis atque exaggerantis. Id igitur incommodum fublevandi triplicem videmus rationem. Prima eft, ut verbum *perdere* quandam ad adverfarios relationem habere dicamus. Nempe qui cum aliquo litigiofe contendit, ei duo funt propofita; alterum ut adverfarii caufam *perdat*, alterum ut ipfe fuperior discedat. Atque fic verba Tertulliani hunc in modum germanice vertenda effent: *Was wirft du ausrichten, wenn du auch in der Schrift noch fo geübt bift? Was du vertheidigeft wird geläugnet; im Gegentheil was du läugneft wird vertheidiget. Der ganze Schade, den du anrichteft, ift, dafs du bey dem Gezänke deiner Stimme fchadeft; der ganze Vortheil den du davon haft, ift, dafs du über ihre Gotteslä fterungen deine Galle erregeft.* Altera ratio eft, ut particulas *nihil — nifi* non, ut disiunctim

positae sunt, sic disiunctim etiam interpretandas esse censeamus, sed potius simpliciter idem quod *tantummodo* valere existimemus, quasi dictum sit: *Et tu tantummodo vocem in contentione perdes; tantummodo bilem de blasphematione consequeris.* Iam si cui utraque ratio duriuscula esse videatur, is quidem nos habebit lubentissime consentientes, tantum abest, ut ullo modo repugnemus. Quid? quod illa locutio *bilem consequi*, pro *bilem sibi commoveri sentire* ne Tertulliani quidem stilo digna esse videtur; nedum ut purae eam latinitati aliquis tribuere in animum induxerit. Quae cum ita sint, viderimus an doctis hominibus probaturi simus tertium huic loco subveniendi consilium ab emendatione textus repetendum. In Rhenani editione locus ita legebatur: *Quid promovebis exercitatissime scripturarum? — Et tu quidem nihil perdes nisi vocem in contentione; nihil consequeris nisi vilem de blasphematione laudem.* Qui secuti sunt editores recte quidem *vilem* in *bilem* mutarunt; an aequo iure *laudem* deleverint, dubito; non quo *laudem* verum esse putem, sed quod in eo vestigium verae lectionis latere existimo. Quid multa? Sic mihi scripsisse videtur Septimius: *Et tu quidem nihil proficies, nisi ut vocem in contentione perdas; nihil consequeris, nisi ut bilem de blasphematione laedas.* Hoc modo primum nexus cum antecedentibus mollior efficitur. Quaesitum enim erat: *Quid promovebis exercitatissime scripturarum; cum si quid defenderis negetur, ex diverso si quid negaveris defendatur?* Iam omnia bene procedunt, si sic pergat oratio: *Et tu quidem nihil proficies nisi ut vocem in contentione perdas, nihil consequeris, nisi ut bilem de blasphematione laedas. Deinde* concinnitas in hac verborum consecutione, qua verba verbis, nomina nominibus, tanquam in emblemate vermiculato lapilli lapillis, opponuntur, non indigna est Tertullianeo scribendi genere, qui nihil ambitiosius, quam paria paribus, contraria contrariis relata in oratione quaesivit. *Tum*

ſententia hoc modo enuntiata magis etiam, quam, ut vulgo legitur, reſpondebit illi: *quoniam nihil proficiat congreſſio ſcripturarum, niſi plane ut aut ſtomachi quis ineat everſionem aut cerebri. Denique* ſic optime explicari poteſt, unde illa lectio, quae *laudem* addit poſt *blasphematione* orta ſit. Ceterum huic correctioni, quae ſenſum non mutat, ſed aptiorem tantum et concinniorem reddit orationem, ipſi parum aut nihil tribuimus, modo ſenſum illius loci de everſione ſtomachi aut cerebri verum a nobis erutum eſſe iuſti nobis exiſtimatores concedant; quem, ſi quis Tertullianum germanice verteret, ita fere efferri iuberemus: c. 16 extr. *Mit den Ketzern aus der Schrift zu ſtreiten kann zu nichts dienen, als ſich die Kehle heiſer zu ſchreien, oder den Kopf warm und wüſte zu machen!* — c. 17 extr. *Was wirds dir helfen, wenn du auch in der Schrift noch ſo geübt biſt — du haſt doch nichts anders davon, als daſs du dir deine Stimme über dem Gezänke verdirbſt, oder deine Galle wegen ihrer Gottesläſterungen erregeſt.*

XXXI.

De vero ſentiendi intelligendique facultatis discrimine, Leibnitianae philoſophiae cum Kantiana comparatio.

Si, quousque per literarum monumenta licet, philoſophiae initia memoria repetimus, duplicem animi humani vim, quae ſentiendi atque intelligendi facultate continetur, ſive *αἴσθησιν* et *νοῦν*, obſervatam fuiſſe invenimus. Neque tamen quae utriusque propriae partes ac fines eſſent ſtatim intellexere. Unde factum, ut alii duas quaſi animas in eodem homine fingerent, alteram ſentientem, alteram rationalem; alii, qui hoc ineptum eſſe iudicabant, tamen, quomodo utramque animi vim certis inter ſe notis diſtinguerent, haud reperirent, aut certe utriusque discrimen parum ſubtiliter explicarent. Fuerunt, qui ſenſum ab intellectu claritatis perceptionum gradu differre opinarentur, ideoque novum genus vocabuli excogitarent, ut ſentiendi vim, *inferiorem*, intellectum vero *ſuperiorem* animi partem ſ. facultatem appellarent, quaſi fieri poſſet, ut unquam ſenſuum perceptiones ad notiones intellectus, illata ſcilicet maiore claritate, eveherentur; quod ſi verum eſſet, genuina *αἰσθητῶν* ac *νοητῶν* differentia prorſus tolleretur, nec unquam ea, quae dicuntur, viſa, ab intellectus notionibus liquido discernere valeremus.

Sed cum fingulorum animorum fingulae quoque vires fint, nulla alia in fimplici mentis humanae vi differentia cogitari poteft, quam quae ex agendi patiendique facultate proficifcitur. Aut enim afficitur mens ab aliis rebus extra eam pofitis, accipitque extrinfecus oblata; aut ea quae accepit fuapte fponte componit et coniungit. Quorum primum quidem *fenfu* fit, alterum *intellectu.*

In utraque autem animi facultate, id quod offertur menti feu extrinfecus datur, h. e. *materia*, probe diftinguendum eft ab ipfa patiendi agendique *forma* menti humanae infita. Primum enim in perceptione fenfitiva non omnia debentur rebus extrinfecus oblatis. Quicquid enim mentem noftram afficit, movet, aut pellit, non aliter afficere, movere, pellere poteft, quam pro ipfa mentis natura; atque ut uno eodemque igni limus durefcit, cera vero liquefcit, fic iisdem rebus mens aliter afficeretur, fi aliam, quam quae nunc eft, patiendi, aut vifa accipiendi naturam induere poffet. Eft igitur ipfis animi fenfibus forma quaedam praefcripta, cui omnes rerum impulfiones extrinfecus oblatae fubiaceant neceffe eft. Et hanc quidem formam duplicem effe vidit Kantius, alteram qua omnes affectiones animi comprehenduntur, alteram qua rerum externarum impulfiones; illam *temporis*, hanc *fpatii* formam. Scilicet, omnes ac fingulas adfectiones animi in *tempore* ponimus; in *fpatio* vero *externas* tantum. In quo mirum nobis accidit, acutos quosdam effe philofophos, qui inter hanc et Leibnitianam de fpatio doctrinam nihil intereffe putent. Longe enim aliud eft, quod Leibnitio placet, *fpatium effe ordinem coexfiftentium;* aliud autem, quod Kantius ponit, fpatium effe formam fenfus externi, h. e. inditam animo noftro hypothefin ac prorfus neceffariam, fecundum quam, quae extrinfecus nobis offeruntur vifa, mentem afficiunt. Itaque Leibnitius fluctuat interdum ac fpatium inter in-

tellectus notiones refert, quod fieri non poteſt, cum nec in empiricis intellectus notionibus, nec in puris eius formis, ſ. categoriis cenſeatur. Cum igitur viſa nos pellunt, animus afficitur; ac ſi nihil aliud conſequeretur, nunquam id, quod cognitionem ſenſitivam appellamus, emergeret. Enimvero illae animi affectiones a rerum impulſione ortae ſubſunt ipſi facultatis ſentiendi formae, ut adeo ſentire nihil poſſimus, niſi ſic, ut in tempore, et ſi ſenſa extra nos poſita ſint, in ſpatio quoque collocemus. Quo fit, ut quamquam ea quae ſentimus varia et multiplicia ſint, tamen a facultate ſentiendi ad unitatem temporis ac ſpatii revocentur, hisque tanquam formis omnis rerum ſenſibilium materies comprehendatur.

Nimirum igitur univerſitas corporum ad viſa quae dicuntur ſ. phaenomena pertinet. Quod pronuntiatum non eo valet, ac ſi nihil ſint corpora, quam *φαντάσματα* quaedam, vel nihil prorſus ſit id quod dicitur corpus. Imo potius eſſe corpora, et extra nos poſita eſſe, et ſpatio comprehendi affirmamus. Iidem vero contendimus quicquid de corporibus intelligimus, id eſſe in viſione poſitum; quid in corporibus *ὄντως ὄντα* ſint, id prorſus quemquam ſcire negamus. Percurrat enim nobis quisque omnes corporum qualitates, ſentiet altius indagando omnes ad phaenomena referri, nec in eis quicquam ineſſe quod nobis internam rerum naturam aperiat. Etenim triplex illa corporum dimenſio, pendet a ſpatio, h. e. ab illa ſenſus externi forma, cui omnia, quae nobis extrinſecus apparent, reſpondeant neceſſe eſt. Reliquae qualitates, ut colores, ſoni, odores, ſapores ſingula ad ſenſuum inſtrumenta pertinent, quibus ſi aut omnino nullis, aut aliter conformatis uteremur, tum illae qualitates aut prorſus ignotae nobis eſſent, aut aliter apparerent. Ipſa illa ſoliditas et impenetrabilitas corporum ad noſtrum tangendi ſenſum refertur. Ut adeo quicquid nobis de corporibus ſcire licet, id unice viſis ſ. phaeno-

menis contineatur, nec quidquam secum ferat, quod ad internam *τῶν ὄντως ὄντων* naturam vel essentiam comprehendendam pertineat.

Quid igitur interest inter Leibnitianam et Kantii sententiam de sensu et intellectu? Permultum sane. Primum enim Leibnitius omnes sensuum perceptiones confusionis et obscuritatis accusat, qua efficiatur ut nobis quae sint in rerum natura longe alia esse videantur, atque ea intellectus cerneret, si ei unquam liceret illam sensuum caliginem prorsus dispellere. Unam igitur proprie verum cognoscendi causam intellectum constituit, sensitivae autem cognoscendi facultati nihil aliud reliquit, quam triste illud intellectus luminibus officiendi negotium. In quo facile patet, quid ex Platonis philosophia hauserit. Kantius autem vidit sentiendi atque intelligendi vim in mente humana differre quidem inter se, sed necessario coniungi, ut nullae exoriri possint rerum notitiae, nisi sensus materiam praebuerint, eamque materiam sentiendi vis forma sua complexa fuerit, deinde intellectus sensuum perceptiones ad formas iudicandi sibi proprias retulerit. Caecos igitur esse intuitus rerum, nisi accesserit intellectus; vacuas contra formas intelligendi, nisi sensus iis res, quae intelligi possint, praebuerint. Leibnitius itaque id quod in cognitione nostra *αἰσθητόν* appellamus, non tam ab ipsa mentis natura repetiit, quam ab ipsis corporibus mentis vim tardantibus eiusque aciem, ut ita dicamus, excaecantibus. E. c. in libro quo censuram egit Lockiani de intellectu humano. (*Nouveaux essais sur l'entendement humain* L. IV. c. 6. p. 368.) sic disputat: *Les idées sensitives* (des couleurs, des gouts) *dependent du detail des figures et mouvemens et les expriment exactement, quoique nous ne puissions pas y demêler ce detail dans la confusion d'une trop grande multitude et petitesse des actions mechaniques, qui frappent nos sens. Cependant si nous étions parvenus à*

la conſtitution interne de quelques corps nous verrions auſſi quand ils devroient avoir ces qualités, qui ſeroient reduites elles mêmes à leurs raiſons intelligibles; quand même il ne ſeroit jamais dans notre pouvoir de les reconnoitre ſenſiblement dans ces idées ſenſitives. Clarum eſt Leibnitium exiſtimaſſe, intellectum noſtrum interiora rerum et veram earum eſſentiam perſpicere poſſe, niſi a ſenſibus impediretur. Audiamus contra Kantium (*Critik der reinen Vernunft S. 277. 1ſte Ausgabe*) ita differentem: Quod quidam queruntur, *nos interiora rerum prorſus non intelligere*, id, ſi nihil aliud queruntur, quam nos intellectu puro, quid illa viſa ſ. phaenomena per ſe ſint, haud intelligere, incertum eſt utrum iniquius an ineptius faciant; poſtulant enim ut ſine ſenſibus res cognoſcamus et intueamur, adeoque ut facultate cognoſcendi utamur, quae ab humana non gradu modo, ſed ipſa qualitate et natura prorſus discrepet; poſtulant igitur, ut non humanam naturam, ſed aliam in cogitando ſequamur, quae ne dicere quidem poſſumus, an omnino ſit tantum abeſt, ut qualis ſit, explicare nobis liceat. Interiora rerum obſervatione et analyſi phaenomenorum in dies altius penetramus, neque quem ad finem haec ſtudia olim proceſſura ſint, definiri poteſt. At iſtas vero quaeſtiones, quae naturae limites transſcendunt, nullo modo reſpondere poſſumus, etiamſi univerſa natura nobis aperta et patefacta eſſet, cum ne animum quidem noſtrum alia quam ſenſus interni via contemplari nobis liceat. Hactenus ille.

Magna quoque inter Leibnitii et Kantii philoſophiam differentia intercedit, quod ille *ſpatium* ac *tempus* inter *notiones abstractas* referebat, quarum e numero Kantius eas iuſtis rationibus adductus circumſcripſit.

Denique primaria quaedam philoſophiae Leibnitianae decreta, ut *principium indiscernibilium*, doctrina de ſimplicibus principis, ſ. monadibus, itemque realitatem

realitati nunquam repugnare, Kantius ita sustulit, ut vera quidem esse, si ad intellectum purum referantur, ostenderet, admitti vero posse, si ad naturam rerum sensibilem revocentur, negaret. Nimirum si duo intellectus nostri obiecta prorsus iisdem notis ac partibus consistent, pluralitas iis recte tribui non potest, cum re vera duo non sint, sed potius unum idemque bis cogitatum. Sed si idem ad res sensibiles transferatur, nihil impedit quo minus dicamus duas res inter se prorsus similes, nullisque notis internis discrepantes in diversis spatii partibus esse posse. Id enim ipsum, quod in diversis spatii partibus collocatae sunt, sufficit, ut earum diversitatem agnoscamus, etiamsi nullis partium internarum notis internoscantur.

Deinde si realitas nihil aliud est, nisi nota affirmativa, intellectu puro comprehensa, profecto verum est, realitates inter se nunquam repugnare; nam repugnantia notionum tum demum exsistit, cum idem de eodem simul affirmatur et negatur. At in ipsa rerum natura, quae sensibus patet, fieri omnino potest, ut realitates inter se pugnent; adeoque falsa ratiocinandi specie illudebantur philosophi, qui entis perfectissimi possibilitatem sic demonstrare aggrediebantur, ut dicerent, quoniam nulla realitas alteri repugnaret, ne complexum quidem omnium in eadem natura, habere posse quod sibi repugnet.

Multum tamen aberat Leibnitius ab eorum sententia, qui nuper omnes animi notiones a sensibus oriri volunt. Negabat enim *tabulae rasae* imaginem ad animum in ipsis cogitandi initiis constitutum transferri posse. Negabat id quod vulgo dicatur, *nihil esse in intellectu, quod non antea fuerit in sensu*, sine adiecta clausula verum esse. Sic in libro supra laudato. Nouveaux Essais lib. II. c. 1. p. 67. „On m'opposera cet axiome reçu parmi les philosophes, *que rien n'est dans l'ame, qui*

ne vienne des ſens. Mais il faut excepter l'ame même, et ſes affections. *Nihil eſt in intellectu, quod non antea fuerit in ſenſu.* Excipe: *niſi ipſe intellectus.* Or l'ame enferme l'être, la ſubſtance, l'un, le même, la cauſe, la perception, le raiſonnement, et quantité d'autres notions, que les ſens ne ſauroient donner." Et cum Leibnitius ſpatii ac temporis notiones in intellectus notionibus numeraret, alia via in eandem ſententiam incidit, quam Kantius verioribus argumentis defendit, *Matheſin puram* nullo modo experientia niti, ſed a *priori*, ut dicunt, intelligi. ibid. p. 33. „*Dans ce ſens on doit dire, que toute l'Arithmetique et toute la Geometrie ſont innées, et ſont en nous d'une maniere virtuelle, en ſorte, qu'on les y peut trouver, en conſiderant attentivement, etrangeant ce qu'on a deja dans l'eſprit ſans ſe ſervir d'aucune verité appriſe par l'experience, ou par la tradition d'autrui, comme Platon l'a montré dans un Dialogue où il introduit Socrate menant un enfant à des verités abstruſes, par les ſeules interrogations, ſans lui rien apprendre. On peut donc former ces ſciences dans ſon cabinet, et même à yeux clos, ſans apprendre par la vue, ni même par l'attouchement les verités dont on a beſoin, quoiqu'il ſoit vrai, qu'on n'enviſageroit pas les idées, dont il ſ'agit, ſi l'on n'avoit jamais rien oû ni touché.*

Magna igitur in doctrina de ſenſu et intellectu per Kantium facta eſt acceſſio, quod primus inter ſentiendi et intelligendi vim quid intereſſet, ſic docuit, ut incommoda, quae ſuperiorum philoſophorum ſententias premebant, prorſus e medio tollerentur: quod arctiſſimum utriusque facultatis nexum demonſtravit, et quae utrique materies ſubiiceretur, quae forma eſſet, explicavit; quod puras intellectus notiones, ſ. categorias, poſt Ariſtotelem, qui eas quaſi iactu fortuito collegerat, nec plene enumeraverat, et cum aliis notionibus ab expe-

rientia ductis miscuerat, primus in iustum ordinem redegit, atque e diversis iudiciorum mentis nostrae notis, qualitate scilicet, quantitate, relatione et modalitate deduxit, ut cum singulis harum notarum terna praedicamenta subiicerentur, facile ab omnibus intelligi posset non posse plura quam duodecim praedicamenta cogitari, quibus universa intellectus forma expleretur; scilicet *quantitati* iudiciorum subesse unitatem, pluralitatem, universitatem; *qualitati*, realitatem, negationem, limitationem; *relationi*, substantiam et accidens, causam et effectum, et mutuum inter id quod agat et patiatur commercium; *modalitati* vero, possibilitatem, existentiam, necessitatem, cum contrariis quae his opponuntur. Deinde proprium est Kantii meritum, quod quomodo intellectus formae materies notionum a sensibus reperta subiungi posset, admirabili subtilitate docuit; quod haud scimus an nulli philosophorum ante eum in mentem venerit. Docuit enim *primo* in singulis perceptionibus, sive antecaptis, sive empiricis *synthesin apprehensionis* esse, quae varias perceptionis notas percurrat, percursas autem comprehendat; deinde *synthesin reproductionis*, quae perceptionis notas priores continuo repetat, ut cum sequentibus comprehendi possit; (ut si certum numerum v. c. sex numorum animo informamus, id fieri non potest, nisi primum unum et unum componamus, ut duo fiant, deinde cum tertium addimus duo priores cogitatione repetamus;) denique *recognitionem notionis*, qua fit ut intelligamus, id quod nunc cogitamus, repetitum scilicet animo, et reproductum, idem illud esse, quod prius cogitatum fuerat. Novum quoque hoc est, certe, quis ante Kantium docuerit, nemo adhuc demonstravit, quod phantasiam ostendit singulis intellectus notionibus imaginem quandam, s. *schema*, quod illis respondeat, efficere; quod illa schemata secundum ordinem categoriarum plene enumeravit. Quae cum ita sint, dubium

nobis non eſt, quin ſi magnus ille Leibnitius in vitam rediret, acutiſſima Kantii philoſophemata magno cum plauſu excepturus, multoque maiore in loco poſiturus eſſet, quam multi hodie faciunt, qui leviori philoſophandi rationi aſſueti, vel ſubtilitatis odio adducti, aut pervetera eſſe, quae Kantius attulerit, aut praeter inanem verborum pompam nihil, quod ad uſum converti poſſit, continere, nullis quidem argumentis evincunt, ſed magno tamen cum ſupercilio et faſtidio iactant, nullis ſcilicet niſi imperitis aut corruptis rerum arbitris impoſituri.

XXXII.

Quaeſtio de ſyntheticis mathematicorum pronuntiationibus.

Cum in cenſura rationis genuinae ac ſimplicis, (quam eandem et originalem, ſ. impermixtam dicere poſſimus,) quam plurima Kantius acutiſſime diſſeruit, tum maxime, quid intereſſet inter viam ac rationem, qua mathematicorum ſcientia perſicitur, eamque qua philoſophos uti decet, unus omnium rectiſſime intellexit clariſſimeque docuit. Quod ut efficeret, multas animi partes ab aliis neglectas acrius indagavit, atque in clariori luce poſuit. Ac in magno quidem numero rerum, quas vel novas primus obſervavit, vel cognitas melius ſubtiliusque declaravit, quaſi lumen quoddam eminet, quod omnium pronuntiatorum duplex eſſe genus vidit, alterum, quod ille *ſyntheticum* appellat, in quo praedicatum non latet in ſubiecto, ut ex eo evolvi atque explicari poſſit, ſed vinculo quodam extrinſecus arceſſito cum eo copulatur; alterum, *analyticum*, quod eſt eiusmodi, ut praedicatum involutum lateat in ſubiecto, ex eoque reſolutione quadam intelligi poſſit. Ut exemplum huic definitioni ſubiiciamus, *animum immortalem eſſe συνθετικῶς* pronuntiatur, nam ex ipſa animae notione, cur ei immortalitas tribuatur declarari nequit; ideoque niſi alia, quaecunque tandem ſit, nota reperiatur, qua tanquam internodio vincire praedi-

catum cum ſubiecto poſſimus, cur ita pronuntiatum ſit, ambiguum eſt. Contra cum dicimus *hominem animatum eſſe*, *ἀναλυτικῶς* enuntiamus; nam hominem animo et corpore conſtare cum ſuppoſuimus, tum quod in ſubiecto iam inerat etſi iunctum et compoſitum cum alio, id in praedicato ſeiunctum a ceteris et ſolum proferimus. Eodem modo cum in ſingulis triangulis ternos angulos eſſe affirmamus, pronuntiatio eſt analytica. Quoniam enim trianguli notio, quae in ſubiecto ponitur, h. e. ſpatium tribus lineamentis incluſum ac finitum, hoc ſecum fert, ut in eodem tres anguli ſint, quod ni ita eſſet, ſpatium finiri tribus lineis non poſſet, facile patet, trium angulorum praedicatum in ipſo ſubiecto latuiſſe, antequam de eo diſerte pronuntiaretur. Verum cum ſummam angulorum in triangulo duobus rectis aequalem eſſe aſſerimus, e ſola trianguli notione hoc enuntiatum nullo pacto derivari poteſt. Quocunque enim ſe philoſophus vertat, explicanda trianguli vel rectorum angulorum, vel ſummae notione nunquam id efficiet, ut illa aequalitas, quae inter angulos trianguli in ſummam collectos, et duo normales inter ſe computatos intercedit, perſpicue intelligatur.

Cum autem omnes animi perceptiones, vel ex uſu rerum et experientia petantur, quas quidem perceptiones *adventicias* latine dicere poſſumus, (vulgo vocant *a poſteriori*) vel ex internis fontibus hauriantur, quas cum ſcholaſtici *perceptiones* a *priori* dixerint latine *praeſumtas*, *praeconceptas*, vel *anteceptas* appellare licet; videndum eſt, quid de ſyntheticis analyticisque pronuntiationibus ſtatuendum ſit, ſi ad fontes e quibus hauriuntur, animum intendamus.

Analytica quidem enuntiata ad unum omnia antecapiuntur, nec in iis experientia opus eſt. Cum enim praedicatum pars ſit ipſius ſubiecti, quae involuta in eo et explicanda eſt, ut ſeparatim a ceteris ſubiecti notis

animo obiiciatur, nihil eſt in analyticis pronuntiationibus, quod aliunde peti debeat, quod non ex ipſis, quibus mens iam antea inſtructa erat, notionibus duci atque intelligi poſſit.

Syntheticorum vero enuntiatorum duplex genus eſt; nam quaedam ſunt *empirica*, (quorum infinita multitudo eſt) in quibus praedicatum ſubiecto uſu et experientia duce tribuimus. E. c. cum *omnia corpora gravia eſſe* pronuntiamus, dici profecto non poteſt in *corporis* notione *gravitatis* notam abditam iam antea fuiſſe, quam hanc illi tribueremus; nam *corporis* notio nihil aliud ſecum fert, quam ſoliditatem; unde profecto nunquam corpora ſuo nutu ad terram ferri perſpiceretur, niſi accederet quotidiana rerum experientia. Haec igitur vinculum nobis praebet, quo ſubiectum cum praedicato novo rite copulare, adeoque cognitionem amplificare liceat.

Alterum genus enuntiatorum ſyntheticorum eſt eorum quae antecapiuntur ſeu praeſumuntur, ut cum dicimus: *nihil* in *rerum natura fieri poſſe niſi cauſa antecedente.* In his vero quid ſit illud vinculum quod inter ſubiectum et praedicatum intercedat, ut quo iure ſic pronuntietur mens noſtra intelligat, obſcurum eſt. Nam primum experientia feriem tantum antecedentium atque conſequentium diſcimus, non autem ipſum eorum nexum et concatenationem. Deinde uſus rerum, quid fiat, ſolum, non quid neceſſario fiat, nos docet. Itaque cum ſic pronuntiatur, *omnia quae eveniunt, antecedentibus cauſis fiant neceſſe eſt*, fruſtra eius pronuntiati veritatem et certitudinem experientia contineri contendimus.

Hanc igitur cauſam, ut altius indagaret Kantius, primum omnium accuratius pleniusque quam antea factum erat, perceptionum genera diſtinxit, et explicavit. Nimirum cum omnium perceptionum duplex ratio ſit, ut

vel in contemplatione f. intuitione, vel in comprehensione, f. conceptu ponantur, quarum illa ad sentiendi facultatem, haec ad intellectum pertinet primum quae sit intuitivae cognitionis indoles optime commonstravit. Cum sensibus nostris res obiiciuntur, ipsam hanc rerum praesentium impulsionem, qua mens afficitur, *sensionem* dicimus; animique contemplationem quae ad eam refertur, *intuitionem empiricam.* Cum imaginem oculis oblatam cernimus, cum chordae sonum audimus, cum rosam olfacimus, cum vini saporem gustamus, cum calorem sentimus, sensio tribuitur animo, quatenus pellitur ab obiecto calore, sapore, odore, sono, colore; *intuitio* autem *empirica*, cum istam rem obiectam, quae obiici sine sensu non potest, comprehendit. Quaecunque autem extrinsecus obiiciuntur *intuitioni empiricae*, noto vocabulo *visa* (*Erscheinungen*) appellantur. In omnibus autem visis *materiam* diligenter a *forma* segregemus necesse est. Materies visorum nempe conficitur iis omnibus, quae sensus ipse obiicit animo, quaeque sensu sublato prorsus in animum non cadunt. Itaque in sensu oculorum coloris adspectus materiem huius visi constituit; qui enim oculorum usu careret, coloris quoque perceptionem arripere aliunde non posset, sed ea perceptione prorsus careret. Sed praeter materiem visorum in ipso animo est, quod eam in certum ordinem redigat, quod *formam*, f. *vim formatricem* visorum appellare licet. Haec animo nostro insita et innata sit necesse est; nam ab ipsa quidem sensione proficisci nequit.

Et quoniam omnis sensus ad duo genera revocandus est, alterum quod res externas, quae nobis ipsis extra nos positae esse videntur, alterum quod internum ipsius animi statum nobis obiicit; utriusque sensus visis forma est in animo parata, altera quae sensis externis propria est, altera internis externisque communis. Illa est *spatii*, haec *temporis* forma. Quaecunque enim visa tanquam extra

nos posita nobis occurrunt, ea in *spatio*, omnia autem visa, sive externo sive interno sensui obiiciantur, in *tempore* ponimus. Haec igitur spatii temporisque species insidet animo nostro, ita ut eam extrinsecus arripuisse dici non possit.

Iam in Mathesi pura, h. e. in arithmeticis geometricisque disciplinis omnia axiomata ac theoremata, quibus earum honos ac dignitas maxime continetur, h. e. quibus a cognitis rebus ad novas incognitasque transitur, pronuntiata synthetica esse, verissime Kantius observavit. Sunt quidem etiam quaedam analytica, e. c. ea quae proxime ex definitionibus colliguntur; idemque identica nonnulla, quae vocant, enuntiata. Verum enim vero multo maxima pars mathematum synthetica sunt; nec praedicata e subiectis enucleantur, sed cum iis intercedente intuitione et ἀποδείξει copulantur.

Ac primum quidem in arithmetica vulgari formulae numerorum omnes συνθετικῶς enuntiantur. V. c. cum duo et tria quinque, vel ter terna novem esse dicuntur. Notio numeri quinarii oriri aliter non poterit, quam repetitione unitatis semel, iterum, iterumque ac denuo facta. Iam etsi scio $1 + 1 + 1 + 1 + 1$ esse quinque, tamen ex mera subiecti resolutione non intelligitur $2 + 3 = 5$ esse, sed ut hoc nobis patescat, intuitio accedat necesse est, qua in numero quinario primum ab unitate ad binarium, deinde ab unitate ad ternarium numerari posse docemur. Itaque tirones talia solent in digitis supputare. Tiedemannus quidem V. Cl. in symbolis Hassiacis *), Kantianae sententiae veritatem labefacturus ita fere disputat. Thesis quae affirmat septem et quinque in summam collecta duodecim esse, analytica est. Nam inter

---

*) *Hessische Beyträge zur Gelehrsamkeit und Kunst.* 1 St. S. 115.

omnes quae fieri possint numeri *duodecim* partes, sunt etiam septem et quinque; adeoque ut dicamus septem et quinque duodecim efficere, nihil opus est ut ultra notionem numeri duodecim exspatiemur. Quinque autem et septem duodecim efficere, hoc certe argumento probatur, quod duodecim in septem et quinque dividi exacte possint. Recte vero. Sed illa ipsa divisio et comparatio cum toto institui non potest, nisi accedente intuitione, id quod Kantius volebat. Si $7 + 5 = 12$ analyticum esset enuntiatum, nihil aliud ad veritatem eius intelligendam requireretur, quam ut notionem summae, itemque numeri quinarii et septenarii aliquis verbis explicaret; nunc accedat necesse est ipsa unitatum collectio, quae sive punctis, sive digitis, sive nummis computando instituatur, id tamen nunquam non prodit, absque intuitione cur praedicatum subiecto tribuendum sit haud perspici.

Similiter in arithmetica universali constructione ac disiunctione signorum et characterum, omnia perficiuntur argumenta, adeoque in illa quoque parte matheseos, quae quam late pateat neminem fugit, omnia ad intuitum revocantur. Notum theorema est: *in progressione geometrica factum primi et ultimi membri aequale est singulis factis binorum membrorum a primo et ultimo utrinque aequaliter distantium.* Hic si philosophus aliquis in exponendo subiecto, eiusque vi verbis declaranda bene mane versari coeperit, concubium sit noctis, ut ait ille apud Plautum, antequam ad praedicatum pervenerit. Quid mathematicus? Postquam primum membrum universali nomine *a*, *exponentem* rationis s. indicem *m* appellavit, statim seriem contemplationi subiicit, subscripta eadem inverso ordine

$$a,\ am,\ am^2,\ am^3,\ am^4,\ am^5,\ am^6,$$
$$am^6, am^5,\ am^4,\ am^3,\ am^2,\ am,\ a,$$

unde manifeſtum ſit contemplanti factum primi et ſeptimi ſ. ultimi, facto ſecundi et ſexti, item tertii et quinti, denique quarti in ſe ipſum ducti aequale eſſe, nimirum $a^2 m^6$.

In geometria, ſive quis abſtruſiora theoremata ſpectet, ſive prima eademque intellectu faciliora, nemo tamen ſola expoſitione ſubiecti eo devenerit, ut nexum eius cum praedicato perſpiciat. In ſingulis triangulis tria latera ſimul ſumta tertio maiora eſſe cum demonſtrandum eſt, geometres quid agit? Num multis verbis ex notione trianguli praedicatum tanquam in illa abditum et incluſum exſculpere tentat? Minime. Quin protinus arrepta regula et graphide triangulum deſcribit, ABC, unum ex eius lateribus BA prolongat in D, donec alterum latus AC=AD fuerit, ab apice trianguli C ad punctum D lineam ducit. Ecce duo triangula pro uno exoriuntur, ABC, et BDC. Et quoniam ex lege conſtructionis AD = AC, colligit angulos oppoſitos ACD = ADC, cuius aſſerti veritatem iam aliunde didicit. Iam videt angulum BCD maiorem eſſe τῷ ACD, quia hic illius pars eſt; inde cogit angulum eundem quoque maiorem eſſe τῷ ADC. Hinc oppoſitum lineis latus maioris trianguli BD neceſſario maius eſſe intelligit, quam BC, et quoniam illud latus BD ductus trianguli BAC lateribus conſtat, BA et AC = AD, continuo videt duo latera ſimul ſumta in triangulo maiora eſſe tertio. Et quoniam idem efficitur, quaecunque duo latera cum tertio quocunque comparentur, univerſe quoque verum eſſe theorema intelligit. Hic igitur omnia interveniente intuitione perficiuntur. Cl. Tiedemannus quidem hanc viam demonſtrandi veriſſimam eſſe concedit; idem tamen unicam eſſe negat; eandemque theſin e ſola notionum analyſi demonſtrari poſſe affirmat. Quidni igitur audiamus? „Dato trianguli latere, reliqua duo extrema illius „lateris puncta contingant neceſſe eſt; aliter non exſiſtunt

„anguli duo, qui nisi in singulorum laterum trianguli „punctis extremis fiant, spatium haud finitur. Itaque duo „illa latera intra eadem puncta sita sint necesse est, quibus „datum trianguli latus terminatur. Cum autem linea „recta inter duo puncta brevissima sit, reliqua duo ma- „iora sint necesse est.“ Nihil attinet hoc loco monere, multo dilucidius illa verbis expediri potuisse; certe qui primus geometrica disceret, non uno loco hic offenderet; sed quoniam hoc iam non quaeritur, missum faciamus. Illud unum monebimus, cum nexus argumenti contineatur hoc axiomate: *linea recta est inter duo puncta brevissima*, hoc sine intuitione prorsus demonstrari non posse; ideoque illius quoque demonstrationis vim, non tam expositione subiecti, quam *ἀποδείξει* contineri. *Ἀποδεικνῦναι* vero nihil aliud est quam intuitioni subiicere.

Sed erunt fortasse, qui dicant, etiamsi pronuntiata mathematica non ex ipsis notionibus deriventur, tamen id quod Kantius velit, nondum effici, nimirum ea ex intuitione pura, et ab experientiae praesidiis prorsus immuni, derivari. Quorum tamen reprehensioni sic occurrit Kantius, ut quantum intersit inter theoremata mathematicorum, et ea quae usu et experientia colligimus, animadvertere iubeat. Experientia nimirum nunquam aliquid *universe*, multo minus aliquid *necessario* verum esse, docet. Quodsi, spatium non plures quam tres admittere dimensionis modos, experientia tantum disceremus, geometer hanc thesin sic enuntiare deberet: Quantum adhuc quidem observatum est spatium tres nec plures patitur metiendi rationes. Adeoque in omnibus, quae pronuntiaret geometres, persuaderet potius quam cogeret.

Quae quum ita sint, verissime Kantius iudicavit, mathematicorum viam ac rationem, quam in definiendo ac demonstrando sequuntur, ad philosophiam speculativam transferri nullo modo posse. Mathematici in syntheticis

pronuntiatis omnia revocant ad intuitionem, nec eam quidem empiricam, fed puram; geometrae quaecunque de lineamentis, figuris et corporibus demonftrant, ita evincunt, ut omnia e primis fpatii proprietatibus ducant. Spatium vero non eft, ut multi fibi perfuaferunt, qualitas corporum, quam animus haec inter fe comparando cognofcit; nam nec plura funt fpatia, quae quidem totum aliquod conftituant, fed unum eft fpatium ad quod quae plura dicuntur tanquam partes ad totum referenda funt; nec vero dici poteft, cum omnia corpora, quae fenfibus occurrunt in fpatio ponamus, eam notionem a rebus externis in animis impreffam effe, quod fi verum effet, fequeretur, ut fublata corporum veritate, fimul fpatii notio in mentibus noftris tolleretur. Iam hoc nunquam fieri poteft. Fingere licet, omnia corpora abeffe; fpatium omnino abeffe ne cogitare quidem poffumus, adeoque fpatii, ficut temporis notio infita eft mentibus noftris, atque infixa, fic, ut ea omnes rerum corporearum fenfiones, feu vifa quaecunque antecedat. Hinc mathematici proprietates fpatii intrinfecus ex hac ipfa forma intuitionis nobis innata derivant, nec unquam ad experientiam confugiunt; oppido tamen fecuri experientiam pronuntiatis fuis nunquam repugnaturam; quod qui fiat, facile perfpicitur, fi cogitamus omnium viforum materiem, quae ab experientia nobis offertur, femper formae intuitionis, quae humanae fentiendi facultati innata eft, et quidem neceffario refpondere. Cum autem philofophia fpeculativa hoc praefidio careat, cum non ex intuitione, fed ex folis notionibus argumentari velit, facile patet, nifi intra fines experientiae fubfiftat, eam mathematicorum rationem fruftra imitari, omniaque huius generis philofophemata aranearum telis leviora effe, quoniam in fimili operis tenuitate ne habent quidem unde pendeant.

XXXIII.

Kantianae de ſpatio doctrinae brevis explanatio.

Quod ſenſu univerſo *ſpatium* dicitur, quo corpora continentur, primum eſſetne aliquid praeter vocabulum, an prorſus *nihil* eſſet, quaeſitum eſt. Qua quidem in quaeſtione deceptos fuiſſe homines vocabuli *nihil* ambiguitate facile intelligitur. Nimirum ſi *nihil* eſſe dicitur, quod corpus non eſt, vel quod relinquitur corporibus ſublatis, *nihil* eſſe ſpatium concedi poteſt. Sed ſi *nihil* eſſe pronuntiamus, quodcunque prorſus eſſe non poteſt, quod ſecum ipſo ſic pugnat, ut nulla eius poſſit notio informari, tum profecto negari nequit ſpatium nonnihil eſſe, utpote de quo omnes tanquam de re certa loquantur, cuiusque adeo in rationibus dimetiendis ars omnium ſubtiliſſima, Geometria, unice verſetur.

Sed ſi conceſſeris *ſpatii* vocabulo notionem quandam reſpondere, quaenam ea ſit, quamque vim habeat, denuo inter philoſophos ambigitur. Quicquid autem ſit, vel in ipſa mente poſitum ſit, vel extra mentem exſiet, ſuamque naturam tueatur, etiamſi nulla eſſet vis cogitandi, neceſſe eſt.

Fac igitur ſpatium extra mentem exſtare. Quoniam ea quae extra mentem poſita ſunt, corporum naturis continentur, ita ut vel ipſa corporum prima ſta-

mina, vel corporum certe qualitates aut adfectiones ſint, efficitur, ut ſpatium, ſi quidem extra mentem ſit, aut corpus ſit, aut certa corporis quaedam affectio.

Corpus autem non eſſe ſpatium evinci facile poteſt. Omne corpus aut movetur aut moveri poteſt, ſpatium vero eſt omnis motus expers. In corporis natura ſoliditatem omnes agnoſcunt, et vim reſiſtendi; quam ſpatio corporibus vacuo nemo tribuit. Porro corpora alicubi non eſſe, facile cogitari poteſt; ſpatium alicubi non eſſe, nullo prorſus modo. Itaque etſi univerſitatem corporum infinitam eſſe poſſe conceditur, tamen infinitas ab univerſi corporis natura ſegregari poteſt, a ſpatii vero notione non item. Fingere licet, nullum eſſe corpus praeter ſolem; adeoque ab univerſitate corporis infinitatem ſeiungere. Idem in ſpatio nullo modo licet. Prorſus cogitari nequit nullum eſſe ſpatium praeter id quod ſolis ambitu contineatur. Ac ſi ſpatium finibus circumſcribi dicitur, pars tantum eſt univerſi ſpatii, quae circumſcribitur; nam in univerſi quidem notionem fines non magis cadunt, quam in aeternitatem primordia. Denique etiam hoc intereſt inter ſpatium et corpus, quod nihil impedit, quo minus omnia corpora tolli ſingamus, ſpatium vero prorſus e rerum natura ſublatum nullo pacto cogitare poſſumus. Quae ſi dederis, dandum eſt illud, quod initio poſueramus, fieri non poſſe, ut ſpatium corporis notioni ſubiiciatur.

Verum ſi corpus non eſt, quaerendum an id quod ſpatium dicitur, qualitas quaedam corporum ſit. Quod ſane leviter hanc rem intuenti facile probetur. Quid enim? Nonne ſpatia ineſſe corporibus dicimus? Nonne crumenam vacuam, ut Plautino ioco utamur, *inaniis* repletam eſſe? At hoc nihil pertinet ad cauſam quae hic agitur. Nam illud quod *inane*, vel *inane ſpatium* dicimus, de quo v. c. Lucretius lib. I. de rerum natura

disputat, ſemper *relate* dicitur, nunquam *abſolute.* In cubiculo dicimus inane ſpatium eſſe, ubi poſita non ſunt vaſa atque utenſilia, ſed libere commeandi poteſtas datur. Sed id quod inane in cubiculo dicimus, haud negamus aëre, luce, aliaque ſubtiliore materia plenum eſſe. Quid? quod ipſum, quod ab inventore appellatur, vacuum Torricellianum quamquam aëre prorſus vacat, non ideo tamen prorſus inane eſt ab omni materia. Nam unde aër expulſus eſt, is locus continuo lumini, materiae electricae etc. cedit. Itaque ſi dicimus in tubulo vitreo ſpatium eſſe aëre vacuum, non continuo ſpatium ipſum corporis qualitatem eſſe pronuntiamus; cum nihil aliud ſignificemus, quam illam ipſam univerſi ſpatii partem, quam paullo ante aër occupaverat, nunc aliud corporum genus occupare. Spatium vero illud veri nominis, quod infinite in longitudinem, latitudinem, et altitudinem protenditur nunquam inter corporum qualitates referri poteſt. Nam hae quidem ſublatis corporibus una cum illis corruant et evaneſcant neceſſe eſt. Spatium vero corporibus omnibus aut reapſe, aut cogitatione ſublatis, intactum relinquitur. Accedit illud quoque, quod, ſpatium ne in corporum affectionibus numeremus, prohibet, quod hae omnes ac ſingulae ſenſibus percipiantur, quibus ita alligatae ſunt, ut ſenſibus obturatis, nulla eas cognoſcendi via pateat. E. c. colores corporum oculis ſentiuntur, quibus excaecatis prorſus perit colorum perceptio quae proprie dicitur. Nam etſi fuerunt, qui quamvis eſſent a nativitate oculis capti, tamen corpora colorata tactu diſcernerent, a luminis impulſione tamen ſentienda prorſus aberant, ita ut quamnam haec vim haberet, ne divinando quidem aſſequerentur. Spatii contra notio, quamquam viſus tactusque perceptionibus perpetuo comes adhaeret, non tamen, hiſce ſublatis, ipſa tollitur; notum eſt enim caecos natos, omnia quae de ſpatio intelligi poſſunt, cognoviſſe, Geometriam didiciſſe, Saunderſonum

denique Optica adeo docuisse, quod mirum nemini videbitur, qui hanc artis Mathematicae partem totam in radiis luminis vel directis, vel refractis vel reflexis dimetiendis versari, atque e Geometrarum rationibus unice pendere cogitaverit. Itaque spatii informatio nec e visu, nec e tactu sic proficiscitur, ut e visu colorum, e tactu coloris aut frigoris, duritiae aut mollitudinis perceptiones. Ex quo colligitur spatium neutiquam in corporum affectionibus aut qualitatibus numerandum esse.

Quandoquidem igitur spatium nec ipsum corpus, nec *ποιότης* quaedam corporis esse deprehenditur, sequitur idem haud extra mentem ponendum, sed potius ad mentem ipsam seu animam referendum esse. Iam cum nemo tam hebes aut absurdus sit, ut ipsam mentis substantiam esse spatium dicat, restat ut in quadam mentis parte ponatur. Cum igitur spatium cum ea animi parte quam appetitivam dicunt, prorsus nihil commune habeat, efficitur ut ad cognoscendi facultatem pertineat. Quae cum duplex sit *αἰσθητική*, et *νοητική*, h. e. sentiendi intelligendique facultas, primum, an ad intelligendi facultatem referenda sit spatii notio, videndum.

Si spatium in intellectus notionibus censendum esset, utique vel in puris, vel in empiricis notionibus numeraretur. Iam in *puris*, quae *Categoriarum* nomine appellantur locum ei nullum esse, facile ex absolutissima categoriarum tabula, quam Kantio auctori debemus, intelligitur. Itaque videndum an spatii notio in earum numero sit, quae ex usu rerum et experientia hauriuntur.

Quae extra nos posita sunt, ea quinque sensibus percipimus. Si igitur spatium experientia cognosceremus, necesse esset vel uno vel pluribus illorum sensuum eius notitiam acciperemus. Iam nec oculis, nec tactu spatium nobis innotescere facile intelligitur. De ceteris enim sensibus nemo dubitat. Quam primum igitur infantis anima

ſiniſtram manum a dextra discernit, aut ſi qua prior alia eſt corporis ſui notitia, iam antecaptam eſſe oportet ſpatii notionem. Quidenim aliud ſignificat, manum dextram ab ſiniſtra discernere, quam intelligere utriusque proprium eſſe in ſpatio locum? A tactu igitur proficiſci nequit ſpatii notio, quippe quae omnem tangendi uſum antevertit. Similiter de oculorum miniſterio ſtatuendum. Simulac mens noſtra oculis interpretibus res obiectas diſtinguit, ſtatim eas in pluribus locis diſpoſitas eſſe animadvertit, ut adeo rurſus notionem ſpatii omnem videndi uſum praecurrere pateat. Quod vero prima ſpatii notio obſcura et involuta ſit, quod eam non ſtatim verbis exprimere poſſumus, quod multi homines prima iſta ſpatii notione dum vivunt, obſcura et involuta utantur, nec unquam de ea explicanda ſolliciti ſint, hoc prorſus nihil valet, ad confutandum id quod ſupra pronuntiatum eſt, ſpatii notionem omnes quae ex uſu rerum, et experientia ducuntur notiones antevertere.

Praeterea nemo eſt philoſophorum qui neget, notiones ab experientia ortas ſic formari, ut comparatis inter ſe ſingulis rebus, quae in iis communia ſint comprehendantur. Enim vero ſpatii notionem hoc modo animo informare non licet, propterea quod non, ut in rebus quae ſenſibus obiiciuntur, plura ſpatia ſunt, quae ab aliis ſui generis ſeiungi atque inter ſe comparari poſſint, ſed unum tantum eſt ſpatium idque infinitum, quo ea quae vulgo pluraliter ſpatia dicuntur, tanquam partes in toto continentur.

Neque vero ſi ſpatium eiusque triplex dimenſio experientia nobis primum innoteſceret, aut, ut aliis verbis utamur, ſi prima eius notitia adventicia haud innata nobis eſſet, geometrica theoremata evidentiam illam ac neceſſitatem ſecum ferrent, quam ei omnes, qui hanc ſcientiam quamvis leviter attigeruut, recte tribuunt. Nam in Geo-

metricis coguntur omnia, non obſervantur. Quicquid autem uſu rerum et experientia cognoſcimus, id nunquam neceſſario ſic fieri intelligimus, nec certo ſcimus idem omni loco ac tempore eodem modo eventurum eſſe. Quapropter multum intereſt inter *ἀπόδειξιν* Geometrarum et evidentiam quam ſenſibus tribuimus. Iam ſi ſpatii notio adeoque geometricae longitudinis, latitudinis, et altitudinis rationes externo ſenſuum miniſterio nobis informarentur, nihilo certius aut evidentius eſſet geometricum theorema de duobus angulis trianguli aequicruri ad baſin aequalibus, quam id quod quotannis experimur, arbores vere ineunte vireſcere, aquam hieme concreſcere, et centena eius generis alia. Tantum autem abeſt, ut haec phaenomena cum illis geometrarum effatis in eodem evidentiae gradu ponenda ſint, ut potius quae nobis uſu venerunt, adeoque ſenſuum ſide extra omnem dubitationis aleam poſita eſſe videntur, aliis tamen quibus haud contigit eadem ſenſibus accipere incredibilia et falſa videri poſſint. Notum eſt e. c. Europaeos qui Zonae torridae incolis narraſſent flumina apud nos interdum gelu ſic conſiſtere, ut onuſta vehicula ferant, ſplendide mentiri viſos. Quod longe ſecus eſt in geometrarum pronuntiatis; quorum veritas nullis regionibus adſtricta, quorum certitudo ubivis locorum inconcuſſa, quorum neceſſitas omni tempore irrefragabilis eſt. Quid? quod ipſis geometricis rationibus nonnihil rigoris et inſignis illius, quam Euclides tenebat, *ἀκριβείας* decedit, ſimulatque ad rerum naturam transferuntur. Sic mechanica vectis theoria, quousque intra geometriae fines ſubſiſtit, aequam cum illa evidentiam partitur. Ubi autem ad ipſum machinarum uſum et conſtructionem ventum eſt, illico corporum tarditas, eorumque frictio intercedit, quibus rebus fit, ut ſegnius omnia procedant, quam ex geometrarum doctrina aeſtimata procedere debuiſſent. Ipſum illud Archimedis poſtulatum: *δός μοι ποῦ στῆναι καὶ τὴν γῆν κινήσω*, quantumvis

ratum et certum ſi ad ſolam geometrarum normam exegeris, vanam haberet promiſſionem, ſi nihil aliud quam locus extra terram ubi conſiſtere poſſet concederetur.

Sunt autem qui dicant, ſpatii notionem e ſenſibus ortum nihil magis arguere, quam imagines cum ea ſic coniunctas, ut ſeiungi et avelli nequeant. Sic fuerunt, qui eius notionis cauſas a viſu arceſſerent, propterea quod inſit in ea coloris quaedam ſpecies; ut adeo nuper Cl. Federus ſpatii phantaſma dixerit imaginem terrae colore imbutam et coeli luce colluſtratam (*ein irdiſch gefärbtes und himmliſch erleuchtetes Bild*). Verum haec phantasmata prorſus ab ipſa ſpatii notione differre, facile patet, ſi caecos illos, qui nunquam lucem oculis uſurpaverunt recordemur, quibus etſi nunquam licuit coelum terramque oculis intueri, nihil tamen obſtat, quo minus omnia quae de ſpatio Geometrae docent, intelligere poſſint. Neque vero in aliis difficile eſt puras notiones ab imaginibus internoſcere, quae illas tanquam umbra corpus comitari ſolent. Lineam e. c. Geometrarum, quae longitudine continetur, a qua omnis latitudo prorſus abſit, nemo imaginationi obiicere poteſt; cum ne tenuiſſima quidem linea atramento aut alio colore ducta, ſine aliqua ſaltem latitudine duci queat.

Cum igitur ſpatium nec in puris, nec in empiricis intellectus notionibus numerandum ſit, ſupereſt, ut ad ſenſitivam mentis vim referatur. Quae cum nihil aliud niſi perceptiones ſingulares, quae *viſa* veteribus, recentioribus *intuitus* appellantur, praebeat; neceſſe eſt ſpatii perceptionem intuitum eſſe; eumque *externum*, cum omnia quae ſpatio continentur extra nos ponamus. Iam in externo intuitu id quod intuemur, ſ. *materiam*, ab intuendi *forma* diſtinguendum eſſe, conſtat. Inter ea autem quae intuemur, quae ſenſibus percipimus, ſpatium referri non poteſt. Nam primum haec omnia certis quibusdam ſenſibus

ſibus accipiuntur, quorum miniſterio ſublato, tollitur ea, quae praebebatur perceptio. Spatium vero nulli horum ſenſuum adſtringitur, ſed tanquam fundamentum omnibus ſenſuum perceptionibus ſubiacet. Porro nihil nos impedit, quo minus fingamus, omnia corpora e rerum natura tolli; ſpatium vero ſublatum prorſus nullo modo animo informare poſſumus. Ex quo conſequitur ſpatium nihil aliud eſſe quam formam ſenſus externi menti humanae innatam, cui reſpondeant neceſſe eſt omnia quae ſenſu externo percipiuntur. Iamque cum Geometria nihil aliud agat, quam ut illam ſenſus externi formam evolvat, et quae in ea abdita ſint eliciat, in promptu eſt evidentiae et neceſſitatis eius placitis propriae cauſas intelligere. Hactenus Kantii de ſpatio doctrinam expoſuimus; in quo quamquam viri acutiſſimi decretis nihil detraximus, ordine tamen differendi aliter inſtituto praecipua eius capita planiora nonnullis futura ſperamus.

XXXIV.

Kantianae de temporis notione ſententiae brevis expoſitio.

Expoſita Kantii V. Cl. doctrina, qua ſpatium nihil aliud quam ſenſus externi formam eſſe demonſtravit, reſtat ut eandem operam *temporis* notioni impendamus, circa quam inde a philoſophiae incunabulis trepidaſſe philoſophos, et quid certi ſtatuerent, vix inveniſſe videmus.

Ac primo quidem iam olim fuiſſe qui *tempus* eſſetne *aliquid*, an prorſus *nihil* eſſet, quaererent, ex Ariſtotele intelligitur (Phyſicor. IV. 10.) quippe qui locum quaeſtioni concedit *πότερον τῶν ὄντων ἐστὶν ἢ τῶν μὴ ὄντων*. Facile autem eſt iudicare, *tempus* eſſe in rerum natura, eiusque certam quandam notionem informari poſſe, propterea quod inſitam eius animo formam delere nullo modo poſſumus, vocabulique *temporis* uſus late per omnes cultiorum quidem populorum linguas patet.

Primum igitur quaerendum eſt an tempus extra mentem, ſ. vim cogitandi ſentiendique poſitum ſit, an potius in mentis quadam parte aut affectione ponendum.

Qui extra mentem tempus eſſe, ac ſublatis mentibus naturam ſuam tueri volebant, eorum *alii* tempus univerſam rerum corporearum naturam (*τὴν τοῦ ὅλου σφαῖραν*)

alii eius converſionem (*περιφοράν*) eſſe decreverunt. Atque illos quidem Ariſtoteles dignos eſſe negat qui refutentur, adeo ſcilicet ſtulta loqui. Nimirum prorſus conſequentia rerum non videbant, qui ſphaeram univerſi tempus eſſe opinabantur. Ipſa enim corpora ad ſpatii notionem referuntur, quod nullo modo in temporis naturam cadit; ſingulis, adeoque etiam univerſis corporibus triplex illa geometrarum dimenſio tribuitur, tempus contra haud alia menſura, quam diuturnitate aut brevitate metimur. Itaque cum iſtorum ratio prorſus abiicienda ſit, erat ſaltem tolerabilior eorum ſententia, qui tempus *converſione coeli* contineri putabant. Certe enim communi more tempus eiusque partes ſolis lunaeque converſione metiendi nitebantur. Neque tamen ab errore alieni fuerunt. Etenim ut recte Ariſtoteles iudicavit, ſi plures coeli eſſent, motus uniuscuiusque ſimiliter tempus eſſet; quare plura tempora ſimul eſſent. (*εἰ πλείονες ἦσαν οὐρανοὶ, ὁμοίως ἂν ἦν χρόνος, ἡ ὁτουοῦν αὐτῶν κίνησις, ὥςτε πολλοὶ χρόνοι ἅμα.*) Quod quidem fieri nullo modo poteſt. Nam vel innumerabilium corporum coeleſtium converſiones uno eodemque tempore fieri poſſunt, nullamque eſſe temporis diverſitatem niſi quae ſucceſſione definiatur, ſic infixum eſt mentibus noſtris, ut evelli nequeat. Deinde qui hanc opinionem tenebant, vel hoc argumento convinci poterant, quod ſublata coeli converſione, non continuo temporis natura tollatur, ſed potius intactum relinquatur, ſi modo ſucceſſio quaedam, *μεταβολὴ*, v. c. quaedam perceptionum noſtrarum conſecutio maneat.

Relicta igitur horum opinione, fieri non poterat, quin philoſophi in hanc quaeſtionem inciderent, an tempus ſit idem quod *motus*, ſeu *viciſſitudo* et *mutatio*, univerſe ſcilicet ſpectata. Hoc loco Ariſtoteles primum concedi ſibi vult, ut *motus*, ſ. *κινήσεως* vocabulo, univerſe pro *mutationis* ſ. *μεταβολῆς* vocabulo uti liceat; (*μηδὲν δὲ*

διαφερέτω λέγειν ἡμῖν ἐν τῷ παρόντι κίνησιν ἢ μεταβολήν) deinde ſatis acute contra iſtam ſententiam diſputat. Inprimis enim hoc urget, omnem quidem mutationem aut celeriorem, aut tardiorem eſſe; tempus vero non item: tempore enim ipſam velocitatem ac tarditatem definiri: nam id quidem eſſe velox, quod brevi tempore magnum, id autem tardum, quod longo tempore parvum ſpatium transeat. Quare cum nec ipſum coelum, neque eius converſionem, nec univerſe motum aut mutationem tempus eſſe intelligatur, nonnulli veterum philoſophorum eo devenerunt, ut tempus neſcio quid intermedium inter mundum et motum dicerent. Eius formulae veſtigium eſt in *Varronis de lingua latina* lib. V. (p. 52. edit. Bipont.) ubi *Tempus* eſſe *dicunt*, inquit, *intervallum mundi atque motus.* Quae quidem obſcurius dicuntur, ut ambigere poſſis, an qui ita tempus definirent, in hac ſententia fuerint, ut neque corporum complexum, neque corporis motum, ſed quod inter corpus et motum corporis intermedium ſit, eſſe dicerent; an potius, quia, quae moverentur, omnia intervallis moveri ſtatuebant, tempus in quadam vacuitate poſuerint, an denique *intervallum* h. l. *numerum* potius notet. Ultimum ſi ſumſeris, Varroniana definitio ex Ariſtotelica fluxit; qui poſtquam obſervaverat ſine mutatione tempus non eſſe, (quippe, niſi animadvertamus quidem nos eſſe mutatos, tempus nobis fuiſſe non videri) tempus ipſum pronuntiat *numerum motus;* non adeo ipſum motum, ſed quatenus numerum capiat; (*οὐκ ἄρα κίνησις ὁ χρόνος ἀλλ᾽ ᾗ ἀριθμὸν ἔχει κίνησις*). In quo quamquam haud ſatis dilucide id quod volebat expreſſit Ariſtoteles, parum tamen abſuit a Kantii ſententia, qui *tempus ſenſus interni*, quo ſcilicet *mutationes* noſtras percipimus, *formam* eſſe docuit. Nam cum Ariſtoteles dixit, tempus eſſe *ἀριθμὸν κινήσεως, οὐχ ᾧ ἀριθμοῦμεν, ἀλλ᾽ ἀριθμούμενον,* profecto vidit, tempus magis ad mentem, quae mutationes numero comprehendat, quam ad ipſas mutationes,

quarum numerus exigatur, pertinere. Cavendum autem est ne verba Aristotelis falso interpretemur. Etenim ᾧ ἀριθμοῦμεν Aristoteli est idem ac *res ipsae quae numerantur*, ut cum dicimus, tres equi, quatuor nummi, equi aut nummi sunt id quo numeramus, h. e. quasi materia numerorum; contra τὸ ἀριθμούμενον, est ipsa numerandi forma, seu comprehensio numerorum, quae profecto haud alibi quam in mente ipsa reperitur. Itaque diserte Aristoteles postea docet (cap. 14.) *tempus* esse mentis humanae affectionem. Numerandi enim facultatem unice in mentem cadere, eademque mente s. vi cogitandi sublata, tempus quoque necessario tolli; (εἰ δὲ μηδὲν ἄλλο πέφυκεν ἢ ψυχὴ ἀριθμεῖν, καὶ ψυχῆς νοῦς, ἀδύνατον εἶναι, χρόνον, ψυχῆς μὴ οὔσης.)

Sed si tempus extra mentem nullum est, nova suboritur quaestio, quam illud vim in ipsa mente habeat, et qua in parte animi collocandum sit. Iam olim fuerunt, qui tempus *notionem empiricam* esse putarent, ex observatis rerum mutationibus iisque inter se collatis sic depromtam, quemadmodum v. c. canis notionem oculorum ministerio acceptam ferimus, quibus cum singuli subinde canes occurrerunt, ex notatione similitudinis efficitur universa illa canis notio. Et hanc quidem de tempore sententiam Lucretius istis versiculis expressit (Lib. 1. v. 410 sqq.)

Tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis
Consequitur sensus, transactum quid sit in aevo,
Tum quae res instet, quid porro deinde sequatur.
Nec per se quemquam tempus sentire fatendum est
Semotum ab rerum motu, placidaque quiete.

Enimvero quamvis absque usu rerum, ac sine contemplatione succedentium, quae sensibus offeruntur, in rerum natura conversionum, nunquam clara temporis notio in

nobis gigneretur, tamen inde non sequitur ipsum quod proprie dicitur tempus, ab experientia proficisci. Non enim ut multi canes, multi flores in orbe terrarum sunt, e quibus inter se comparatis generalis *canis* aut *floris* notio ducitur, sic *multa* quoque *tempora* sunt; sed est *unum* idque infinitum tempus, cuius nonnisi partes quaedam sunt, quae pluraliter dicuntur tempora. Haec nimirum est illa, quam Cicero appellat (de Nat. deor. lib. I.), ab *infinito tempore aeternitas, quam nulla temporum circumscriptio metitur.* Nempe si saecula, si annos, si dies, si horas tempora dicimus nihil aliud dicimus quam partes quasdam ex uno illo infinitoque tempore circumscriptas. Restat igitur ut, quod Kantius luculentissime docuit, *tempus* formam sensus interni, sicut spatium *externi* dicamus. Tum enim demum intelligitur quo pacto omnia phaenomena in *tempore* comprehendantur. Nempe in rerum natura praeter mentem nec praeteritum est, nec praesens, nec futurum. Singula seorsim fiunt. Cum autem ea quae sensibus excipiuntur, h. e. multiplices materiae sensibilis copiae comprehenduntur vi sentiendi, tum exsistit illa praeteritorum, praesentium, futurorum relatio. Haec autem ipsa comprehensio innata est mentibus nostris, omnesque notiones quae ex usu rerum et experientia ducuntur antevertit. Et quoniam sensus internus externo latius patet, (nam etiam eorum quae extra nos posita sunt visa sensu interno comprehendimus,) inde fit ut spatium quoque non aliter nisi tempore percurrere possimus, spatium vero eodem modo tempori adhibere minime liceat. Etsi enim translate dicitur *spatium temporis*, nihil tamen hoc ipso amplius, quam certa quaedam pars temporis circumscripta significatur.

Ceterum ante Kantium de tempore nemo sic philosophatus est, ut omnino satisfaceret. Neque enim *Watsonus*, qui singularem nuper de tempore libellum

fcripfit*), accuratae fubtilitatis functus eft munere. Tria enim quafi temporis genera conftituit, unum, quod percipi poffit (*time perceptible*) quod ex obfervato noftrarum perceptionum continuo flumine oriatur; alterum quod *univerfale* appellat, ex obfervato fiderum coeleftium motu ductum, tertium denique *infenfibile* (*imperceptible time*) quo quidem nomine appellat notionem e confiderata quacunque temporis univerfalis parte ortam, quatenus ea in infinite multas partes distribui ac dividi poffit. Hunc igitur quoniam docendi ἀκριβείᾳ ne Ariftotelem quidem affequitur, nedum ut cum Kantio comparandus fit, mittamus.

Multis vero philofophi de temporis notione disputantes tricis et controverfiis caruiffent, nifi eos, ut fit, fluctuans ac multiplex vocabuli temporis ufus in ambiguitatem conieciffet. Cum igitur unum effe *tempus* idque infinitum dicimus, profecto nihil aliud quam formam comprehenfionis fenfui interno propriam intelligimus. Haec una fit neceffe eft; eft enim eadem mentibus humanis communis; eadem infinita dicitur, quia humana fentiendi vis tam capax eft, ut nullus unquam tantus fit mutationum numerus, quin eo maiorem poffimus animo informare. Verum enim vero faepe fit, ut vulgari loquendi ufu, certam ipforum eventuum feriem *tempus* vel *tempora* appellemus; ut cum C. Iulii Caefaris, vel belli tricennalis tempora dicimus. Deinde quoniam feriem eventuum e brevitate vel diuturnitate aeftimaturis nulla nobis alia via data eft, nifi ut alia quadam eventuum ferie tanquam menfura utamur, ad quam illam comparemus, factum eft, ut annum folarem, eius-

---

*) *A treatife on Time by W. Watfon* Iun. M. D. F. R. S. Londini 1785. 154 pagg. 8.

que partes *κατ' ἐξοχὴν tempora* homines dicerent. Hinc explicandae ſunt formulae, in quibus tempori curſus aut lapſus tribuitur. Nam ſi ad unicum illud atque infinitum tempus, quod proprie ſic dicitur, animum adverteris, profecto id neque decurrit, neque labitur; ſed in eo potius rerum eventa decurrunt ac labuntur. Cum igitur brevitatem aut longitudinem temporis appellamus, non de abſoluto illo tempore, in quod propter infinitatem brevitas aut longitudo non cadit, ſed de definita eventuum ſerie loquimur, quam ad communem anni ſolaris menſuram referimus, ſimulque illam ab ea quam implere vel potuiſſet, vel debuiſſet, menſura recedere obſervamus. Sic *breve* dicimus vitae humanae aevum, etiamſi nonaginta annos aliquis expleverit, ſi cogitamus potuiſſe aliquem, ſi natura dediſſet, nongentos annos explere. Idem vero temporis ſpatium *longum* dicimus, ad brevitatem vitae poſt aliquot dies aut menſes aut annos a nativitate abruptae comparatum. Deinde quoniam omnes animi noſtri vires ac facultates abſoluti illius temporis formae alligantur, ut exſerere ſe niſi in tempore nullo modo poſſint, factum eſt ut in multis loquendi formulis, ubi vires animi nominandae eſſent, *temporis* vocabulum poneretur. Sic *tempus perdere*, nihil aliud ſignificat, quam animi viribus aut prorſus nihil uti, aut male abuti; ac *tempori parcere* idem eſt ac ſtrenue agere, vires mentis bene collocare, et gnaviter exercere. In abſolutum vero tempus nec iactura cadit nec parſimonia. Porro cum breviora nobis eſſe videantur, quorum longitudinem non ad menſuram exigimus, ut via longior apparet, ubi eius ambitum paſſibus metimur, quam ſi confabulando aut aliud agendo eam ſuperamus, tempori quoque h. e. definito cuidam eventuum ordini ſpecies quaedam brevitatis aut longitudinis induitur, prout in ipſo eius decurſu veram eius menſuram vel negligimus vel exigimus. Et quoniam vel otii moleſtia, vel cuius-

cunque ingrati ſenſus taedio affectos natura ducit, ut animum ad temporis menſuram appellant, et v. c. an hora effluxerit, aut quam mox ſol orturus ſit, quaerant ac circumſpiciant; accidit, ut *tardius* ire tempora, aut opinione citius praeterlapſa eſſe dicerentur, cum nihil ſit eorum decurſu aequabilius. Ex eodem quoque loquendi uſu hauſia eſt formula, qua qui otii moleſtiam luſu pellunt, *tempus fallere* dicuntur. Scilicet error eſt ex metonymia, qui multis hominibus graviſſimus accedit, ut cum per totam vitam nihil aliud miſerius quaeſiverint, quam quibus modis tempus fallerent, ſero intelligant, ſe neminem niſi ſe ipſos ſefelliſſe.

XXXV.

Animadversiones criticae in Quintilian. Inst. Orat. lib. VII — IX.

Lib. VII. 1. *Sic explorandum est, ubi controversia incipiat, et considerari debet, quae primam quaestionem facit.* Iure hic locus offendit novissimum editorem *Spaldingium*, virum egregium, immatura morte nobis ereptum. Equidem mihi persuasi legendum esse: *et considerari debet, quid primam quaestionem faciat;* comparato loco Ciceronis de Oratore lib. II. c. 30. *Statim occurrit naturali quadam prudentia, non his subductionibus, quas isti docent, quid faciat causam, id est, quo sublato controversia stare non possit.*

Lib. VII. c. 2. *De uno quidem maxime genere coniecturalium controversiarum locuti videmur, et in omnes aliquid ex his cadit. Nam furti, depositi, creditae pecuniae et a facultatibus argumenta veniunt:* An fuerit quod deponeretur? *et a personis:* an illum deposuisse apud hunc vel huic credidisse credibile sit? an petitorem calumniari, an reum inficiatorem esse vel furem? *Sed etiam in furti reo sicut in caedis quaeritur de facto et de auctore.* Spaldingio verbum *furti* ante *depositi* videbatur insiticium esse. Mihi illud quidem genuinum, paullo post autem verba *vel furem* delenda videntur.

Lib. VII. c. 3. 16. *Quid? quod nec uno modo definitur res eadem, ut facit Cicero:* quid enim est vulgo? Universos, *et latiore varioque tractatu, ut omnes oratores plerumque fecerunt.* Legendum est: *Quid? quod et uno modo verbo definitur res eadem, ut facit Cicero:* quid est vulgo? Universos; *et latiore varioque tractatu etc.* Locus Ciceronis est in oratione pro Murena, c. 35. *Quid enim? Senatus num obviam ire crimen putat? — num locum ad spectandum dare? aut ad prandium invitare? minime. Sed vulgo, passim. Quid est vulgo? Universos.*

Lib. VII. c. 4. 25. *Sed alios quoque nonnumquam leges hae recipiunt status. Nam et coniectura est aliquando in plerisque horum, quum se vel non fecisse vel bona mente fecisse contendunt. Cuius generis exempla sunt multa. Et quid sit dementia ac mala tractatio, finitur. Nam iuris quaestiones plerumque leges praecurrere solent, et ex quibus causis non fiat, statutum. Quod tamen facto defendi non potuit, iure nitetur. Et quot et quibus causis abdicare non liceat et in quae crimina malae tractationis actio non detur, et cui accusare dementiae non permittatur.*

Hunc locum, quo in expediendo nec Gesneri nec Spaldingii rationes mihi satis fecerunt, sic arbitror esse constituendum:

Sed alios quoque nonnumquam LITES *hae recipiunt status. Nam et coniectura* (i. e. status coniecturalis) *est aliquando in plerisque* HARUM (sc. litium s. causarum) *quum se — multa. Et quid sit dementia aut mala tractatio finitur,* (h. e. definitione explicatur, quae *constitutio* dicitur *definitiva* Cic. de Inv. II. 17.). *Quod tamen f. d. n. p. iure nitetur. Nam iuris quaestiones* (i. e. eae quibus continetur constitutio iuridicialis ibid. II. 23.) *plerumque leges praecurrere solent* (scil. antea latae) *et ex quibus causis non fiat* ALIQUID, *statutum;* UT: *quibus causis*

abdicare non liceat, et in quae crimina malae tractationis actio non detur, et cui accusare dementiae non permittatur.

Lib. VII. 4, 36. *Male gestae legationis apud Graecos et veris caussis frequens, ubi iuris loco quaeri solet, an omnino aliter agere, quam mandatum sit liceat? et quousque sit legatus? quoniam alii in renuntiando sunt; ut in Heio qui testimonium in Verrem dixerat post perlatam legationem.* Corrupta hic sunt verba: *quoniam alii in renuntiando sunt;* et sine dubio legendum: *quoniam alii re nuntiata fiunt.* Sic Heius Mamertinus, cuius e sacrario Verres signa abstulerat, tamen missus erat Romam legatus ad Verrem publice laudandum. Itaque fecit; publice laudavit Verrem; ita enim mandatum atque imperatum erat. Sed peracta hac laudatione non amplius legatum se putabat, sed ALIUS factus, i. e. privatus, privatim ad iudices confugit, dixitque se sacra maiorum suorum a Verre repetere.

Lib. VIII. prooem. §. 9. *Iudicialium causarum alias in singulis, alias in pluribus controversiis consistere, et in quibusdam* sufficere *modo intentionem, modo depulsionem. H. l.* verbum *sufficere* aptum quidem sensum praebet nullum; nec dubito quin legendum sit: *et in quibusdam* statum facere *modo intentionem modo depulsionem* coll. lib. III. 6. 16. „*concedamus ex depulsione nasci statum. Nihilo minus enim res eo revertetur, ut modo is qui agit,* (scil. *intentione*) *modo is cum quo agitur* (scil. *depulsione*) *statum faciat.*“ Sed legenda etiam sunt quae proxime ibi sequuntur.

Lib. VIII. prooem. §. 29. *Alioqui, sicut qui patrimonium non pararunt, subinde quaerunt, ita in oratione qui non satis laborarunt.* Spaldingio hic placebat legi: *alioqui — non pararunt, sub diem quaerunt victum, ita in*

oratione qui non ſatis laborarit, verba deſiderabit. Equidem ſufficere opinor, ſi corrigamus: *ita verba in oratione* (ſcil. quaerunt) *qui non ſatis laborarunt.* Neceſſario autem inferendum eſt illud *verba*, quia ſtatim ſubiungit Quintilianus: *Si praeparata vis dicendi fuerit, erunt in officio* (ſcil. *verba*) etc.

Lib. VIII. 3. *Eſt et amarum quiddam, quod fere in contumelia eſt poſitum, quale Caſſii: „Quid facies, quum in bona tua invaſero?" Hoc eſt quum te docuero neſcire maledicere.* Verba *hoc eſt quum te d. n. m.* non ſunt, ut opinor, Caſſii Severi verba, ſed potius Quintiliani, qui amarum illud Caſſii dictum interpretatur, coniectum ſcil. in hominem maledicum, quem negaverat Caſſius artem male dicendi, qua delectabatur, ſatis callere.

Lib. IX. 3. ubi agitur de ſigura iterationis ſine dubio Quintilianus ſcripſit: *Fit caſibus* mutatis *hoc ſchema quod πολύπτωτον vocant;* ubi nunc legitur: *fit caſibus modo hoc ſchema.* Deinceps in verbis: *conſtat et aliis etiam modis*, quae ſtructura iure Spaldingium offendit, legerim: *conſtat et aliis* iteratio *modis.*

Ibid. paullo ante: IX. 3, 18. 19. *Et detractiones quae in complexu ſermonis, aut* vitium *habent aut* figuram; *ut „Accede ad ignem hunc, iam caleſces plus ſatis"* (e Terentii Eunucho I. 2, 5.); *plus enim quam ſatis eſt.* Senſus eſt: illum locum eſſe exemplum detractionis vitioſae, quia non *plus ſatis*, ſed *plus quam ſatis* verum ſit. Ideoque haud ſcio an Quintilianus ita ſcripſerit: *ut:* „Accede — plus ſatis" *eſt in vitio;* plus *enim* quam ſatis *verum eſt.* Quae ſtatim ſequuntur: *nam de altera quae detractione pluribus adiiciendum eſt;* ita corrigenda ſunt: *nam de altera* (ſcil. ſigura) *quae detractione fit, pluribus dicendum eſt.* Hic nimirum reſpiciuntur iſta quae infra dicuntur IX. 3, 58. *At quae per detractionem* fiunt *figurae* etc.

Lib. IX. 3, 46. de pleonasmo: *Verum id, quum ſupervacua* oneratur *adiectione, vitium eſt, quum auget manifeſtam ſententiam, ſicut hic, virtus. Pro* oneratur *legendum* onerat. Nam pleonasmus non *oneratur*, ſed *onerat* ſententiam ſupervacua adiectione.

Lib. IX. 3, 49. in verbis e quadam Ciceronis oratione, ut recte Gesnerus conieciſſe videtur, Metellina, allatis pro vulg. *ſublata, delata, exſtincta*, vel legendum eſt: *ſublata, deleta, exſtincta;* vel *delata, ſublata, exſtincta.*

Lib. IX. 3, 61. *Ego ne illud quidem apoſiopeſin ſemper voco, in quo res quaecunque relinquitur intelligenda, ut ea quae in epiſtolis Cicero* „data Lupercalibus, quo die Antonius Caeſari," *non enim obticuit aut luſit, quia nihil hic aliud intelligi poterat, quam hoc:* „diadema impoſuit." H. l. Spaldingio aſſentior, qui cum cod. Ambr. 1. legendum cenſet: *ut aeque in epiſtolis Cicero;* nam iam paullo ante epiſtolas Ciceronis ad Brutum excitaverat. Quod autem Spaldingius negat in promptu eſſe dicere, quid ſit *data*, ideoque inter duas coniecturas fluctuat, id ſecus interpretor. Nimirum, ut opinor, haec verba fuerunt in ſubſcriptione epiſtolae, ipſo illo die datae, quum Lupercalibus, h. e. XV. Kal. Mart. A. U. 709. Antonius, ipſe Lupercus, Caeſari diadema imponere auſus eſſet. Cic. Philipp. II. 34.

Lib. IX. 3, 68. *Non ex eodem, ſed ex diverſo vicinum accipitur, quum* ſupplicio *afficiendum dicas quem* ſupplicatione *dignum iudicaris.* Acute ſenſit Spaldingius hanc ſtructuram et nexu cum prioribus et verbum ſignificatione laborare. Agitur de ἀνταναχλάσεως figura, i. e. eiusdem verbi contraria ſignificatione; ut quum Proculus quereretur de filio, quod is mortem ſuam *exſpectaret*, et ille dixiſſet *ſe vero non exſpectare. Immo*

inquit, *rogo exspectes*. Iam sequuntur ista verba, quibus veram vim et sensum restituimus, ita corrigendo: *Non ex eodem sed ex* vicino *diversum accipitur* etc. Supplicium et supplicatio sunt verba vicina; si quis igitur dicit aliquem *supplicio* afficiendum esse, et vult intelligi, eum *supplicatione* dignum esse, utique non ex *eodem* (ut antea ex repetito verbo *exspectare*) sed potius ex vicino (*supplicatio*) diversum accipiendum est; h. l. enim *supplicium* non pro poena capitali, sed pro *supplicatione* accipiendum. Veteres enim Romani *supplicia* dicebant pro *supplicationibus*, qui vocabuli usus postea exolevit.

In verbis IX. 3, 75. *Aut certe par est extremis syllabis consonans: „non verbis sed armis"* difficultas a Spaldingio notata expeditur, si vocabulum *par* non adiectivum, sed substantivum (*ein Paar*) esse ponamus; ut post *par* ex antecedentibus intelligatur *verborum*. Est enim hic par vocabulorum, *verbis* et *armis*, quod extremis syllabis consonat.

Ibid. §. 77. *Secundum ut clausula similiter cadat, vel iisdem in ultimam partem collatis* ὁμοιοτέλευτον *similem duarum sententiarum vel plurium finem: „Non modo ad salutem eius exstinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam."* Huic loco ita subveniendum est, ut verbum ὁμοιοτέλευτον perperam transpositum post verbum *Secundum* ponatur, et pro *vel iisdem* quod iam Spaldingio in mentem venit, legatur *Syllabis iisdem.*

Ibid. §. 79. In exemplo e Domitii Afri oratione: *Amisso nuper infelicis aulae, si non praesidio inter pericula, tamen solatio inter adversa,* pulchre vidit Buttmannus V. C. transponenda esse ultima verba sic: *tamen inter adversa solatio.* Aliter enim non conveniunt, quae proxime sequuntur: *Eius fere videntur optima, in quibus initia sententiarum et fines consentiunt, ut hic praesidio, solatio.*

Lib. IX. 4, 13. *Quod ſi numeris ac modis ineſt quaedam* tacita *vis, in oratione eſt vehementiſſima.* Vox *tacita* hic Spaldingium offendere non debebat. Illuſtratur enim verbis quae §. 10. praeceſſerunt: *Neque enim aliter eveniret, ut illi quoque organorum ſoni*, quamquam verba non exprimunt, *in alios tamen atque alios motus ducerent auditorem.* Haec igitur ipſa eſt numerorum ac modorum *tacita vis*, quod ſonant quidem, ſed tamen non loquuntur, nihil ſignificant, quod vim cogitandi afficiat.

XXXVI.

XXXVI.

In duas Perſii Satiras.

1. In Satiram primam.

In Satira prima Perſius ridet vanitatem eorum, qui, aetate potiſſimum iam provecti, carmina faciunt, eaque recitantes plauſum venantur hominum coram quidem illos approbantium, ſed, ubi reſpexerint, irridentium; omninoque negat verum poetam, etiamſi peritorum laudes non fugiat, quid coetus vulgares de carminibus ſuis iudicent, curaturum. Accedere igitur ad ſe fingit reprehenſorem quemdam, qui miretur eum carmina ſcribere, quae nemo ſit lecturus. Is ſic incipit:

O curas hominum! o quantum eſt in rebus inane!
Quis leget haec?

Primum verſiculum multi editores, ut Caſaubonus, Perſio tribuerunt; quaſi eſſet initium carminis, in quo ſcribendo ab illo, quem adverſarium fingit, interpelletur. At multo aptius eſt, cum Reizio, quem Königius ſecutus eſt, eum adverſario aſſignare. Is nimirum ad Perſium ſcribendo occupatum accedere fingitur, curamque ſcriptoris inanem pervellere, quod quae ſcripſerit nemo fere lecturus ſit. Paſſovius quidem Caſauboni rationem ſic tuetur, ut neget reprehenſori in mentem venire poſſe, ut auditores Perſio haud futuros dicat, antequam Perſius legere coeperit. At enim non de auditoribus ſed de lectoribus hic agitur;

Perfiusque fupponere potuit adverfarium iam antequam ifia verba pronuntiaret, quae Perfius fcripfiffet, intellexiffe.

Sed primum hunc verficulum levis menda obfidere videtur. Nam fi legitur, ut nunc in omnibus edd.

O curas hominum, o quantum eft in rebus inane!

alterum illud *O* in ipfam verfus caefuram incidit, et cum ultima fyllaba vocabuli *hominum* elifione coalefcens paufa infuaviffima disiungitur a fequentibus verbis. Ita repetitum illud *O* haud fuavius ad aures accideret, quam in verficulo illo Iacobi Thomfoni Angli, in tragoedia Sophonisbe,

O Sophonisbe! Sophonisbe o!

quem verficulum quum actor pronuntiaffet, fiatim aliquis e cavea exclamavit

O James Thomfon! James Thomfon o!

Refcribendum igitur opinamur

O curas hominum! Quantum eft in rebus inane!

Similiter in verfu 61. fat. 11.

O curvae in terras animae et *coeleftium inanes!*

eximendam arbitramur copulam hic otiofam, et quum eodem modo in caefuram incidat, male fonantem; ita maiore cum pondere, et fuaviore fono decurret verfus:

O curvae in terras animae, coeleftium inanes!

In fequentibus fatirae primae verfibus:

Quis leget haec? — Min' tu iftud ais? Nemo hercule — *Nemo?*
Vel duo vel nemo. — *Turpe et miferabile!* — Quare?
Ne mihi Pulydamas et Troïades Labeonem
Praetulerint! Nugae! —

multo aptius Paffovius alternas colloquentium partes, ficut hic exfcriptae funt, difpofuit, quam Reizius, qui fic ordinavit:

Quis leget haec? — Min' tu istud ais? — *Nemo hercule.* — Nemo?
Vel duo vel nemo. Turpe et miserabile! — Quare?

Nam universo Persii consilio, qui populi laudes fastidiendas potius, quam ambitiose quaerendas ait, multo convenientius est, quaestioni adversarii *quis leget haec*, fidentem reponere *nemo;* et quum alter mirabundus regessisset *nemo?* quasi se ipsum corrigeret, addere, *vel duo vel nemo.*

Pergit poeta:

Non si quid turbida Roma
Elevet accedas, examenve improbum in illa
Castiges trutina, nec te quaesiveris extra.

Hoc Passovius ita vertit:

Ob laut auch die stürmische Roma
Preist; nie preise du mit; selbstständig regiere das Zünglein
Dieser betrüglichen Waag' und aufser dir suche dich selbst nicht.

Nimirum vocabulum *elevare* hic pro *extollere* accipiendum putavit. Verum illa significatio insolentior est; multo frequentius *elevare* ponitur pro *deprimere*, *infringere*, *dignitati derogare*, quod populares nostri dicunt *herabsetzen.* Id aptius est antecedentibus poetae versibus. Nam qui Labeonem praeferebant Persio, utique Persium elevabant, h. e. minoris aestimabant. Ceterum largimur Passovio melius *examenque* quam *examenve* legi, aliter tamen atque ille totam hanc *ῥῆσιν* interpretamur: non si quid turbida Roma aspernatur, continuo accedas improbum examen in illa trutina castigaturus. Nempe ne operae quidem pretium esse ait Persius huiusmodi populi iudicia corrigere, tantum abesse, ut eorum sit ratio habenda. Wagnerus nuper vertit:

Du ſtimmſt nicht gleich mit ein, und findeſt nicht
Das täuſchende Gewicht auf ſolcher Waage.

At non agitur de pondere in trutina examinando, ſed de ipſo trutinae examine (dem Zünglein der Waage) caſtigando. Hoc enim quum dicitur *improbum*, ſignificatur totius trutinae pravitas.

In his, qui ſequuntur, verſiculis:

Nam Romae quis non? — At ſi fas dicere! Sed fas
Tunc, quum ad canitiem et noſtrum iſtud vivere triſte
Aſpexi, ac nucibus facimus quaecumque relictis,
Quum ſapimus patruos, tunc, tunc, ignoſcite — *Nolo.*
Quid faciam? — ſed ſum petulanti ſplene cachinno.

in his igitur perquam incommodum eſt illud *Nolo*, quo reprehenſor Perſii ſermonem interrumpit; nec particula *ſed*, apte ſatis reſpondet antecedenti interrogationi *quid faciam?* Itaque levi emendatione ſalebras, quibus haec oratio premitur, expurgare liceat, ita ſcribendo:

At ſi fas dicere — Sed fas
Tunc, quum ad canitiem et noſtrum illud vivere triſte
Adſpexi, ac nucibus facimus quaecumque relictis,
Quum ſapimus patruos, tunc tunc ignoſcere nolo,
Quae facimus, ſed ſum petulanti ſplene cachinno.

Apponamus alium huius ſatirae locum, ubi, ut illic NOLO, adverbium NUSQUAM ab adverſario interiectum librariorum errori adſcribendum eſſe videtur. Poſtquam poeta in vitiis notandis Lucilii libertatem, Horatii urbanitatem laudavit v. 119. ſic pergit:

Men' mutire nefas? nec clam nec cum ſcrobe? *Nusquam.*
Hic tamen infodiam; vidi vidi ipſe, libelle,
Auriculas aſini Mida rex habet.

Fortaſſe ſcripſerat Perſius:

Men' mutire neſas? nec clam nec cum ſcrobe *muſſem?*

h. e. neque mihi liceat, vel mecum clam muſſare; vel ut ille Midae tonſor ex nota fabula in ſcrobem inſuſurrare? Verum huiusmodi loca etſi coniecturis tentari poſſunt, non tamen debent attentari, niſi meliorum librorum auctoritas acceſſerit.

2. In Satiram quartam.

Multi interpretes tota hac ſatira Neronem peti exiſtimant; iisque ſe aſſentiri nuper profeſſus eſt *Meiſterus* V. Cl. ICtus Academiae Viadrinae, edito in hanc ſatiram libello ſingulari. Nobis vero nullum in hac ſatira veſtigium, certum quidem ac perſpicuum, deprehendere licuit, quod poetam ad Neronem reſpexiſſe nobis perſuadeat. Totum ſatirae argumentum in eo vertitur, ut Perſius caſtiget homines, qui in ſe ipſos deſcendere nolint, atque ad ſua vitia coecutiant, aliorum vero mores acute pervideant ac moroſius carpant. Hoc igitur conſilio ſummam quaſi facit dialogi Platonici qui inſcribitur Alcibiades primus, in quo Socrates Alcibiadem, rem publicam capeſſere volentem, eo compellit, ut ſe prorſus expertem civilis prudentiae fateatur, quantumque ſit boni in divino illo oraculo *γνῶθι σεαυτόν*, nunc demum clare intelligat. Principio ſatirae v. 1 — 22. Socratem colloquentem induci, ipſe poeta indicat his verbis:

Barbatum hoc crede magiſtrum
Dicere, ſorbitio quem tollit dira cicutae,

Platonici vero dialogi cum Alcibiade rationem habuiſſe, complurium locorum comparatio nobis perſuadet. Quum enim Socratem primis ſtatim verbis ſic interrogantem inducit: *Rem populi tractas?* reſpicit Platonis verba c. 7.

φέρε δή. Διανοῇ γάρ, ὥς ἐγώ φημι, παριέναι συμβουλεύσων Ἀθηναίοις ἐντὸς οὐ πολλοῦ χρόνου. In verbis: *dic o magni pupille Pericli*, animum referebat ad Graeca Platonis c. 2. *ξυμπάντων μείζω οἴει σοι δύναμιν ὑπάρχειν Περικλέα τὸν Ξανθίππου, ὃν ὁ πατὴρ ἐπίτροπον κατέλιπε σοί τε καὶ τῷ ἀδελφῷ.* Ut Perſius Socratem Alcibiadi his verſiculis

Scilicet ingenium et rerum prudentia velox
Ante pilos venit

illud vitio vertentem facit, quod adoleſcentulus vix viginti annorum audeat rem publicam capeſſere, ita apud Platonem c. 41. eiusdem audaciae cauſa caſtigatur *ὡς Ἀλκιβιάδης οὗτος πρῶτον μὲν ἔτη οὔπω γεγονὼς σφόδρα εἴκοσιν, ἔπειτα παντάπασιν ἀπαίδευτος — φησιν ἐξαρκεῖν καὶ ὡς ἔχει.* Unum eſt in hac Socratis oratione, apud Perſium, cuius in dialogo Platonico nulla ſit mentio; improbatio ſcil. vitae voluptariae, cui ſcimus Alcibiadem indulſiſſe, his verſiculis incluſa:

Quae tibi ſumma boni eſt? Uncta vixiſſe patella
Semper et aſſiduo curata cuticula ſole?

Verum haec hactenus. Nam ex iis, quae modo memoravimus, abunde conſtat, Perſium ſub Socratis perſona eos reprehendere, qui ſe ipſos noſſe neglexerint, in eoque ad Platonis Alcibiadem primum mentem ac manum direxiſſe. Inde poeta pergit, ut maiorem eorum ſtultitiam caſtiget, qui non ſolum ſua vitia ignorent, ſed etiam aliorum hominum naevos, maculas, pravitates exigere et vituperare geſtiant.

Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere nemo
At praecedenti ſpectatur mantica tergo.

Exemplum ſtatim affert hominis Vectidium ob ſordidam avaritiam culpantis; qui tamen ipſe delicatis et obſcenis voluptatibus deditus ſit, ob easque acriter ab alio perſtringatur.

Ultimis verſibus in eos invehitur, qui vitia ſua falſa ſpecie tegant, nec tam alios, quam ſe ipſos decipiant, quum plebeculae aut aſſentatorum laudibus creduli videri potius boni quam eſſe malint.

In his omnibus nihil eſt, quod invitare nos poſſit, ut Neronem poetae animo dum iſta ſcriberet obverſatum, aut tectis verbis ab eo perſtrictum eſſe opinemur.

Videamus igitur, quibus argumentis id nobis ***Meiſterus*** V. C. perſuadere nuper conatus ſit *). In verbis *Rem populi tractas*, reſpici putat Neronem, qui vix ſeptendecim annos natus imperator conſalutatus eſt, eoque etiam verba, *ſcilicet ingenium et rerum prudentia velox ante pilas venit* pertinere. At ſatirarum ſcriptori qui univerſe vitium aliquod ridet aut apertius caſtigat, ſaepe hoc accidit, ut occurrant homines, quos alii propter ſimilitudinem notatos putent, de quibus ille ne per ſomnium quidem cogitaverat. Hunc ſatiras interpretandi morem facete olim riſit Rabenerus noſter. Quod Socrates apud Perſium dicit Alcibiadem antequam ad populum dicturus ſit *maieſtate manus* ſibi ſilentia facturum, hoc ipſo ***Meiſterus*** Neronem pungi dicit, quod, quum laudationem Claudii Caeſaris a L. Annaeo Seneca ſcriptam pronuntiaſſet, ſeniores, quibus otium eſſet vetera et praeſentia contendere, adnotaverint, primum ex iis, qui rerum potiti eſſent, Neronem alienae facundiae eguiſſe. Audirem, ſi illis verbis Alcibiadis infantia notaretur. Atqui nihil aliud deſignant, niſi geſtum oratoris, antequam dicere incipiat, ſilentium populo imponentis. Quae verſu 9. ſequuntur, quum Alcibiades fingitur populo dicere:

---

*) Io. Chr. Frid. Meiſteri, I. U. D., anteceſſoris Viadrini commentatio in Auli Perſii Flacci Satiram quartam. Traiecti ad Viadrum 1807.

Hoc puto non iustum est, illud male, rectius illud.
— — — rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel cum fallit pede regula varo
Et potis es nigrum vitio praefigere Theta

haec ad iurisdictionem Neronis trahit Meisterus. At nulla est in his nota, quae non eodem modo, si Persius ad res Romanas respexisset, ad omnium Imperatorum, immo ad praetorum quoque iurisdictionem referri posset. Nec loca Suetonii Ner. c. 15. 16. quibus vir doctissimus utitur, eiusmodi sunt ut vim habeant ad hanc opinionem confirmandam.

Sequitur v. 14. Socratis admonitio, qua Alcibiadem hortatur, ne *ante diem*, h. e. antequam aetatis ac scientiae maturitatem assecutus sit, res populi tractare velit:

quin tu igitur, summa nequicquam pelle decorus
Ante diem blando caudam iactare popello
Desinis.

His verbis Meisterus Neronem figi, ut nobis persuadeat, advocat locum Suetonii Ner. c. 53. *maxime autem popularitate efferebatur, omnium abundans, qui quoque modo animum vulgi moverent.* At quomodo poëtae nostro in mentem venire potuisset, Neroni suadere, ut cum populo agere desineret, et hac parte imperii se abdicaret? Quid? quod si hanc satiram quarto Neronis anno s. A. V. C. 811. scriptam esse cum Meistero ponamus, illa ipsa Neronis popularitas argumento esse poterat, eum artem populum regendi iam satis bene callere, quam in Alcibiadis adolescentia Socrates desiderabat.

Vers. 17—22.

Quae tibi summa boni est? uncta vixisse patella
Semper et assiduo curata cuticula sole?
Exspecta! Haud aliud respondeat haec anus — I

„Dinomaches ego ſum“ ſuffla. „Sum candidus!“ Eſto
Dum ne deterius ſapiat pannucea Baucis
Quum bene diſcincto cantaverit ocima vernae.

Ocimum herbam ab olerum venditrice ſervulo commendatam (*Ocimum baſilicum Linn.*) Venerem ſtimulare, quum Cl. Meiſterus apud Plinium reperiſſet, continuo id arripit, ut hic obſceni aliquid latere putet, quod poſſit ad Neronis libidines detorqueri. Itaque illum locum ſic *παραφράζει·* „Quae tibi vitae ratio eſt? quaenam univerſa morum vitaeque inſtitutio? — In otio vivere me profitebor bene paſtum ac mihi natum, meisque quae et communes hominum ſunt, voluptatibus. Exſpecta! Haud aliud, nec peius quidquam reſpondeat haec anus? reſpondeat prima quaeque muliercula de foro olitorio? I nunc et ſuffla: Agrippinae totus ego ſum; candidus ego; matris et fidiſſima imago, et amator fidiſſimus. Integer itaque ſum atque formoſus; incorruptae adhuc indolis, incorrupti adhuc ſaporis! Eſto! dum ne deterius quidquam, dum ne maior aliqua foeditas vetulae huic pannuceae de te ſuboleat, quum vernae tuo, qui, bene diſcinctus tibi miniſtrat, cantare ſoleat ocima, tamque fidenter acclamare, hoc venenum ut emat, Venerem vel acerrime ſtimulans.“ Verum illud ocimum (etiamſi forte a libidinoſis ad Venerem ſtimulandam adhiberi poterat,) idem tamen ob ſuavem odorem commendabatur, eratque inter olera, quae cibis adhibebantur; quod colligitur e ioco Apicii de arte coquinaria lib. V. c. 3. Cur igitur h. l. quae propiora ſunt faſtidiamus et ad alia nimium a poëtae conſilio remota abeamus? Hoc ſcilicet eſt *τῇ ὑποθέσει δουλεύειν.* Baucis illa pannoſa, non aliam ob cauſam opponitur Alcibiadi, quam ut ostendatur, ſi ſapientia ſit, ſummam boni in voluptate gulae et apricatione ponere; eam ſapientiam adeo non eſſe magnificam, ut potius in quamvis mulierculam de foro olitorio cadat.

In ultima parte ſatirae v. 23 ſqq. nos nihil aliud videmus niſi exemplum hominis Vectidium quendam ob ſordidam parſimoniam incuſantis, cui deinde alius ſpurciſſimas libidines exprobrat; illiusque exemplo nihil aliud quaeritur, niſi ut ſententiam proxime antecedentem:

Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere nemo
At praecedenti ſpectatur mantica tergo,

illuſtret et confirmet. At profecto mirum eſt in illa deſcriptione ſordium Vectidii ad opinionem ſuam accommodanda Meiſterum eatenus ingenio abuſum fuiſſe, ut eam ad Claudium Caeſarem, cui Nero ſucceſſerat, referendam eſſe hariolaretur, quamquam ipſe fatetur ſordidae tenacitatis opprobrium in eum haud cadere, utpote qui convivia et ampla et aſſidua agitaverit. Nempe tam tortuoſa huius loci explicatione ei opus erat, ut quae inde a v. 33. ſequuntur ad infames Neronis libidines trahere poſſet.

Ultimis ſatirae quartae verſibus Perſius eos confutat, qui quamvis turpi quodam vitio teneantur, vicinorum tamen laudibus ſe conſolantes ipſi ſibi fucum faciant. Horum aliquis oggerit;

— — egregium quum me vicinia dicat
Non credam?

Iamque reponit Perſius nihil ei vana plebeculae praeconia prodeſſe, ſi vel avaritiae ſit obnoxius, vel libidinibus conſtrictus, vel ad pravitatem et iniquitatem in foenore exercendo prolapſus, iſtamque ſententiam his effert verſiculis:

— — Viſo ſi palles improbe numo,
Si facis in penem quidquid tibi venit amarum,
Si puteal multa cautus vibice flagellas
Nequidquam populo bibulas donaveris aures.

Incredibile eſt, quantum luxurianti ingenio hic indulſerit Meiſterus, quam mirifice ſe torſerit, ut in his quoque verſibus Neronem exagitari nobis perſuaderet. Verba

Viso numo, quae univerſe dicta eſſe nemo poteſt negare, detorquet ad numum ſingularem, in quo conſpicitur Neronis imago Agrippinae imagini oppoſita, quo ſcilicet conſpecto Nero *expalluerit* inceſtae cum matre conſuetudinis ſibi conſcius. Verſum vero tertium ſatis obſcurum et diverſis iam olim interpretum hariolationibus nobilitatum, de immani quorundam nebulonum flagitio intelligit, ut Venerem languentem excitarent, inguina aut nates virgis vel urticis caedentium. Quod ut ex his verbis extundere poſſit, vocabulo *puteal* novam et inauditam ſignificationem affingit, quaſi illud Perſius vel pro *inguine*, vel pro *natibus* poſuerit.* Nobis certum eſt verſum

Si puteal multa cautus vibice flagellas

ad foeneratorum pravitatem pertinere. Notum enim eſt ad Puteal Scribonii Libonis in foro foeneratores conveniſſe, ibi numos certis nominibus expendiſſe, pecuniamque creditam, ſi tempus ſolutionis veniſſet, vel uſuras a debitoribus exegiſſe. Praeterea conſtat immanem inde a multis ſeculis usque ad Perſii tempora foeneratorum acerbitatem fuiſſe, adeo ut Cato (Cic. de off. II. 89.) *foenerari* idem fere eſſe diceret ac hominem occidere. Ut igitur *annonam flagellare* dicebantur dardanarii, qui, ut pretium augeretur, magnam vim frumentorum coëmebant; (quod alias dicebatur *annonam excandefacere*) ſic h. l. *puteal multa vibice flagellare*, nihil aliud eſt quam rem foenebrem multis modis, ut anatociſmo anniverſario, aliisque iniquis exactionibus exacerbare.

XXXVII.

De verſibus aliquot in Horatii epiſtola ad Albium Tibullum (Epp. I. 4) in penecedentem ad Iulium Florum transponendis coniectura.

Epiſtola ad Tibullum, ſcripta eſt, quod recte iam alii monuerunt, anno aetatis vel XXIX, vel XXX; A. V. C. 733. vel 734.

Albi noſtrorum ſermonum candide iudex
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Caſſi Parmenſis opuscula vincat
An tacitum ſilvas inter reptare ſalubres
Curantem quicquid dignum ſapiente bonoque eſt?
Non tu corpus eras ſine pectore. Di tibi formam
Di tibi divitias dederant, artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula maius alumno
Qui ſapere et fari poſſit, quae ſentiat et cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde
Et mundus victus non deficiente crumena?
Inter ſpem curamque timores inter et iras
Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum,
Grata ſuperveniet, quae non ſperabitur hora.
Me pinguem et nitidum bene curata cute viſes
Quum ridere voles Epicuri de grege porcum.

Hic primum verſu 12.

Inter ſpem curamque timores inter et iras

pro *timores* legendum arbitror *tumores.* Nam *timor* iam in verbis *ſpem curamque*, quod idem eſt ac *ſpem* et *metum*, ut nos dicimus *zwiſchen Furcht und Hoffnung*, expreſſus erat. Neque vero ſatis apte *timores* et *iras* compoſuiſſet Horatius. *Tumores* vero ſicut verbum *tumere* de animi motu ad iram proclivi uſurpari conſtat. Iam de lectione verſuum 8—11 primum audiamus Lambinum, qui hanc recepit lectionem:

Quid voveat dulci nutricula maius alumno
Quam ſapere et fari ut poſſit, quae ſentiat, utque
Gratia fama valetudo contingat abunde
Et mundus victus non deficiente crumena.

Sic igitur Lambinus: „Quum in omnibus, inquit, libris vulgatis et in plerisque omnibus Mstis legeretur, *quam ſapere et fari*, quamvis pauci MSS. haberent particulam *ut*, ego ſic hunc locum olim explicandum putaveram: *Quid nutrix alumno ſuo maius optare poſſit, quam ut primum ſapiat et prudenter ſentiat, deinde ſuas cogitationes eloqui et exprimere queat.* Sic Pindarus *εἰδ' ἑ. Ὑγιέντα δ' εἴτις ὄλβον ἄρδει ἐξαρκέων κτεάτεσσι καὶ εὐλογίαν προςτιθεὶς, μὴ ματεύσῃ θεὸς γενέσθαι* i. e. ſi quis cum integra valetudine facultates et eloquentiam habeat coniunctam, non eſt quod deus eſſe velit. Et quum legeretur antea in omnibus libris excuſis *et cui*, ego ab uno cod. MS. adiutus et quaſi manu ductus, in quo ſcriptum erat *ut cui*, repoſueram in prima editione *utque*, niſi quis mallet, *utque huic.* Iam qui ita legunt

Quid voveat dulci nutricula maius alumno
Quum ſapere et fari poſſis, quae ſentiat, et cui
Gratia etc.

hac ſententia: *quid optet maius nutricula alumno ſuo* ſubintellige quam illa ſuperiora: *formam*, *divitias*, *artem fruendi*, *quum praeſertim ſapere et fari etc.* balbutiunt, neque argumentis opus eſt, ad hanc explicationem refel-

lendam; quum praeſertim nulli libri habeant: *quum ſapere*, quumque non apte haec inter ſe cohaereant, *quum ſapere poſſit, et cui gratia etc.* legendum enim eſſet *et quum gratia.* Nunc igitur iterum conſultis libris veteribus, in quorum uno reperi, *qui ſapere*, in altero *quin ſapere*, qui ambo ſunt Ruſſardi, legendum ſic cenſeo: *Qui ſapere et fari poſſit quae ſentiat, et cui gratia fama etc.* ut ſit haec verborum ſententia: alumno, qui ſapere et fari poſſit quae ſentiat et cui gratia fama, valetudo contingat abunde et mundus victus non deficiente crumena, quid nutricula optet maius, perinde ac ſi dicat nihil maius optare queat alumno ſuo nutricula, quam haec, ſapientiam, eloquentiam, ſeu facundiam, gratiam, famam, valetudinem, mundum victum non deficiente crumena."
Iam Lambino quidem adſtipulor de lectione v. 9.

qui ſapere et fari poſſit quae ſentiat et cui

ſed ita ut hic *alumno* non de *puero* quem nutriat adhuc et lactet, ſed potius de *alumno* quem olim lactarit, et qui iam ad virilem aetatem pervenerit cuique iam maius nihil optare poterat, quum ſapientia, eloquentia, gratia, fama, valetudine mundo victu floreret, non deficiente crumena. Itaque Wielandus hanc rationem ſecutus bene ſic vertit:

Was kann die Amme ihrem lieben Zögling
Noch gröſsers wünſchen, wenn er unverdorben
An Kopf und Herz, die Gabe was er denkt
Zu ſagen mit der Gabe zu gefallen
Zu gatten weiſs, und Gunſt wie Ruhms genug
Auch einen Ueberfluſs an friſchem Blut,
Ein reinlich Haus, und immer noch für jeden
Beſcheidnen Wunſch ſo viel im Beutel hat
Als nöthig iſt.

Iam accedimus ad verſiculos 12—14.

Inter ſpem curamque tumores inter et iras
Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum
Grata ſuperveniet quae non ſperabitur hora.

Hi verſus prorſus repugnant antecedentibus. Nam cur Horatius Tibullum qui ſua ſorte, etſi magnam partem praediorum perdiderat, prorſus contentus erat, in villa Pedana, quae ei cum agris et ſilvis propria permanſerat, cur igitur eum miſere inter curam, tumores et iras vivere pronuntiaret? Senſit hoc Wielandus, qui ſic verſiculos iſtos vertit

Dieſs Glück, Tibull, iſt dein!
Indeſs das Leben andern, *zwiſchen hoffen*
Und wünſchen, zwiſchen Furcht und Zorn entſchlüpft
Nimm du den Tag, der anbricht, für den letzten.

Iam quamquam Wielandus recte intellexit verſiculum

Inter ſpem curamque tumores inter et iras

a Tibullo prorſus alienum eſſe, remedium tamen, quod ipſe in verſione huic ſcrupulo ſublevando adhibuit, nullo modo probari poteſt. Si enim Horatius ſignificare voluiſſet

Indeſs das Leben andern *zwiſchen Hoffen*
und Wünſchen, zwiſchen Furcht und Zorn entſchlüpft

neceſſario hunc ſenſum his fere verbis exprimere debuiſſet: *dum alii vitam inter ſpem curamque tumores inter et iras transigunt, tu potius omnem crede etc.*

Quae quum ita ſint, tres hosce verſiculos

Inter ſpem curamque tumores inter et iras
Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum
Grata ſuperveniet quae non ſperabitur hora

olim ante codicum Mstorum Horatii, qui huc usque collati ſunt, ſcriptionem a librario quodam e praecedente epiſtola ad Iulium Florum huc in epiſtolam ad Tibullum translatos eſſe coniicio. Ad Florum epiſtolarum libri I. ep. 3. inde a verſiculo 20. ut nunc legitur ſic ſcripſit Horatius:

Ipſe quid audes?
Quae circum volitas agilis thyma? Non tibi parvum
Ingenium, non incultum eſt nec turpiter hirtum;

Seu linguam caufis acuis, feu civica iura
Refpondere paras, feu condis amabile carmen
Prima feres hederae victricis praemia. Quod fi
Frigida curarum fomenta relinquere poffes
Quo te coeleftis fapientia duceret ires.
Hoc opus hoc ftudium parvi properemus et ampli
Si patriae volumus, fi nobis vivere cari.

Poft hunc igitur locum opinamur olim pofitos fuiffe verficulos, ut nunc eft in epiftolam 4. ad Tibullum traiectos

Inter fpem curamque tumores inter et iras
Omnem crede diem tibi diluxiffe fupremum
Grata fuperveniet, quae non fperabitur hora

Iamque cum his apte cohaerent ultimi epiftolae ad Florum verficuli:

Debes hoc etiam refcribere, fi tibi curae,
Quantae conveniat Munatius; an male farta
Gratia nequicquam coit, et refcinditur? At vos
Seu calidus fanguis, feu rerum infcitia vexat
Indomita cervice feros, ubicunque locorum
Vivitis: indigni fraternum rumpere foedus
Pafcitur in veftrum reditum votiva iuvenca.

Iam quum multas fuiffe et moleftas Iulii Flori curas Horatius ipfe dixiffet et tantum eum *frigida* harum *curarum fomenta* i. e. inepta remedia adhibere improbaffet, pro quibus ei ftudium fapientiae commendat, in poftremis autem verfibus mentionem faciat tumoris cuiusdam inter eum et Munatium intercedentis, profecto nobis concedendum effe arbitramur verficulos ex epiftola ad Tibullum huc translatos optime cum antecedentibus et confequentibus cohaerere.



HALAE, TYPIS ORPHANOTROPHEI.